7/7/1982

S. 1301A

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.


ACTA
PHYSICO-MEDICA
ACADEMIAE CAESAREAE
NATVRAE CVRIOSORVM
J. G. Pintz. ſc.

ACTA
PHYSICO-MEDICA
ACADEMIAE CAESAREAE LEOPOLDINO-CAROLINAE NATURAE CURIOSORUM

EXHIBENTIA

EPHEMERIDES

SIVE

OBSERVATIONES HISTORIAS ET EXPERIMENTA

A

CELEBERRIMIS GERMANIAE ET EXTERARUM REGIONUM *VIRIS*

HABITA ET COMMUNICATA

SINGULARI STUDIO

COLLECTA,

VOLUMEN QUINTUM

CUM APPENDICE

NORIMBERGAE

Impenſis B. W. M. ENDTERI CONSORTIUM,

ET

VID. B. JUL. ARNOLD ENGELBRECHTI.

ANNO MDCCXL.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

SACRATISSIMO
POTENTISSIMO AC INVICTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO

CAROLO VI.

ELECTO
ROMANORVM
IMPERATORI

PIO FELICI SEMPER AVGVSTO

GERMANIAE CASTILIAE ARRAGONIAE
LEGIONIS UTRIUSQUE SICILIAE HIEROSOLYMORUM
HUNGARIAE BOHEMIAE DALMATIAE CROATIAE SCLA-
VONIAE SERVIAE NAVARRAE GRANATAE TOLETI VA-
LENTIAE GALLICIAE MAJORICAE SEVILIAE SARDINIAE
CORDUBAE CORSICAE MURCIAE GIENI ALGARBIAE
ALGEZIRAE GIBRALTARIAE CANARIARUM ET INDICA-
RUM INSULARUM TERRAE FIRMAE ET
OCEANI

REGI

ARCHIDVCI AVSTRIAE

DVCI

BURGUNDIAE LOTHARINGIAE BRABANTIAE MEDIOLANI STYRIAE CARINTHIAE CARNIOLAE LIMBURGI LUXEMBURGI GELDRIAE WIRTEMBERGAE SUPERIORIS ET INFERIORIS SILESIAE CALABRIAE ATHENARUM NEOPATRIAE CET.

PRINCIPI

SVEVIAE CATALONIAE ASTURIAE

MARCHIONI

SACRI ROMANI IMPERII BURGOVIAE MORAVIAE SUPERIORIS ET INFERIORIS LUSATIAE

COMITI

HABSPURGI FLANDRIAE TYROLIS FERRETARUM KYBURGI GORITIAE ET ARTESIAE

MARCHIONI

ARBOREAE NAMURCI ROSSILIAE CERETANIAE RELIQUA

DOMINO

MARCHIAE VENEDICAE PORTUS NAONIS BISCAIAE MOLINI SALINARUM TRIPOLIS MECHLINI CET.

DOMINO SVO

LONGE OMNIUM CLEMENTISSIMO.

AVGVSTISSIME

IMPERATOR

Inter commununem deſideratiſſimae pacis, qua generi humano nil datum eſt dulcius, laetitiam, quae nunc, TE ORBIS PACATORE, INVICTSSIME CAROLE Germaniam pariter ac Hungariam recreat, Muſae quoque, quae TVO ſingulari beneficio nec inter arma ſilent, eo liberiores, eo ſecuriores, eo laetiores TVOS auguſtales vultus adire, ſuſpicere,

venerari audent. Omnino MAXIME CAESARVM, quae noſtri aevi felicitas eſt, AVGVSTI illius refers ac reducis ſaecula, dum, clauſo Jano, disjectoque belli tumultu, dulciſſima pace & otio conſtanti gentes beas ſub aquilae TVAE tegmine ſatis felices. Muſae quidem noſtrae eo majori animi fiducia induſtriae qualiscunque, multorum viribus collectae, ſpecimina quaedam, in pacis devotam gratulationem, in debitae pietatis monumentum & in ſubjectiſſimi obſequii pignus SACRATISSIMAE MAJESTATI VESTRAE mente manuque ſubmiſſa conſecrare contendunt, quod in ea Societate, cui Pius LEOPOLDVS natales & originem, Magnus JOSEPHVS incrementa & nervos, TV vero CAROLORVM gloria, decus dederunt & praeſidium, jus habeant civitatis litterariae, ſimulque, quod maximum eſt, Auguſtae tutelae ſecuriſſimae.

Argu-

Argumentum meditationum, hoc Volumine comprehenſarum eo tendit, ut provida ſummi Numinis cura in cultum, rerum naturalium arcana in lucem, corporisque humani caſus tum triſtes, tum læti, in uſum proferantur & cautionem. Quid anguſtius videtur hocce argumento, aut quid dignius Auguſtali TVO conſpectu? Stipatae inſuper ſunt votis ardentiſſimis, DEO TER OPTIMO conſecratis, ut TE, AVGVSTISSIME IMPERATOR, inter pacis perpetuae amœniſſimos fructus, inter aeterna Auſtriacae gentis decora, inter ſacram Nepotum, TVA veſtigia legentium, coronam, imperio tranquillo, vita longaeva viriumque robore renovato ad extremam usque mortalitatis metam in orbis delicium, Sacri Romani Imperii Palladium, Muſarum denique, in primis noſtrarum, praeſidium, omni ex parte ſalvum, omnis felicitatis genere bea-

tum, opimaque rerum geſtarum gloria ſatiatum ſervet ac tueatur. Haec quotidie precantur precabunturque

SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS VESTRAE

humillimo obſequio devotiſſimi

Praeſes, Director, Adjuncti & Collegae Academiae Naturae Curioſorum.

PRAE-

PRAEFATIO.

Nulla re felicius ſolidae eruditionis promoveri fines, & ſcientiarum augeri incrementa, quam doctis Societatibus, quae ad leges diriguntur ſapientiſſimas, id tum ex ratione, tum experientia abunde conſtat. Decem enim oculos plus cernere, quam unum, communi dicitur proverbio. Quo majori itaque concordia eruditorum aliquot ſocias inter ſe jungunt vires manusque, ad arcana naturae curatius rimanda, ad veritates latentes eliciendas, ad nova inventa in lucem proferenda eo feliciori ſucceſſu bonarum artium ſtudia laeto effloreſcere proventu deprehendimus. Cujus veritatis teſtes digniſſimi ſunt Angli, Galli, Ita-

Ii, qui dum in excolenda *Philoſophia* naturali, hiſtoria, matheſi, pingendi & ſtruendi arte, ceterarum gentium admirationem pariter ac aemulationem in ſe ſe provocarunt, raram hancce felicitatem bene conſtitutis Societatibus omnino debere videntur. Nec Germania noſtra hujus fortunae plane expers eſt cenſenda, quid? quod tantam ſibi in hoc quoque laudis genere adquiſivit gloriam, vt, quo gradu aliis inferior ſit, neutiquam perſpici poſſit. Neque nos modeſtiae transgrediemur fines, ſi quando tot celebribus ſaluti humanae dicatis Societatibus *Academiam Caeſaream Leopoldino-Carolinam* adcenſeamus, quae ſub tribus AVGVSTIS per decem fere & quatuor luſtra, quae DEO debetur gratia, rerum medicarum & phyſicarum cognitioni ejusque incrementis amplificandis intenta, per varios caſus, per tot diſcrimina rerum ad praeſens usque tempus floret, & robore Auguſtiſſimi ſuffulta ſe ſuſtinet, inter membra ſua tales quoque, eosque non paucos, venerans viros, qui nominis celebritate & eruditionis laude jam dudum famae immortalis praemium merito ſuo ſunt conſequuti.

Qui

Qui quantum ad ornandas litteras attulerint ſubſidii, præter alia ingenii monumenta tot *Ephemeridum* & *Actorum Phyſico-medicorum* Volumina, fauſtis auſpiciis cœpta, nec ſine adplauſu excepta, quod praefiſcini dixerim, ſatis ſuperque teſtantur. Cujus operis novum rurſus, idque ab eo tempore, quo *Actorum medico-phyſicorum* nomine inſignitum eſt, numero *quintum*, TIBI, LECTOR BENEVOLE, hac occaſione offertur Volumen, antecedentibus nec habitu, nec argumento, nec ordine, quem tamen futuris temporibus juxta partes Medicinae diſponere animus eſt, nec rerum varietate ulla ratione diſſimile. Deprehendes enim in eo obſervationes non quotidiani commatis, hiſtorias, quae mirificas ſummi Numinis recludunt vias, experimenta, quae largam meditationibus ſubminiſtrant materiam, curas denique, celeberrimis Germaniae & exterarum regionum viris enatas & probe expenſas. Plane itaque nullum nos terret dubium, quin & praeſens Volumen eadem benigna ſubeat fata & eundem experiatur favorem, quem priora ab aequis rerum cenſori-

bus eorumque benevolo judicio obtinuerunt. Nec in poſterum ceſſabit noſtra induſtria, ſed favente potius divini Numinis gratia cœptam telam facili ſtamine pertexet. Quo conſilio omnes Societatis noſtrae cives, & eos in primis, qui, ex quo nomina cœtui noſtro dederunt, nulla omnino contulerunt ſymbola, publice & ex Legum noſtrarum praeſcripto monemus, iterumque amice rogamus, id quod jam in Praefatione, Volumini quarto praefixa, a nobis factum eſſe recordamur, ut officii ſui memores, penſa quaedam, quae utilitate ſe & praeſtantia commendant, adhibito ſeligant judicio, & Actis noſtris inſerenda maturo tempore transmittant. Quemadmodum hoc pacto rei medicae conſulimus commodis; ita hiſtoriae quoque litterariae ut ratio habeatur, repetita adhortatione jam providebimus. Intereſt omnino Academiae, ut cives ſuos noſcat; hinc quisque illorum Lege quinta noſtrae tenetur Societatis, ut vitae ſuae curriculum accurate perſcriptum albo Academico curet inſerendum, quo illud in ſacram ac perennem poſteritatis memoriam ſuo tempore in Actis noſtris cum orbe

erudi-

erudito communicetur. Qui itaque & hujus negotii curam huc usque neglexerunt, eos, ut memoriae & famae ſuae hac quoque ratione ſerviant, publico nomine exoratos volumus.

Unicum ſupereſt, quod adhuc deſideramus: (veteres enim non piget repetere querelas;) cum Societatis noſtrae membra, per omnem, qua patet, Germaniam, immo & per exteras regiones diſperſa, & ſic longo temporum intervallo a nobis ſejuncta exiſtant, quorum nec de vita, nec morte, certa unquam ad noſtras aures perfertur fama, facillime utique, & quidem plus ſimplici vice, in ridiculum incidere poſſemus errorem, ut mortuos in vivorum, aut vivos in mortuorum referamus cenſum. Quae errandi occaſio vt praeſcindatur, rogamus, quotquot propoſito noſtro fauent, quotquot cives noſtros adfinitate & neceſſitudine quadam attingunt, ut, ubicunque dura mortis neceſſitas illorum aliquem vivorum numero eripit, triſtis hujus mortis nuntius aut ad Dn. *Præſidem*, aut ad *Directorem* harum Ephemeridum, aut ad Dn. *Adjunctorum* aliquem, benevole mittatur, quod humanitatis officium in totius noſtrae Societatis

cedet

cedet commodum. Quem in finem & huic Volumini Indices demortuorum, de quorum quidem obitu nobis conſtat, & recens receptorum membrorum ab anno 1737. ad 1739. annum uſque adnecti curavimus, adjuncto pio voto, ut ſummum Numen tum totam Societatem ſub umbra Aquilae AVGVSTI tueri & protegere, tum ſingula illius membra ad ſeram usque mortalitatis metam, omni felicitatis genere condecorata & cumulata conſervare velit. Quibus Votis & TV, LECTOR BENEVOLE, ſubſcribes, ſi cœtui faves de Republica docta bene merenti. Vale.

I.

Continuatio
CATALOGI
Dnn. Collegarum Academiae Caeſareae Leopoldino Carolinae Naturae Curioſorum,

ab anno 1737. *usque ad annum* 1739. *in eandem receptorum.*

1737.

Ordo Receptionis

467. Dn. *Joannes David* KOELER, Hiſtoriar. in Academia Regia Goettingenſi Prof. Publ. Ordinar. *Herodotus.*

468. Dn. D. *Caſpar Theophilus* LINDNER, Ligniceuſ. Sileſ. Medicinæ Practicus Hirſchbergenſis. *Leonides II.*

469. Dn. *Joannes Nathanael* LIBERKUHN, Regiæ Berolinenſ. Societat. Scientiar. Sodalis. *Dædalus II.*

470. Dn. D. *Nicolaus* BOERNER, Practicus Neoſtadii ad Orilam. *Aſterion. II.*

471. Dn. D. *Joannes Valentinus* HARTTRAMFFT,

 Me-

Ordo
Receptionis.

Medicus Obſtetricius & Practicus Lipſienſis *Philomuſus. III.*

472. D. D. *Joannes Henricus* HAMPE, Societatis Regiæ Anglicanæ Scientiar. Sodalis & Poliater Londinenſis. *Antigenes Cleophantinus.*

473. Dn. D. *Godofredus Guilielmus* MÜLLER, Vinarienſis, Practicus Francofurti ad Mœnum, *Mundinus.*

474. Dn. D. *Carolus* PISANI, Celſiſſ. Principis atque Epiſcopi Bambergenſis & Würceburgenſis, *PROTECTORIS* noſtri clementiſſimi, Conſiliar. aulicus & Archiater. *Palladius II.*

475. Dn. D. *Gottvvald.* SCHUSTER, Phyſicus Provincialis Chemnicenſis. *Sabinus II.*

476. Dn. D. *Franciſcus Joſephus* GRÜNWALD, Phyſicus Provincialis ſuperioris Bavariæ & Practicus Monachienſis. *Polybius II.*

477. Dn. D. *Henricus Godofredus* ZOPFFIUS, Conſiliarius & Archiater Ruthenicus Greitzenſis, ut & Phyſicus Provincialis. *Zeno II.*

1738.

478. Dn. *Joannes Henricus* GRAETZEL, Goettingenſis, Sereniſſ. ac Potentiſſ. Magnæ Britanniæ Regi a commiſſis negotiis circa officinas operum manufactorum. *Callinicus Heliopolitanus.*

479. Dn.

Ordo
Receptionis.

479. Dn. D. *Georg. Fridericus* MOHR, Liberæ S. R. I. Civitatis Giengenſis Phyſicus ordinarius. *Archimedes III.*

480. Dn. D. *Joannes Chriſtophorus* KÜHNST, Medicinæ Practicus Ronneburgi. *Zoſimus II.*

481. Dn. D. *Samuel de* DRAUTH, Corona-Tranſilvanus, Practicus Medicinæ. *Chryſippus II.*

482. Dn. D. *Georg. Henricus* BEHR, Practicus Argentinenſis & Celſiſs. Comitis *Joſephi* ab Hohenlohe-Waldenburg Archiater. *Glaucias II.*

383. Dn. D. *Rüdiger Fridericus* OVELGÜN, Hattnega-Weſtphalus, Comes Palatin. Cæſar. Medicus Provincialis Moguntin. & Archiater Waldeccenſis, Practicus Fritzlarienſis. *Diophantus II.*

484. Dn. D. *Joannes Theodorus* ELLER, Sereniſſ. ac Potentiſſ. Regis Boruſſ. Conſiliar. aulicus, Comes Archiatrorum Medicorumque caſtrenſium, Director Societat. Reg. Scientiar. nec non Collegii Medico-co-Chirurgici, itemque ſupremi Collegii Medici Decanus, & Adſeſſor Collegii Sanitatis. *Euphorbus.*

1379.

485. Dn. D. *Joannes* STORCH, Conſiliar. & Archiater Sereniſſ. Ducis Saxo-Iſenacenſ. & Sereniſſ. Princi-

Ordo
Receptionis.

cipis Schvvartzburgo Rudolphopolitani, Civitatis & Præſidii militaris Iſenacenſis Phyſicus ordinarius *Erotianus.* *II.*

486. Dn. D. *Elias Fridericus* HEISTERUS, Facultatis Medicæ in Academia Helmſtadienſi Adjunctus. *Soſtratus II.*

487. Dn. D. *Joannes Carolus* ACOLUTHUS, Practicus Zittavienſis. *Caſſius Jatroſophiſta II.*

488. Dn. *Joannes Chriſoſtomus* SCARFO, Neapolitanus, Doctor Theologus Baſilianus, & *Joann. Dominici Milanii*, Marchionis Poliſtinæ Bibliothecarius perpetuus *Polyarchus II.*

489. Dn. D. *Joannes Conradus* TRUMPHIUS, Practicus Goslarienſis, & Metallicolarum Sylvæ Hercyniæ inferioris Medicus ordinarius. *Rufus II.*

490. Dn. D. *Jacobus* MACDONEL, Practicus Hibernus, *Homerus II.*

491. Dn. D. *Joannes van* WOENSEL, Practicus Harlemenſis. *Varro II.*

492. Dn. D. *Joannes* TARGIONIUS,, Botanices Profeſſor Publicus in Academia Florentina. *Theophraſtus Ereſius.*

Ordo
Receptionis

493. Dn. D. *Joannes Gottlieb* BOETTICHER, Practicus Hafnienſis, *Gorgias II.*

494. Dn. D. *Joannes Elias* KIRCH, Reipublicæ Svinfurtenſis Phyſicus Ordinarius. *Archigenes II.*

495. Dn. D. *Daniel de* SUPERVILLE, Sereniſſ. Marchion. Brandenburgico - Baruthini Conſiliar. intimus & Archiater Primarius, Collegii Medici Baruthini Præſes rerumque Medicar. in toto Principatu Director, Regiæ Berolinenſ. Societat. Scientiar. Sodalis. *Appollophanes II.*

496. Dn. D. *Petrus Chriſtianus* WAGNER, Sereniſſ. Marchionis Brandenburgo - Baruthini Aulæ Conſiliar. & Medicus, Phyſicus Adjunctus Erlangenſis, *Plinius Junior.*

)o(

II.

CATALOGVS

Dominorum Collegarum hujus Academiae, intra trienium, nempe ab anno 1736. usque ad annum 1739. quousque quidem nobis conſtat demortuorum.

Ordo Receptionis.

155. Dn. D. *Daniel* NEBEL, Medicinæ in Academ. Heidelbergenſi Prof. Publ. Primar. Sereniſſ. Elector. Palatini Conſiliar. intimus & Archiater. † 1733. d. 15. Mart. ann. ætat. 69. Memoriam ejus communicabimus in *Append. Volum. VI. Actorum* noſtrorum.

208. Dn. D. *Conradus Bartholdus* BEHRENS, Practicus Hildeſienſis, Regius Britannicus & Electoralis Brunsvicenſis Medicus Aulicus, Reg. Boruſs. Societ. Scient. Sodalis. † d. 4. Octobr. 1736. ann. ætat. 76.

216. Dn. D. *Joannes Georgius* HOYER, Patritius & Phyſicus primarius Reipublicæ Molhuſinæ. † d. 4. April. 1738. ann. ætat. 75. Memoria ejus extat in *Append. hujus Volum. pag.* 185.

235. Dn. D. *Joannes Crafto* HIEGEL, Eminentiſs. ac Celſiſs. Principis Electoris Trevirenſis Archiater. † Ao. 1737.

292. Dn. D. *Joannes Chriſtianus* LEHMANN, Phyſices in Academ. Lipſienſi Prof. Publ. Ordinar. Inſtit. Medic. Prof.

Extra-

Ordo
Receptionis.

Extraord. Univerſit. Decemvir, Collegii Princip. major. Collegiatus, Facultat. Philoſoph. Senior. Reg. Berolinenſ. Societ. Scient. Sodalis. † d. 19. Jan. 1739. ann. 64. Memoriam ejus communicabimus in *Append. Volum. VI. Actorum noſtrorum.*

336. Dn. D. *Alexander* CAMERARIVS, Medicinæ Prof. Publ. Ordin. in Academ. Tubingenſi, Horti Medici Præfectus, & Collegii Martiniani ac Hochmanniani Inſpector. † d. 12. Novembr. 1736. ann. ætat. 41.

340. Dn. D. *Joannes Caſparus* FEHRIVS, Præfectus Imperialis & Phyſicus Ordinar. Liberæ ac Imperial. Civit. Svinfurtenſis. † d. 20. Novembr. 1739. ann. ætat. 72.

346. Dn. D. *Joannes* SALTZMANN, Pathologiæ Prof. Publ. Ordinar. in Academ. Argentoratenſi, Capituli Thomani Senior & Academ. Nat. Cur. ADIVNCTVS. † d. 4. Febr. 1738. ann. ætat. 59.

348. Dn. D. *Pius Nicolaus de* GARELLI, Auguſtiſs. Romanor. Imperatoris Conſiliar. & Proto-Medicus, Eques Regii Ordinis Chriſti in Luſitania, Bibliothecæ Cæſareæ Præfectus, & Univerſitat. Bononienſ. Publ. & primar. Medicinæ Profeſs. ad cathedram eminentem conductus † d. 21. Julii 1739.

353. Dn. D. *Georgius Sigismundus* LIEBEZEIT, Nobilis Hungarus, Sereniſs. Marchion. Brandeburgo-Baruthini

Ordo
Receptonis.

thini Conſiliar. & Archiater, Liberæ Regiæque civitatis Semproniensis Phyſicus ordinarius, † d. 30. Nov. 1739.

400. Dn. D. *Caſparus* NEVMANN, Potentiſs. Reg. Boruſs. Conſiliar. Aulicus, Societat. Regiar. Anglicanæ & Berolinenſ. ut & Bononienſ. Scient. & Art. Inſtituti Sodalis, Profeſſor Chymiæ & ſupremi Collegii Med. Berolinenſ. Adſeſſor. † d. 20. Octobr. 1737. ann. ætat. 59.

408. Dn. D. *Joannes Jacobus* NEVHOLD, Medicus Semproniensis & Academ. Nat. Curioſor. Adjunctus. † M. Majo 1738. ann. ætat. 38.

436. Dn. D. *Joannes Petrus* WAHRENDORFF, Practicus Lignicii in Sileſia. † d. 5. Decembr. 1738. ann. ætat. 56.

465. Dn. D. *Joannes Jacobus* GEELHAVSEN, Praxeos Medicæ in Alma Cæſar. Regiaque Univerſitate Carolo-Ferdinandea Pragenſi Profeſſor Publ. Ordinar. † d. 16. Febr. 1738. anno ætat. 46.

III. CA-

III.

CATALOGVS
ALPHABETICVS
EXCELLENTISSIMORVM
VIRORVM,

Qui pro V^to^ hoc Volumine Obſervationes Phyſico-Medicas communicarunt.

Dn. D. *Joannes Carolus* ACOLVTHVS, Medic. Practicus Zittavienſis, A. N. C. *Caſſius Jatroſophiſta II.* p. 181.

Dn. D. *Johann. Sebaſtian.* ALBRECHT, Philoſ. natur. Prof. Publ. & Phyſicus Provincial. Coburgenſ. *A. N. C. Panthemus.* p. 86. 463.

Dn. D. *Ferdinandus Jacobus* BAIERVS, Sereniſs. Marchion. Brandenb. Baruthini Conſiliar. & Archiater, Phyſicus Norimbergenſ. & A. N. C. ADIVNCTVS d. *Eugenianus II.* p. 530. 151.

Dn. D. *Georg. Henricus* BEHR, Celſiſs. Comitis Joſephi ab Hohenlohe-Waldenburg Archiater & Practicus Argentinenſis, A. N. C. *Glaucias II.* p. 173.

Dn. D. *Franciſcus Erneſtus* BRüCKMANN, Poliater Guelpherbytanus, Societ. Reg. Berolinenſ. Scientiar. Sodalis, A. N. C. *Mnemon.* p. 264.

Dn. *Joannes Godofredus* BüCHNERVS, Illuſtriſſim. Comitum Ruthenor. Conſiliar. A. N. C. ADIVNCTVS, d. *Collumella.* p. 97.

Dn. D. *Joannes Philippus* BVRGGRAF, jun. Practicus Francofurtenſ. ad Mœnum. p. 40. 290.

Dn. D. *Johann. Hartmann* DEGNER, Phyſicus Neomagenſis, A. N. C. *Argonauta IV.* p. 11. 503. Append. p. 1.

Dn. D. *Johann. Jacobus* von DOEBELN, Medicinæ Prof. Regius in Academia Londinenſi Scanorum, Colleg. Med. Holmienſ. Adſeſſor, & Reg. Upſalienſ. Societ. Scient. & litterar. Sodalis, *A. N. C. Demarchus.* p. 314.

Dn. D. *Johann. Juſtus* FICK, Medicinæ Pract. Jenenſis, A. N. C. *Fauſtinus II.* p. 66.

Dn. D. *Daniel* FISCHER, Dynaſtiæ Pleſnenſis, S. R. I. Comitis de *Promnitz*, Phyſicus Provincialis, A. N. C. *Cajus.* p. 132.

Dn. *Joan-*

Dn. *Joannes Leonardus* FRISCH, Rector Gymnaſii Berolinenſis & Societat. Reg. Berolinenſ. Scientiar. Sodalis, A. N. C. *Vegetius*. p. 251.

Dn. D. *Joann. Hermannus* FURSTENAV, Prof. Medicinæ Primarius & Oeconomiæ Ordinar. in Academia Rintelenſi. p. 233. 540.

Dn. D. *Benedictus* GVLLMANN, Phyſicus Auguſtanus Sen. A. N. C. ADIVNCTVS d. *Alcinous*. p. 143.

Dn. D. *Paulus* HAASIVS Phyſicus Norimbergenſis. p. 507.

Dn. D. *Joannes Georgius* HASENEST, Conſiliar. & Archiater Brandenburgico Onoldinus & Culmbacenſ. Phyſicus Onoldinæ Metropol. ordinar. A. N. C. *Aſclapon*. p. 448.

Dn. D. *Laurentius* HEISTERVS, Sereniſs. Brunſuicenſ. & Lüneburg. Ducis Conſiliar. & Archiat. Medicinæ, Chirurg. & Botan. in Academ. Helmſtadienſ. Prof. Publ. Regiar. Londinenſ. & Berolinenſ. Societat. Scient. Sodal. A. N. C. *Soſtratus I*. p. 520.

Dn. D. *Elias Fridericus* HEISTERVS, Facultat. Medicæ in Academ. Helmſtadienſi Adjunctus, A. N. C. *Soſtratus II*. p. 456.

Dn. D. *Joannes Fridericus* HENCKELIVS, Potentiſs. Reg. Polon. & Elect. Saxon. Colleg. Metall. Conſi-

liar. A. N. C. ADIVNCTVS, d. *Archagatus.* p. 321.

Dn. D. *Daniel* HOFFMANN, Medicinæ Profeſſor Ordinar. in Academ. Tubingenſi, A. N. C. *Niceratus.* p. 186.

Dn. D. *Joannes Georgius* HOYER, Patritius & Phyſicus Molhuſinus primarius, A. N. C. *Apollodorus I.* p. 254.

Dn. Lic. *Chriſtian. Frider.* JOERDENS, Phyſicus Ordinarius & Scholarcha Illuſtr. Gymnaſii Curienſis in Variſcia, A. N. C. *Micon.* p. 377.

Dn. D. *Wilhelm Andreas* KELLNER, Sereniſs. Ducis Saxo-Iſenacenſ. Conſiliarius & Medicus aulicus, Phyſicus Provincialis, A. N. C. ADIVNCTVS d. *Dieuches II.* p. I. 283.

Dn. D. *Joannes Hieron.* KNIPHOF, Inſtitution. Med. in Academ. Erfurtenſi Profeſſor Publ. Ordinar. Facult. Medicinæ Adſeſſor Extraordin. A. N. C. *Soſagoras.* p. 73.

Dn. D. *Joannes Jacobus* KIRSTEN Chemiæ in Academia Altorffina Prof. Publ. Ordin. p. 538.

Dn. D. *Joannes Chriſtophorus* KÜHNST, Practicus Ronneburgenſis, A. N. C. *Zoſimus II.* p. 345.

Dn. D.

Dn. D. *Joaunes Chriſtianus* KVNDMANN, Poliater Wratislavienſis, A. N. C. *Epimenides.* p. 355.

Dn. D. *Carolus Fridericus* LOEW, Nobil. Hungar. Sereniſs. Ducum Saxo-Meiningenſ. & Würtemberg. Conſiliar. & Archiat. Practicus Sempronienſ. A. N. C. ADIVNCTVS, d. *Pittalus.* *Append.* p. 145.

Dn. *Joannes Theophilus* MICHAELIS, Præfectus Technophylacii Regio-Electoralis Dresdenſis, A. N. C. *Achates II.* p. 82.

Dn. D. *Paulus Gerardus Henricus* MOEHRING, Practicus Jeveræ Friſiorum, A. N. C. *Diocles II.* p. 15. 159. 407.

Dn. D. *Godofredus Guilielmus* MÜLLERVS, Practicus Francofurti ad Mœnum, A. N. C. *Mundinus.* p. 511.

Dn. D. *Daniel* NEBEL, Medicinæ in Academ. Heidelbergenſi, Prof. Publ. primar. Sereniſs. Elector. Palatini Conſiliar. intimus & Archiater, A. N. C. *Achilles. II.* p. 387.

Dn. D. *Wilhelm Bernhard* NEBEL Medicinæ in Academ. Heidelbergenſ. Prof. Publ. Ordin. A. N. C. *Achilles III.* p. 393.

Dn. D. *Caſparus* NEVMANN, Potentiſs. Reg. Boruſs. Conſiliar. Aulicus, Societat. Regiar. Anglicanæ & Berolinenſ. ut & Bononienſ. Scientiar. & Artium In-

ſtituti Sodalis, Profeſſor Chymiæ, ſupremi Collegii Medici Berolinenſ. Adſeſſor, A. N. C. ADIVNCTVS. d. *Syneſius*. p. 220.

Dn. D. *Rüdiger Fridericus* OVELGÜN, Comes Palatin. Cæſar. Med. Provincial. Moguntin. & Archiater Waldeccenſis, Practicus Fritzlarienſis, A. N. C. *Diophantus II.* p. 301.

Dn. D. *Tobias Ferdinandi* PAVLI, Poliater Wratislavienſis, A. N. C *Alcimion*. p. 241.

Dn. D. *Joannes Chriſtophorus* POHL, Practicus Lipſienſis, Colleg. B. M. V. ibidem Collegiatus, A. N. C. *Philadelphus*. p. 401.

Dn. D. *Joannes Adamus* RAYMANN, Phyſicus Eperieſinus in Hungaria, A. N. C. *Ariſtophanes*. p. 153.

Dn. D. *Joannes* SALTZMANN, Patholog. Prof. Publ. Ordinar. in Academ. Argentoratenſis Capituli Thomani Senior, & A. N. C. ADIVNCTVS. *Heraclides II.* p. 489.

Dn. Lic. *Joannes Jacobus* SCHLIERBACH, Phyſicus Provincial. Haſſo - Darmſtadt. Medicus Abbatiæ Waldecco - Schackenſis, Practicus Battenbergæ. p. 267.

Dn. D. Gottvvald SCHUSTER, Phyſicus Provincialis Chemnicenſis, A. N. C. *Sabinus II.* p. 53.

Dn. D. *Joannes* STORCH, Sereniſſ. Ducis Saxo-Iſenacenſ. & Sereniſ. Princip. Schvvarzburgo-Rudolphopolitani Conſiliar. & Archiater, Civitatis & Præſidii militaris Iſenacenſis Phyſicus ordinar. A. N. C. *Erotianus II.* p. 491.

Dn. D. *Joannes Jacob* TREYLING, Sereniſſ. Electoris Bavar. Conſiliarius atque in Academia Ingolſtadienſi Anatom. & Medic. Practic. Profeſſ. Primar. & Senior. A. N. C. *Chæreas.* p. 436.

Dn. D. *Joannes Conradus* TRUMPHIUS, Practicus Goſlarienſis, & Metallicolarum Sylvæ Hercyniæ inferioris Medicus ordinar. A. N. C. *Rufus II.* Append. p. 156.

Dn. D. Otto *Philippus* VIRDUNG ab HARDUNG, Medicus Bambergenſis, A. N. C. *Meliſſus II.* p. 183.

Dn. D. *Paulus Henricus* VOGEL, Medicinæ Profeſſor Publ. extraordin. in Academia Erfurtenſis. p. 317. 404.

Dn. D. *Joannes Fridericus* WEISMANN, Conſiliar. aulicus & Archiater Sereniſſ. Marchion. Brandenburg. Baruth. & Phyſicus Erlangenſis ordinar. p. 537.

Dn. D. *Joannes van* WOENSEL, Medicus Harlemenſis, A. N. C. *Varro II.* p. 518.

Dn. D.

Dn. D. *Joannes Philippus* WOLFF, Illuſtriſſ. Comitis de *Caſtell* & *Rudenhauſen* Archiater & Phyſicus Provincial. A. N. C. *Cleon.* p. 113.
Append. p. 133.

Dn. D. *Henricus Godofredus* ZOPFF, Illuſtriſſ. Comitis Rutheno - Greizenſis Conſiliar. & Archiater, itemque Phyſicus ibidem Provincialis, A. N. C. *Zeno II.* p. 428.

ACTO-

ACTORVM PHYSICO-MEDICORVM ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM VOLVMEN QVINTVM.

OBSERVATIO I.

Dn. D. WILHELMI ANDREAE KELLNERI.

De Pectoris hydrope Sectione cadaveris confirmato.

Nugatorium veterani illius Medici adſertum: *Non dari pectoris hydropem*, (vid. *Ephem. N. C. Cent. III. obſ. 45. p. 99.*) valeat! Valeant apud alios, quantum poſſunt, quinque ab Illuſtri b. m. STAHLIO in *diſſert. de pector. morb.* §. *41.* congeſtæ rationes, hunc adfectum in longe rariſſimorum numerum referentes. Ego uberrimo experientiæ ſuffragio fultam,

 eorum

eorum amplector ſententiam, qui pectoris hydropem, multo frequentiorem occurrere, quam vulgi fert opinio, contendunt. (*a*) Morbi hujus exemplum memoria haud indignum, bona fide, ſequens in conſpectum profert enarratio: Vir quinquagenarius, temperamenti melancholico-ſanguinei, robuſti vero & proceri corporis, ex hypochondriacorum & hæmorrhoidariorum ſocietate, tuſſi (*b*) ſub ingreſſum anni 1731. adfligebatur catarrhali humida, quam lacte caprino, elix. pect. Wed. pillulis aloëticis, aliisque ex propria in rebus medicis adquiſita experientia (erat enim celebris pillularum fabricator ac ſingularis proceſſuum chymicorum amicus) depromptis, ſtrenue oppugnabat. Hujus adfectus palliatio in ea incidebat tempora, quæ noſtrum, cui fortuna indulgendo jam fatigata eſſe videbatur, ex mobili vitæ genere, in ſedentarium, variisque animum angentibus rebus ſtipatum transtulerant. Quid itaque mirum, quod inordinata accedens diæta, hujus viri valetudinem, alias ſat firmam, in dies magis magisque labefactaret, tandemque ad cachexiæ prædam proponeret? Vernali præterlapſo æqui-

a) A cognitionis difficultate, ad exiſtentiæ raritatem, ut in aliis, ita & in hac hydropis ſpecie, nullam valere conſequentiam, locupletiſſimo confirmatur teſtimonio BONETI *in ſepulchr. anat. Tom. I. p. 516. Ill. HOFFMANNI in diſſert. de asthmate convulſ. cum hydr. pect. pag. 5. Ephemerid N. C. Vol. I. obſ. 170. pag. 376. & Vol. III. obſ. 104. p. 332. D. FüRSTENAU in deſider. med. P. II. §. 33. pag.* 168.

b) Tuſſis incongrue tractata, non poteſt non in pulmonibus relinquere imbecillitatem, fœcundiſſimam hydropis matrem. Quis itaque primam hujus mali originem, ad prægreſſam tuſſim referre dubitabit? Simile fatum an. 1733. premebat virum integræ alias ſanitatis, noſtroque quoad temperamentum & corporis habitum, ſimillimum, quem pectoris hydrops, tuſſi ſuccedens, menſe Julio è vivis rapiebat.

quinoctio, febrium, eo tempore tertianarum feraciſſimo, valetudinarius noſter, eundem ſibi imminentem morbum timens, huic varia opponebat medicamina; his nihil proficientibus, meum die XIV. Junii implorabat auxilium, ad pectoris ſtricturas & anxietates præcordiales ex flatulentia, ut putabat, hypochondriaca ortas, removendas. Medicamenta quibus curam adgrediebar, præſtantiſſima varii generis erant carminativa, quæ vero nullum, aut ſaltim exiguum adferebant levamen. Implicatus hic affectus die XXIV. Junii usque adeo a priſtino degenerabat ſtatu, ut in asthma erumperet convulſivum, anxietatibus plane ſtupendis onuſtum, quod ſingulis noctibus revertendo ſummoque cum fervore ad diluculum usque furiando nullum concedebat ſomnum. Superatis aliquot, momentaneam ſuffocationem minantibus paroxysmis, ego, contradicente licet ægroto ſedem pertinaciſſimi hujus omnemque medelam eludentis morbi, non in hypochondriis, ſed pectoris cavitate, ſeroſa colluvie aggravata, (c) publice decla-

ravi,

c) Quam lubrica & fallacia ſint ſigna pectoris hydropem indicantia, licet pathognoſticorum nomine ſuperbiant, tum ex aliorum, tum propria experientia præclare docuit *D. RAYMANN in Ephemerid. N. C. Vol. I. obſ. 17. pag. 374. ſqq.* Sic *D. SCHREY* imitando ſane exemplo, ingenue in *Ephemerid. N. C. Vol. II., obſ. 34. pag. 89.* profitetur, ſe erraſſe, in judicando hoc morbo, illumque, non niſi poſt mortem, ſcalpelli anatomici ope, cognoviſſe. Quantum vero ſit artis opus, asthma, quod hypochondriacum adpellant, a noſtro, præprimis in incremento adhuc conſtituto, rite diſcernere, ſufficiat hoc loco Excell. *Uratislavienſium* Medicorum in *tr. de pect. hydrope cap. I. §. 1. p. 2.* teſtimonium. Indicia, quibus ego commotus, hypochondriis ſedem hujus mali denegavi, fuerunt 1) adpetitus ſibi ſatis conſtans, 2) excernendorum per alvum & urinam non interrupta excretio, 3) flatuum abſentia 4) hypochondria tactu ſalva,

ravi, ſimulque ſerio ſuaſi, ut alius Medicus, experientia & eruditione illuſtris, in conſilii partes advocaretur. Hic venæſectione (*d*) in pede, aliisque, quidquid ex artis erat poteſtate remediis, omnes in ſanatione hujus mali, experientiæ & eruditionis, contendebat nervos, ſed irrito plane conatu. D. XVIII. tumor pedum œdematoſus conſpiciebatur, qui ex hoc tempore, ob corporis continuum in ſella ſitum erectum, in dies majora ſumebat incrementa. (*e*) d. XXIV. Pillulæ polychreſtæ ſic dictæ, ab extraneo quodam Medico oblatæ

5) paroxysmi nocturno tantum tempore recurrentes, omniumque 6) remediorum effectum elidentes.

(*d*) A venæſectione, quam parum auxilii in hoc adfectu ſit ſperandum teſtantur *Uratislau, l. c. cap. 3. §. 1. Ill. HOFFMANNUS l. c. §. 27.* & *Acta Med. Berolinenſ. Dec. I. Vol. X. pag. 34. & 49. ſq.*

(*e*) Tumor hic, ſymptoma eſt pectoris hydropi tam familiare, ut merito exemplum ab *Ill. HOFFMANNO in diſp. cit. §. 30.* & *Med. ſyſtemat. Tom. III. Part. III. pag. 353.* prolatum, ubi nullus neque in abdomine, neque in pedibus, adparuit tumor, rarioribus adſcribatur. Pedum tumores teſte non fucata ſolidaque experientia, hoc habent ſingulare, quod ſtagnans in illis colluvies ſeroſa, ad pectus per metaſtaſin transferatur creberrime, facillimeque, e pectore contra, ad pedes, non niſi rariſſime difficillimeque. Quem enim latet, quam irritus inanisque ut plurimum ſit labor, qui a Medicis, ad imminuendum ſubtrahendumque ſerum pectoris cavitati incluſum, in pedes impenditur? quo nomine celebrantur frictiones, ſuffitus, fotus, pediluvia, ſcarificationes, veſicatoria, & quæ ſunt hujus farinæ alia. Spontaneas rupturas, toties quoties fruſtraneas, jam ſilentio prætereo. Audiamus *V. RIEDLINUM*, eodem præjudicio captum, in *Ephem. N. C. Cent. III. obſ. 45. pag. 99.* qui in pectoris hydrope commendavit fomenta, quia ſi ſerum per pedes tumefactos *forſan* ſubtrahi poſſet, & in pectoris cavitate imminutum iri ſperavit, de quo ſubſidio, licet non adhibito, ſe haud fruſtra cogi-

oblatæ aſthmaticum paroxyſmum mirifice exaſperabant. (*f*) Die II. Auguſti pulſus in carpo ſiniſtræ manus (*g*) magis inordinatus debilisque quam in altero latere obſervabatur. Urina in mediocri excernebatur quantitate, lixivio-

taſſe, detumeſcentes ſub vitæ finem pedes, aſt aſthma hinc mirum quantum auctum, indicio quodam fuiſſe, putat. Mihi ante oculos adhuc obverſatur vir anno 1730. ejusdem hydropis ſpecie, prægrandi pedum ac ſcroti tumore comitata, laborans, qui conſilium Medici cujusdam, ad producendum augendumque in pedibus œdema, mediante eorum ſitu perpendiculari, ad extremum usque halitum, queribunda proſequebatur voce. Obſtupui vero, cum an. 1733. non conquerentem, ſed lamentantem invenirem alium, de ſuffitu vaporoſo ex lacte, ad facilitandos in pedibus jam tumidis, ſudores ſpontaneos, adhibito. Hoc enim vix adplicatum remedium, excipiebat aſthma, non niſi morte piandum. Vaporoſorum balneorum, in pedum œdemate, uſum, ab abuſu perite diſcernunt *Acta Med. Berolinenſ. Dec. 1. Vol. VII. p. 7.*

(*f*) Pillularem controverſiam, de qua agitur in *Act. Med. Berol. D. I. Vol. X. pag. 41. & Annalib. Uratislau. Tent. XIV. pag. 652.* meam hic non facio, neque a me impetrare poſſum, ut credam, pygmæis remediis gigantæos vinci poſſe morbos.

(*g*) Regularem & æqualem in hoc morbo pulſum, tamquam rariſſimum adnotaverunt *Act. Med. Berol. D. I. Vol. X. pag. 36. & commerc. litterar. An. 1733. pag. 84.* Sæpius occurrit pulſus irregularitas, in altero tantum latere; qualem me in quinque perſonis, ſimili morbo correptis, obſervaſſe, adhuc memini, & ab aliis obſervatum legi. vid. *BONETI Sepulch. Tom. I. p. 519. Ill. HOFFMANNI diſſ. cit.* §. 30. *Med. ſyſtem. Tom. III. P. IV. p. 353. & Ephemer. N. C. Vol. I obſ. 213. pag. 470.* Tangenda itaque eſt utriusque carpi arteria, antequam de pulſu pronuntietur, docentibus *Act. med. Haffn. Vol. I. P. I. obſ. 68. pag. 150. & Ephemer. N. C. D. I. A. IX. & X. obſ. 61. pag. 152. ſqq.*

ſa, copioſis ad vitri latera concreſcentibus cryſtallis tartareis turgida. (*h*) Aſthma in dies magis increſcens, jam nullum plane cubandi amplius concedebat actum; immo quotiescunque æger oculos tantum ad ſomnum componebat, corpus leviſſime movebat, loquelam intendebat, aut inſpiratum aërem diutius retinebat, toties novo percellebatur inſultu. (*i*) Hæc omnia flatulentiis ſplenicis, ex obſtructo meſenterio ortis, noſter, pro captu ſuo, adſcribebat, in eaque magis confirmabatur ſententia, cum die III. Auguſti, aſthmatico paroxyſmo conjungeretur copioſa muci albi & inſipidi, expectoratio (*k*) nulla plane tuſſi comitata. Scrocum

(*h*) Quare urina, quæ circa initium, imminente hoc morbo, excernitur alba & copioſa, increſcente eo, ſaturatiorem adquirat colorem, parcius fluat, ac varia ſedimenta deponat, docte explicant *Uratislavienſes l. c. cap. 2. §. 20. pag. 43.*

(*i*) Quamvis hæc omnia digitis quaſi monſtrabant, latentem in pectore hydropem; duo tamen, inter ſigna hujus morbi alias haud infimum locum occupantia, in hoc ſubjecto deſideravi, aquarum, fluctuationem & tuſſim. Quo itaque inde fortaſſis ſubortus ſcrupulus adimatur, de utroque quid ſentiant alii, paucis explicabo: celeb. *RAYMANNUS* in *Eph. N. C. Vol. I. obſ. 170. pag. 383.* Fluctuationem pro inſeparabili & maxime proprio ſigno cum *GOHLIO* in *Act. Berol. D. I. Vol. X. pag. 28.* venditare non audet. Ipſe tamen *GOHLIUS l. c. pag. 36.* in alio fluctuationem deprehendiſſe nullam, haud obſcure indicat. Simile quoque exemplum proſtat in *Commerc. litt. 1733. pag. 84.* An vero prolata a *D. RAYMANNO* ratio, quare talis fluctuatio non ſemper audiatur, ad præſentem adplicari poſſit caſum, inferius examinatur. Quod tuſſiant ut plurimum vid. *Act. med. Berol. l. c. p. 26.* Sed non ſemper teſtantur *PISO de ſeroſ. colluv. obſ. 51. pag. m. 213. & Ephemor. N. C. Dec. I. A. III. obſ. 37. p. 149.*

(*k*) Utrum ex pulmonibus tantum, an ex pectoris cavitate per pul-

tum, paroxyſmi tempore, dolorificam patiens corrugationem, per totius morbi curſum, ab omni tumore (*l*) manebat immune. Die V. Auguſti motus infra cordis ſcrobiculum obſervabatur palpitatorius. (*m*) Die XI. ejusdem duo nova ſymptomata accedentia, calor nimirum febrilis & diarrhœa, asthma haud parum adlevabant, decumbendique ægroto facultatem reddebant liberam. Adeo, ut quam fruſtra a copioſis remediis convocatis, ſibi promiſerat medicinam, jam ab ipſo morbo impetraſſe, videretur. Quantum vero ab asthmatis decedebat ferocia, tantum accedebat virium imminutioni. Sic die XVI. Auguſti ægrotum in mortis inveniebam agone; manus enim & pedes intenſiſſimo rigebant frigore, mentisque præſentia intercurrentibus turbabatur deliriis. Oris labia rubicundo ſplendebant colore, qualem æger in potionibus analepticis mire averſabatur. Artuum frigus mox evaneſcendo, mox revertendo, ad

mones, hic mucus ejiciatur, eſt de quo egregie diſputatur *in Act. Berol. D. I. Vol. X. pag. 18. ſqq.*

(*l*) Quo, ad explicandam rationem, quare in hac hydropis ſpecie, ſcrotum ſæpe in tumorem attollatur, antequam vel venter, vel pedes intumeſcant, utuntur argumento *Medici Uratisl. l. c. cap. I. §. 8. pag. 7.* mirificum ſcilicet, thoracis, cum partibus genitalibus conſenſum, de quo plura vid. apud *PISONEM l. c. obſ. 55. pag. m. 217. Ephemer. N. C. Cent. III. obſ. 83. p. 204.* Idem, eodem jure, ad noſtrum hunc caſum, quo minus adplicem, quid impedit? Curioſum eſt quod *Act. Berol. D I. Vol. X. pag. 39.* perhibent, de viro eodem morbo oppreſſo, cujus mentulam tantum, nullatenus autem ſcrotum, occupavit tumor. Inter molimina hæmorrhoidalia, crebrius occurrit, dolorificus & vagus, teſticulos ac ſcrotum percurrens, ſenſus.

(*m*) Utrum hic motus a muſculorum abdominis, vel diaphragmatis, convulſione, an a ventriculi palpitatione, traxerit originem, aliorum ingenio & conjecturæ committitur.

ad diem usque XX. alternabat, quo præter omnem ſpem, illum, quem in mortis faucibus quaſi hærentem, deſerueram, nunc ex illis, miraculi ad inſtar, ereptum, inveniebam. Nox ſubſequens dulciſſimo conſumpta ſomno, pulſus in manu ſiniſtra priſtino fere redditus robori, aliaque adſtantibus, de feliciter nunc ſuperato morbo, triumphi cantum eliciebant. Quid? quod ipſe æger, nil niſi beatam a Deo expetens analyſin die XXI. raro ſane exemplo, (*n*) me advenientem, effuſis lacrymis, his excipiebat verbis: Ach es ſcheinet, als ob mich GOtt nicht haben wolte! Fucata hæc de recuperanda valetudine ſpes (*o*) ad diem XXII. Auguſti usque durabat, quo asthma, quod ultra XIV. dies ſepultum jacuerat, inopinato & miro cum impetu erumpens, omnia nunc perdita & conclamata eſſe, clariſſime monſtrabat. Superatum hunc inſultum, calor excipiebat febrilis, ſitis, ſummaque virium proſtratio, quibus obrutus æger, die tandem XXVI. Auguſti, morbo naturæ reddebat debitum. (*p*) Cadaver ſequenti mortem die, cultro anatomico luſtratum, ſequentia in abdomine monſtrabat: I.) Omentum omni pinguedine deſtitutum corruptumque. II.) Hepar exſangue, cujus veſicula fellea, bile craſſa & nigricante repleta, ovum gallinaceum magnitudine æquabat. III.) Ventriculum album & papyraceum. IV.) Inteſtina tenuia, variis

(*n*) Quod de mira vivendi cupiditate in hydropicis tradunt *Ephem. N. C. Cent. X. obſ. 77. pag. 397.* hoc magis ad illos, qui in abdomine, quam in pectore hunc hoſtem gerunt, pertinere, idem ille Auctor in Scholio, haud obſcure indicat.

(*o*) De morte in agonizante critice dilata vid. *Ephem. N. C. Cent. III. obſ. 100. pag. 239 ſq.*

(*p*) Non eodem ſemper modo vitæ filum abrumpi hoc morbo detentis, teſtantur *Uratiſl. l. c. cap. 1. §. 14. pag. 11.*

variis in locis, inflammatione gangrænoſa infecta (*q*) V.) Pancreas ſcirrhoſum. (*r*) VI.) Lienem & VII.) Renes ex omni parte ſanos. VIII.) Meſenterium glandulis ſcirrhoſis refertum. IX.) Ipſam abdominis cavitatem, ab omni extravaſato humore vacuam. (*s*) Pectus apertum noſtris ſubjiciebat oculis: 1) Seri flaveſcentis, limpidi & inodori, utramque thoracis cavitatem occupantis, plus quam quatuor libras. (*t*) 2) Diaphragmatis ſuperiorem partem in-

 flam-

(*q*) Habes mortis, non morbi cauſam.

(*r*) Pancreas & meſenterium ſcirrhoſum, in aliis eodem morbo defunctis, vid. *Ephemer. N. C. Cent. IV. obſ. 115. pag. 271. & Annales Uratiſl. Tentam. XI. pag. 218.*

(*s*) Viſcerum in abdomine labem, ad extravaſationem ſeri in pectore, hic parum aut nihil contribuiſſe, ex hoc clare patet.

(*t*) Variam humoris, qui in pectoris cavitate reperitur, qualitatem & quantitatem, explicant *Uratiſl. de pect. hydr. cap. 1. §. 15. & 16.* Utrum vero in noſtro ſubjecto, morbo in ἀκμῇ conſtituto, humoris eadem fuerit quantitas, quæ poſt mortem fuit inventa, nihil certi determinare ſuſtineo. Notabiles enim illæ aſthmatis induciæ, probabile reddunt, diarrhœam & calorem febrilem, ſeroſam imminuiſſe colluviem. Quo conceſſo, facilis eſſet dubii, ſupra ſub litt. (i.) moti, reſolutio. Augeri vero ejusdem humoris quantitatem ſæpe in ipſo mortis articulo, immo interdum poſt mortem demum, quis neſcit? Virgo, in qua, referente *BONETO in Sepulcr. T. I. pag. 519.* nulla neque difficilis reſpiratio, neque fluctuatio aquarum unquam fuit obſervata, ex cujus tamen, poſt mortem inopinatam, aperto thorace, aquæ viroſæ magna effluxit copia, aliud indicat? Quare extra omne poſitum eſt dubium, quod & aſthmatici ſæpe inopinata opprimantur morte, in quibus mortis, minime vero morbi, ſe poſt mortem prodit cauſa. Id quod illorum accuratiori relinquitur examini, qui ejusmodi exemplis, ad ſigna a plerisque Medicis pro pathognomonicis vendita, infringenda, utuntur. vid. *Commerc. litt. 1733. pag. 84.*

flammatam, excoriatam, (*v*) variisque excreſcentiis ſcrophuloſis, rubicundis & diverſæ magnitudinis obſitam; quales etiam in mediaſtino & pericardio, hinc inde prominentes, noſtros alliciebant oculos, ex quibus inciſis corrupta glanduloſa prodibat ſubſtantia. (*x*) 3) Dextrum pulmonis lobum, in parte antica pleuræ arctiſſime adnatum, alias ſanum, ſiniſtrum vero liberum, ſed in parte inferiori inflammatione & putredine correptum. 4) Pericardium humoris limpidi continebat uncias quatuor. Et denique 5) cor haud vulgaris magnitudinis coagulato infarctum cruore, in ſiniſtro ventriculo polypoſa rudimenta monſtrabat copioſiſſima.

(Iſenaco Erfordiam miſſa d. 12. Januar. 1737.)

(*v*) Excoriatio haud obſcure indicat humoris acrimoniam, de qua vid. *Uratisl. l. c. cap. I. §. 15. pag. 12.* & *Acta Med. Berol. D. I. Vol. VIII pag. 36.* a qua ipſum diaphragma perforatum fuiſſe, perhibent jam laudata *Acta Dec. I. Vol. VI. pag. 96.*

(*x*) Ejusmodi tubercula, quæ in hydropicis ſæpiſſime reperiuntur, nihil eſſe aliud, quam producta morboſa, ex glandularum numero proſcribenda, oculatiſſimo noſtri ævi anatomico debemus HEISTERO. OTTO HEURNIUS, in puella hydrope pectoris & abdominis defuncta, innumeras, notabilis magnitudinis, invenit ſtrumas, quibus omentum, pancreas, meſenterium, diaphragma & mediaſtinum ſcatebant. vid. *Uratisl. l. c. cap. I. §. 18. pag. 1*[illegible]. In alio cor admodum parvum, exſiccatum & præter pr p'er centum tuberculis, per totam ſuperficiem, obſitum, pericardii quoque aqua deſtitutum, obſervatum fuiſſe teſtantur *Ephemerides N C Dec. II. A. VI. obſ. 194. pag. 386.* conf. *Act. Berol. Dec. I. Vol. X. pag. 76.* Perquam curioſa vero eſt obſervatio in *Ephem. N. C. Dec. III A. I. obſ. 22. pag. 44.*, de puerpera riſu & ſingultu necata, cujus diaphragma undiquaque veſiculis, polyporum colore, protuberans, fuit inventum, ex quibus apertis ſeroſus acidiſſimus emanavit liquor. Quare ægrotus noſter a riſu & ſingultu manſerit immunis, determinare minime ſuſtineo.

OBSER-

OBSERVATIO II.

Dn. D. JOH. HARTMANNI DEGNERI.

De

Peritonæi hydrope ſaccato externo.

Non tantum interna capitis, thoracis & abdominis viſcara, ſed & externas corporis humani partes morbo hydropico corripi, tumores varii & collectiones aquarum peculiares, hinc inde a multis Medicis notati, teſtantur; & quidem vario eventu, frequentius tamen funeſto; inprimis ubi ſedes mali interius adeo latuit, ut non niſi poſt fata cultri anatomici ope in conſpectum produci potuerit. Inter hujus adfectus caſus oppido raros cum læto eventu non immerito cenſendus eſt hydrops ſingularis, quem cum publico communicare operæ pretium duxi. Nimirum fœmina quædam, piſtoris uxor, quinquaginta & aliquot ultra annos nata, habitus corporis obeſi, ſed ſatis ſana, & plurium liberorum mater, ante duodecim circiter annos in inguine dextro ſentit tumorem, piſi magnitudinem vix æquantem, & leviter dolentem. Ob loci conditionem pudet adire Medicum, donec hic tumor ſenſim ſenſimque adcreſcens poſt duorum annorum decurſum ad ovi gallinacei figuram ſe extenderet, ſibique nunc incommodum & periculum minari videretur. Conſuluit me tunc ſuper hac excreſcentia, quam duram tactuique minime cedentem, ſed ad tactum dolentem deprehendi; hinc dubius adhuc, ad quam adfectus ſpeciem ille ſit referendus, ipſi ſuaſi, ut pro tempore nil adplicaret, ſed negotium tempori & naturæ committeret, quæ monſtratura eſſet, quid ſpecialius & cum ſucceſſu ſit agendum, Abhinc conſilio

ita tenaciter morem geſſit, ut, licet quandoque illam viderem, non niſi leviter de tumore ſuo ſemper augeſcente mentionem faceret. Moles illa interea annuatim accrevit, & quidem eam in magnitudinem, ut duarum ſpithamarum longitudinem & trium craſſitiem nunc ſuperaret. Abdomen præterea ſenſim cum tumore attollebatur, & in magnam molem excreſcebat æquali altitudine. Patiens cæterum officia domeſtica more ſolito obibat, hancque molem ſine corporis aut virium jactura ſatis patienter tulit, nil fere conqueſta, niſi quod grave hoc pondus, ad pudenda & femora propendens, ipſi tantæ moleſtiæ eſſet, ut nec ſtare nec ſedere, nec in lecto decumbere commode valeret. Tandem menſe Martio hujus anni tumor hic in fundo incipiebat rubere, inflammari & acriter dolere, quo viſo, & adplicato cataplasmate poſt aliquot dies magno cum vulnere diſſilit tumor, magnamque aquæ claræ effundit quantitatem. Effuſo vero liquore membranam albam ex vulnere propendere obſervant chirurgus & adſtantes, hancque primo adſpectu pro inteſtino habuerunt; re vero paulo accuratius examinata, digito eam prehendit chirurgus, quam cum ſequi ſentiret, totam extrahit extra vulnus. Mirum fuit viſu. Monſtrabant enim ſaccum membranaceum, minimi fere digiti craſſitiem craſſum, veſicæ bovis non abſimilem immo multo majorem. Hoc vero maxime mirandum, quod nulla in eo apertura, præterquam in loco inflammatione macerato, detegi potuerit. Dum vero folliculus hic admirationem excitabat, vulneris profunditas non minorem inſpirabat ſtuporem. Caput enim humanum ſi immiſſum fuiſſet, tamen non impleviſſet cavum. Parietes ejus ubique erant glabri, quaſi calloſi, uniformes, nullibique quidquam præter naturalis obſervari potuit, niſi in loco muſculi, ubi ſaccum cum radice ſua adfixum prodiiſſe conjectura adſequi licebat; ibi enim ſtigmata quædam, cicatri-

catri-

catricis quaſi formam exhibentia, ſe intuenti offerebant. Vulnus balſamicis partim, partim plumaceolis ſiccis deligavimus, & obſervavimus, magnam adhuc quotidie ex abdomine deſtillare aquæ limpidæ quantitatem, hacque evacuatione etiam rite ſuccedente tumorem ventris magis magisque ſubſidere. Hinc ægræ ut in locum vulneris decumberet, ſuaſimus, ſic enim majorem liquoris exſtillare copiam notavimus, quam ſi in poſitu corporis oppoſito cubaret ægrota. Interea patiens noſtra, quæ cum tumore (ſi licet ita loqui) ſano ſana erat, cum hoc ægrotante ægrotare, de toto abdominis dolore conqueri, & febre lenta laborare cepit, & quidem eo vehementius, quo magis abdomen detumeſcere videbatur, parcioremque tunc reddebat urinam rubram & craſſam. Sed exhibitis leniter laxantibus nitroſo-abſorbentibus, & roborantibus internis atque externis, omnia tranquillius & ex voto ſuccedebant. Nil vero magis nos nunc angebat, quam ut nobis vix perſuadere potuerimus, quomodo labia hujus vulneris adeo ampla & laxa, abdomenque ita relaxatum, ſe iterum adeo corrugare & contrahere poſſent, ut vulnus hoc adeo profunde viſum iterum clauderetur. Vidimus tamen, quod natura partes corporis eadem ratione contrahere valeat, qua illas relaxare novit. Factum hinc eſt, ut evacuata omni aqua, prior abdominis robur & tonus rediret, vulnusque intra decem ſeptimanarum ſpatium conſolidatum fuerit, patiensque optima nunc fruatur valetudine. Adfectum vero hunc hydropem ſaccatum adpellandum eſſe, nemo inficiabitur, cum, quod nulli alii, adfectui adſcribendus ſit, ipſa hiſtoria doceat. Peritonæum quoque & abdominis muſculos adfectos fuiſſe, inde patet quod ſaccus ille in ſua radice externe illis adnatus, aut forſan inde prognatus fuerit; & licet ille nobis inpervius viſus fuerit, tamen radice ſua peritonæo implantatum fuiſſe, & cum hoc conſpiraſſe, ex eo

liquet, quod unacum incremento aquæ in ſacco contentæ, ipſe quoque venter increſcebat, ſeparato vero hoc ſacco ex eo ipſo loco, cui adhærebat, & inprimis ſitu corporis mutato, abdomen ſe iterum exonerabat. Dein omnem illam aquam, quæ toto morbi decurſu e vulnere effluxit, non in ipſius abdominis cavo ſtagnaſſe, ſed intra ejus muſculos & peritonæum collectam fuiſſe, ex eo quoque colligitur, quod hic liquor limpidus clarusque fuerit, ægraque ventris ſui tumorem absque ſanitatis detrimento tulerit, quod alias fieri non potuiſſet. Præterea plures Ephemeridum noſtrarum obſervatores, aliique Medici clari varios hydropis notarunt caſus, qui in eo noſtro non abſimiles judicandi ſunt, quod humores aquoſos vel per ſe ſtagnantes, vel peculiari tunica, tamquam ſacco, vel veſicis pluribus incluſos, modo intra cavitatem abdominis, modo intra peritonæum & tunicas muſculorum abdominis hærentes, poſt mortem ægrorum invenerunt. Huc adnumerare licebit exempla illa, ubi hydrops, ex alliſione corporis in pavimentum, vel aliam materiam duram, ſubſequente alvi dejectione ſolutus fuit, vel defluente in ventris cavitatem, & ibi putreſcente ſero, hominis interitum produxit. De generatione vero & cauſis genuinis hujus adfectus, unde nimirum, quomodo & qua via hic ſaccus prognatus ſit, & in tantam molem excreverit, ſi nunc diſſerere vellemus, ſcio quid alii de glandulis tumefactis, aut de vaſorum lymphaticorum extremitatibus dilatatis, aut de ſtructura celluſoſa membranæ adipoſæ philoſophentur; cum vero veram morbi formam minime exhauriant, ulterius conjecturæ locum dare nolo. Ad curam quod attinet, ſi unquam, certe in hac hydropis ſpecie manus chirurgica opem potuiſſet adferre ſalutarem. Sed cum a priori non conſtaret, quid monſtri ille aleret tumor prætereaque ægra manum Chirurgi abhorreret, tandem ipſa moles pondere

ſuo

ſuo ad radicem dehiſcens, inflammationi & curæ aperuit viam.

(Noviomagi Erfordiam miſſa d. 20. Januar. 1737.)

OBSERVATIO III.
Dn. D. PAULI HENR. GERARDI MOEHRINGII.
Hydrops univerſalis, cum apoplexia, epilepſia, phrenitide, vermibus, &c. ſanata.

Conſpirant heic una in femina tot, quot viginti alios ſat cruciare poſſunt, mala, quorum omnium ultimus terminus mors & mihi, & reliquis adſtantibus ultra menſem videbatur. Conſpirant, inquam, heic omnia, quæ infinitam humani inforrunii ſeriem commonſtrare valent. Optume igitur MARCELL. PALINGENIUS *in Zodiac. vit. L. VI. p. m. 136. ſq.* cecinit:

Quis poſſit carmine morbos
Innumeros, quibus eſt obnoxia vita, referre?
Quot febres, quot languores, quot ubique dolores
A capite ad plantas? humanum corpus ut extra,
Sic intus patitur: per ſingula membra venenum,
Infudit natura homini: caput, & manus, & pes,
Et latus, & ſtomachus, graviter torquentur, & aures
Atque oculi, & fauces, renes: quid cætera dicam?

Attente hiſtoriam, inferius deſcriptam, conſideranti, ſinguli occurrent morbi, qui enarratarum modo partium functiones ſatis ſuperque læſere. Conſpirant itaque heic quoque omnia, ut ſpem præter & opinionem grata rediret ac incuſſa poſthæc ſanitas. Quin & cuncta tandem maxume con-

conſpirant, ut ineffabilis Dei gratia remediorum legitimum nos uſum doceat, artemque noſtram, in generis humani ſalutem, ad altiorem evehat certitudinem. En hiſtoriam! *An. 1734. de 2. Nov.* ad Judæam, in vico, unum milliare a civitate noſtra diſtante, habitantem, 45. annorum, ſtaturæ pumilæ, tenerioris ac macilentæ, cholericam, & aliquot liberorum matrem, fluxusque muliebris jam expertem, vocabar, quæ per anni quadrantem hydrope univerſali, leni gradu inchoata, laborabat. Quæ cum Chirurgi alicujus medicaſtri curæ ſe concrediſſet, tantum ex gutta Gambodia vomitorium ac draſticum purgans ab eodem accepit, ut 26. vicibus ἄνω καὶ κάτω purgata, vehementer debilitaretur. Poſt alios quinque dies idem repetens, plures 30. vomitibus ſedibusque paſſa eſt. Qua violenta excretione vires adeo fractæ ſunt, ut in lecto ſupina decumbens, commovere ſe nequiret. Tota autem corporis ſuperficies, quum ipſam primum viderem, valde tumebat, ſplendebat, tactui reſiſtebat, frigidiſſima exiſtebat; ſed in pedibus fovea, poſt horam vix evaneſcens, relinquebatur. In artubus præterea inferioribus, a pube ad calcem usque ſenſum frigoris fere intolerabilis percipiebat, ad quem paullatim mitigandum ſtercus quidem columbinum intenſe calefactum femoribus atque tibiis circumdabat, ſine ulla tamen frigoris, quantum perſentire poterat, imminutione, ſitis porro magna; urina tenuis, pellucida, aquoſa; pulſus, quem LOMMIUS de leucophlegmatia tradit; tuſſis arida; alvus tandem occluſa, niſi variorum ope purgantium quotidie ſolveretur. Ex conſilio itaque perill. L. B. a BRUNN *Act. N. C. Vol. I. obſ. 128. p. 275.* hoc modo corticem Peruvianum occultabam: Rec. *Pulv. Cort. Peruv. ſubtiliſſ. unc. ſem. Regul. antim. medic. drachm. I. Myrrh. Cinnab. antim. ana Scrup. ſem. Caſtor. gran. V. Extr. trifol. fibr. Scrup. IV. M. f. c. ſolut. Tragac. q. ſ. pil. ex. drachm. I. num. XVII. conſp. pulv. lycopod.* ſumat ter de die num. XIII. ſuper-

ſuperbibendo hauſtum cerevisiæ, baccis junip. ſaturatæ, quâ etiam cerevisia medicata, pro potu ordinario utatur. Rec. *Ciner. Geniſt.* (vel ciner. cujuscunque alius plantæ, copioſo ſale fixo abundantis,) *libr. ſem. quibus fervidis adfundantur vini gall. lib. IV. Colat.* ter in die ſex uncias, reciproce cum pillular. gran. v. hauriat; mane hora 8. pomerid. hor. 2. & veſperi hora 7.

D. 5. Nov. ex ſumtis pilulis eam valde purgatam eſſe, nuntiabatur. Ne igitur debilis ægrota adhuc magis debilitaretur, minorem paulo pilularum doſin ſumendam monebam. Præter ea tumorem in facie omnem fere verſus latus ſiniſtrum cum notabili duritie moveri, referebatur, id quod ego abinde, quod ægra ſæpius lateri ſiniſtro incumbebat, provenire arbitrabar.

D. 15. Nov. horripilationes in cute vagas nonnunquam, referente filio, ſentiebat. Abſinthio tumentibus partibus inferioribus & pectori calide in ſacculis adplicato, tumor paululum ſecedere videbatur; ablatis ſacculis, ſtatim redibat. Ceterum debilitas ægrotantis eodem, quo fuerat, in gradu perſiſtebat. Medicamenta priora continuari jubebam.

D. 18. Nov. hæc litteris conſignata legebam: Ægra, quæ antea tam frigida ſemper erat, ut neque calidiſſima fornace incaleſcere poſſet, noviſſima ſeptimana bis ſudore perfuſa eſt; tumor in omni corporis ſuperficie vix ad ſenſum depreſſior evadit; nonnunquam ſingultu, brevi tamen diſparente, vexatur; alvus quolibet fere νυχθημέρῳ viceſies circiter ſolvitur; ſerum tamen effluens, tenue, vario colore, nunc flavo, nunc cinereo, frequentiusărideſcente ac nigricante ſaturatum exſiſtit; anorexia manet; ſumtos cibos eructat; medicamenta, priori adhuc methodo hauſta, hærent; circa meridiem fugacibus lipothymiis plerumque corripitur, quas taleolo citri, ſaccharo conſperſo, ac deglutito, bis depu-

lit; ceterum quovis mane refocillatam ſe ſentit, creſcente quamvis die debilior rurſum evadat; nec foveæ tandem, malleolorum in pede cuti impreſſæ, adeo pertinaciter ſubſiſtunt, ſed citius reſurgere videntur; capillitium frequentibus ulcuſculis, materiam albam fundentibus, circumcirca, ac totum inquinatur; ſitis aliquantum remittit.

Priora medicamina continuabat, pilularum tamen doſis minuebatur, ita ut alternis tantum diebus easdem devoraret.

D. 22. Nov. hæc ex litteris: tumor in pedibus, manibus, abdomine decreſcebat; in dorſo augebatur; ſerum per alvum in paullo minori, ob pilularum parciorem uſum, copia effluebat, atque conſiſtentiam & calorem fæcum cereviſiæ habebat; ſumtos cibos adhuc evomebat; alias magis reficiebatur; foveae circa malleolos pedum impreſſæ, citius attollebantur. Rec. *Tinctur. Antim. acr. unc. ſem. Liqu. terr. fol. tart. drachm. ij. Liqu. C. C. ſuccinat. drachm. j. M.* ſumat ter die XXX. gut. præter ea in uſu priorum remediorum perſiſtebat.

D. 26. Nov. hæc: jam vomitus ceſſabat; adpetitus augebatur; melius quoque cibos digerebat; tumor hydropicus locum ita mutabat, ut nunc a ſuperioribus ad inferiora, nunc ab inferioribus ad ſuperiora tenderet; ſed in femore immutabilis tumor; circa veſperam in femore rigiditas, & in genubus; frigus ſolitum partium externarum ceſſabat, facileque calor corpori inducebatur; verſus ſomnum quædam inquietudo; a die 22. Nov. purgationem ægrota neglexerat, alvus tamen aperta; tuſſis & reſpiratio difficilis fere ceſſabant.

D. 29. Nov. eadem ſymptomata; eadem medela.

D 3. Dec. oberrans tumor, uti d. 26. Nov. expoſuimus; ſed inter capitis tegumenta, præcipue veſperi, major, cum dolore punctorio; ſitis minor, alvus nunc aperta, modo-

que

que laxa ſerum fuſci ac punicei coloris dimittebat. Capiti calidum ſicci abſinthii fomentum admoveri jubebam; interne cineres ſupra notatos, & pilulas, d. d. 2. Nov. continuandas ſuadebam; fibrasque leniter roboraturus, addere conſultum ducebam: Rec. *Tinct. antim. acr. unc. 1. Tinct. Vitr. mart. Zvvelff. liqu C. C. ſuccin. ana drachm. j. M.* ſumat ter in die XL. guttas. Ægra nolebat vinum amplius cineribus adfundere, ſed œnopegium, puri vini loco: uſurpabant.

D. 5. Dec. ipſe ægrotantem viſitabam. Maculæ purpureæ, ſuper integrum abdomen dorſumque adparebant. Arteriæ temporales fortiter, & celeriter pulſabant, ut & internæ, ex ægrotantis obſervatione, carotides. Intus in capite punctorii, acuti, frequentes dolores animadvertebantur; major capitis tumor; alvus ægre aperta. Pilulas faſtidiebat. Rec. *Spir. anis. drachm. iij. Res. Jalapp. ſcrup. ſem. Julep. violac. drachm. j. M.* ex ſolut. exactiſſ. f. hauſtus. Quo ſumto bene purgabatur. Sed capitis ſymptomata enumerata perſeverabant. Admovebatur capiti ſacculus, in quo ſal culinaris decrepit. ſicciſſ. calidiſſimus; ſimul ac vero madebat, novus imponebatur. Jam merum vinum, quum œnopegium nauſeabundum exiſteret, nec vini effectus ederet, cineribus iterum adfundebat; corpore autem, pilulis prioribus jam adſueto, fæces deponere negante, pilulis d. d. 2. Nov. addebam *Reſin. Jalapp. Scrup. IV.* Reſin. Scammon. gran. VI. quas *D. 6. Dec.* priorum more ſumebat, a quibus ſexies fæces alvinas excludebat.

D. 8. Dec. hæc a filio una ſerie ſubſequuta ſe invicem mala nunciabantur: ſymptomata in capite eadem, caligo oculorum, animi deliquium, epilepſia, ſopor; alvus aperta. Viſo ergo hoc tam inopinato ſpectaculo, præceptor domeſticus, quem *Rabbi* adpellare Judæi ſueverunt, gallinam nigram, vivam, ſuper pectus ægrotantis tenens, diſ-

 rupe-

ruperat. Hac autem ſuperſtitioſa medela effectum ſperaratum non præſtante, mactram ille magnam, farinæ, ad panem conficiendum, ſubigendæ inſervientem, adripuerat, prolatisque quibusdam cum murmure verbis, ſuper illam magnum vas fictile in innumeras partes perfregerat. Aſt nec tum ad ſe redeunte ægra, Pſalmum Davidis aliquem, ſimulata quadam quaſi anxia religione incitatus, obmurmuraverat, qui a Judæis hodiernis morbo illi, den man unters Dach nicht nennen darff, ſub quo ſtulto ac ridiculo nomine inſultus epilepticos intelligunt, opponi ſuevit. Tantum vero aberat, ut, his omnibus irritis, ægrotæ ſenſus inſtaurarentur, ut potius apoplexia ſimul cum epilepticis repetitis exacerbationibus corriperetur. Jam autem, ceu poſtmodum percipiebam, 48. horis lotium dimittere non potuerat. Ut igitur idem Rabbi urinam cieret, ſaniori paullulum genio ductus, cepam majorem diſſectam pubis regioni ægrotæ impoſuerat; quo facto, multum urinæ emiſit.

D. 9. Dec. omnium, quæ modo ſcripta reliqui, ego certior fiebam. Quippe quum nullam adplicata incantamenta hebraica opem ſperatam ferrent, ægra mortis candidata ab adſtantibus declarata, tandem mihi iterum obtrudebatur, an forte quid porrecti remedii vitam ſuſtinere valeret. Hunc itaque ſpiritum excitantem, ipſe apud ægrotam jamiam præſens, præſcribebam: Rec. *Aqu. Lavend. Naph. ana unc. IV. Spir. Sal. arom. aniſat. Liqu. C. C. Succin. ana drachm. ij. M.* de hoc, vi aperto ore, ſæpius drachm. una alterave ingeratur. Rec. *Rad. Imperat. Irid. noſtr. Pyreth. ana drachm. ij. Herb. Salv. Orig. Rut. Paleg. ana Manip. I. Agaric. unc. ſem. pulp. Colocynth. in pet. ligat. drach. j. M. & inc. ac cont. gr. m. decoc. aqv. qu. font. q. ſ. Colat. pro quavis vice lib. j. add. ſal. gemm. unc. ſem. F. clyſter,* legitime adplicandus. Duobus enim νυχθημέροις alvum non depoſuerat.

His in uſum legitime vocatis, *hora II. veſpertina hujus*

diei

diei motum & ſenſum cum loquela, quamvis interruptis omnibus, recuperabat. Communis inſtar clysmatis, ſtimulo nondum neceſſario viſo, Venetus nunc ſapo, cum ſaccharo & lacte q. ſ. permiſtus adhibebatur, unde alvus bis reſpondebat. Memoria valde læſa erat. Ex frequenti ſpiritus uſu totum in madore univerſali corpus manebat. Tumor aquæ intercutis fere omnis ad artus inferiores, manumque dextram, quoniam huic frequenter inhærebat, deducebatur, Vertigo & punctorii in capite dolores cum factorum oblivione ſupererant. Lingua poſtridie, maſticationis ope frequentis caryophyllorum aromaticorum, & oris crebra per chirurgum facta collutione, detumebat. Pulſus plenus, modice celer, æqualis, omni hoc tempore, quo ego præſens fueram. Multum pituitæ viſcidæ ex ore profluebat. Bina inſuper juſſi veſicatoria pone quamlibet aurem adfigere, raſumque caput, ne porrigo in fluxu ſuo impediretur, bene calide obtegere, ac parum tenuiſſimorum juſculorum abſorbere.

D. 10. Dec. Aegra paullulum meliori in ſtatu erat. Vertiginem non patiebatur, ſpeciem tamen ſoporis cujusdam adhuc præ ſe ferebat, comedebat juſcula tenuia e carne gallinacea. Quibus viſis, ægram relinquens, domum repetebam. Rec. *Spir. Sal. ammon. anis. drach. iij. Liqu. C. C. ſuccinat. drachm. ij. Eſſ. Caſtor. drachm. j.* Sumat quater de die XXX. guttas ex cochleari hujus vehiculi: *Rec. Aqu. apoplect. unc. ij. aqu. Naph. Lavend. Anth. ana unc. IV. M.* Veſicæ emplaſtris excitatæ bene fluebant; alvus ex clysmate ſaponaceo ſupra deſcripto, bis exonerabatur.

D. 11. Dec. Hæc ſcribebantur: Aegra XXXIV. horis ſomno caruit; phantasmatibus multis mens oberrat; calor febrilis magnus; alvus XII. horis clauſa; dolores capitis punctorii abſunt; tumor hydropicus maximam partem deorſum deſcendit; remedia præſcripta continuantur.

Ordinabam clyſterem ſaponaceum, adplicationem veſicatorii in cervice, & in utroque brachio. Rec. *Aqu. Nymph. unc. ij. Laud. Liqu. Sydenh. gutt. xvj. Syr. ex ſucc. flor. pap. rhead. unc. j.* hauriat ter de die unum cochleare. Præter ea liquore ſpirituoſo d. d. 10. Dec. bis in die utatur.

D. 12. Dec. hæc: Adlata antequam remedia eſſent, ægra delirare fortiter incepit, neque ullus ipſi ſermo, niſi furibundus, ac de diabolo eſt; clysma adplicatum effectum dedit, ſtatimque alium, adjecta quarta ſpecierum d. d. 9. Dec. parte, adplicaturus ſum; pulſus modice plenus, & celer, ac æqualis; calor priori minor; tranſpiratio roſcida; veſicæ excitatæ optime fluunt; ope foliorum braſſicæ calidorum, ac butyro illitorum, apertæ ſervantur; ceterum ardorem in ore, ac linguæ tumorem adhuc fovet. Collutionem oris ex aquæ & aceti partibus æqualibus, ſæpius repetitam, præcipiebam. Rec. *Aqu. Pluviæ unc. iij. Aqu. Meliſſ. & Cort. aurant. ana unc. ij. prophyl. Sylv. unc. j. ſyr. roſ. ſolut. ſyr. 5. rad. aper. ana unc. j. ſem. M.* D. omni bihorio, reciproce cum ſequenti, cochleare unum. Rec. *Aqu. Pluviæ unc. vj. Laud. liqu. ſydenh. ſcrup. ij. Syr. Roſ. ſolut. rub. id. ana unc. j. M.* Rec. *Rad. Petroſ. Scorzoner. ana unc. j. Plantag. unc. ſem. fol. Endiu. Lact. Cichor. ana Manip. j. fl. Nymph. P. iij.* conc. gr. m. decoqu. cum ſ. q. juſculi gallinacei, tenuis, quo de frequenter bibat ac comedat.

D. 13. Dec. hæc: Heri, hor. 9. matutina memoratum clysma ſtimulans adplicari jubebam, unde quater copioſiſſimis fecibus depoſitis, lumbricum magnum excernebat. Obſervatu porro dignum eſt, diverſis eam ſedibus glomerem filamentorum alborum, copioſo muco pituitoſo inhærentium, inſtar albuminis ovi concreti, excluſiſſe, cujusmodi globulos nihil aliud, quam nidum lumbricorum eſſe juniorum, mecum facile credideris. Poſt ſumta noviſſima medicamina in ſomnum adhuc durantem incidit. *Momen-*

mentum oculos aperiens, non amplius delirat, ſed ſana loquitur; confeſtim vero in ſomnum relabitur.

Commendabam parciorem anodynorum uſum; & utjuſculum repeteret, auctor eram.

D. 14. Dec. Minor ſopor; vires ægrotæ fractæ; per νυχθήμερον alvus clauſa; urina tamen modice fluebat; tumor ab omnibus partibus deſcendebat; in femore & tibiis reſtabat. Lingua a frequentibus oris collutionibus acribus a chirurgo, me inſcio, inſtitutis ab epidermi de nuda. Rec. *Tinct. Bellid. fl. Tunic. ana unc. ſem. Syr. acetoſit. citr. unc. j. M.* Capiat omni quadrihorio C. guttas in juſculo. Rec. *Tinct. antimon. acr. unc. ſem. Liqu. terr. fol. tart. drachm. ij. Eſſ. Scord. drachm. iij. M.* D. omni ſexta hora XL. guttæ. Juſculum cum radicibus Petroſel. Celeri, Siſari, &c. repetebatur.

D. 17. Dec. hæc: Tumentibus fovea pedibus impreſſa, haud ita multo poſt evaneſcit; alvus naturalis; ægra debilis; membrorum gravitas, dolor; abdomen & caput magis tument; oris cavum, lingua, gula, plena veſiculis, arida, ardent; magna ſitis; veſicatoria noviſſima aliquantum adhuc lymphæ e vulneribus eliciunt; caput porriginoſum eodem in ſtatu, ac puſtulis obſeſſum; ex occipite, puſtulis in unum ibidem latumque ulcus conflatis, manipulum vermium parvorum, teretium, alborum, villoſorum, capite rubente donatorum, extraxerunt. Vidi eosdem. Rec. *Herb. Mercurial. Alth. ana Mij. Fl. Verbaſc. P. ij. inc. gr. m. decoqu. c. aqu. font. q. ſ.* de colatura capiat unc. IV. omni quadrihorio. Rec. *Crem. lact. vitell. ovor. ana unc. j. Syr. violac. drachm. vj. Aqu. Roſ. unc. iij. M.* quocum os ſæpe fovendum & colluendum.

D. 20. Dec. Oris paullulum melior ſtatus; ſitis magna; tumor ingens pedum, femoris, abdominis, faciei, & totius capitis, cum harum duritie partium & gravitate; debilitas

ac

ac virium lapſus; alvus laxa, ſed feces nigræ, tenaces, inſtar axungiæ; in ſomno largo largus ſudor.

Suadebam pro ore medicamina d. d. 17. Dec. pro hydrope autem Eſſ. d. d. 14. Dec. neque minus pilulas primas, quarum 6. ter de die devorandæ erant, cinerumque tandem repetitum denuo uſum.

D. 24. Dec. Oris morbi aberant; poterat iterum manducare, deglutire, &c tumor partium idem; quum 2. diebus alvum laxam non habuiſſet, & in animi deliquium exin delaberetur, clysma ſaponaceum adplicari jubebam, quo facto, materiam turbidam, fecum inſtar cereviſiæ, rurſus excernebat.

Ordinabam continuationem Eſſ. d. d. 14 Dec. pilul. Cort. peruv. & vini hydropici. Ac de pilulis quidem *d. 25. Dec.* ter XIII. d. vero *26. & 27. Dec.* ter IV. ſumendas curabam, ut poſtremis 2. diebus paullatim refocillaretur. Sed qualibet ſumtas poſt pilulas vice in tantas præcordiorum anxietates incidebat, ut lipothymia metueretur; in primis pulſus arteriarum temporalium celerrimus, cum interno capitis dolore ardente, contingebat. Quum igitur vires juſto debiliores deprehenderem, atque ab apoplexiæ epilepſiæve novo inſultu cavere mihi deberem, has interim pilulas rejiciebam, & purgationis gratia hunc ſalem præſcribebam: Rec. *Sal. Epſom. unc. ſem. Sal. tart. drachm. ſem. M.* D. qualibet veſpera. Jungebatur eſſ. d. d. 14. Dec. & vinum hydropicum; caput jam ſiccum erat; foveæ pedibus impreſſæ, haud facile reſurgebant. Tarſi quoque nunc tumor adparebat, quum is ipſe antea ſub malleolis pedum nunquam deſcendiſſet.

D. 30. Dec. Omnia eadem; lipothymiis carebat; ſalem non adhibuerat, quia eundem faſtidiebat. Ex alvo igitur adſtricta magnas anxietates ſentiebat. Rec. *Extr. cathol. drachm. ij. Mercur. dulc. Scrup. ij. & ſem. Caſtor. opt. gr. xvj. M. f. l. a.*

f. l. a. pil. ex ſcrup. j. num. xv. conſp. pulv. Conch. marin. D. XV. alterna veſpera. Hiſce Eſſ. d. d. 3. Dec. & vinum hydropicum adjungebam.

D. 1. Jan. 1735. Aegram heri valde ſudaſſe referebatur. Hoc ipſo die alvus ex ſumtis bene vacuabatur pilulis, inde virium refectio.

D. 2. Jan. Iterum ſudor largus: Tuſſis magna; febris quotidie impetens; ad quam profligandam Rec. *Cort. Peruv. unc. j. ſyr. ex ſucc. fl. pap. rh. ſyr. 5. rad. aper. ana q. ſ. ut f. Elect. molle*, D. extra paroxyſmum, & in fine ejusdem omni quadrihorio cochl. unum. Ad animi levia deliquia, paullo ante febrem adpropinquantia, hoc Rec. *Aqu. cort. aurant. Anis. ana unc. iv. prophylact. ſylv. unc. ſem. ſpir. C. C. drachm. ij. M. D.* neceſſitate urgente, cochl. unum.

D. 3. Jan. Omnia meliora; tumoris receſſus ab omni parte, vid. d. 20. Dec. deorſum.

D. 5. Jan. Multa aqua in thorace, an etiam in pericardio? ſane multa animi deliquia, & ingentes anxietates, &c. credi id ſuadebant. Sed en aliud mirabile φαινόμενον! quando dormiebat, demiſſove vigilans capite jacebat, aqua copioſa, glutinoſa tanta ex ore multitudine proruebat, ut fere ſpiritui exitus præcluderetur. Paucis momentis nulla aqua emiſſa gluten gelatinoſum, ovi magnitudine gallinacei, ſuis ipſa ægrotans manibus e faucibus ſæpenumero protrahebat.

Nocte animi deliquia; neque a potione d. d. 2. Jan. ulla eorundem amplius remiſſio; cephalalgiæ fortes; in facie tumor; ſub oculis tumor magnus, lividus; a quarto Jan. ad hunc tumeſcentia atque inflatio ventriculi & abdominis inſolita poſt prandium; totum corpus calidum conſtanter ſudabat; in facie ſubinde ſudor frigidus, magnis guttulis collectus.

Remedia hæc: Vinum hydrop. pilulæ d. d. 30. Dec. Elect. d. d. 2. Jan. & hæc potio analeptica: Rec. *Aqu. Hyſſop. unc. ij. Lavend. unc. iij. ſal. volat. oleoſ.* D. D. FELTRUPP. *drachm. ij. Laud. liqu. Sydenham. ſcrup. ij. olei ſtill. cort. aurant. & bacc. junip. ana. gutt. x. ol. gumm. kikekunemal. gutt. xx.* M. D. omni hora ſexta cochl. unum alterumve.

D. 9. Jan. Omnia priora; aqua certis profluebat intervallis, certo impetu, ex ore, ſive erecta in lecto ſederet, ſive decumberet, ſed non tam ſæpe, ac antea; tumor partium generatim minuebatur; mane tamen major exiſtebat, quum veſperi nullus fere adpareret; ſudor copioſus; pilulæ tertio die datæ, tres tantum ſedes *d. 7. Jan.* effecerant; alternis igitur diebus ad XVIII. ſumendas ſuadebam, & die intermittente IV. ne alvus prorſus clauſa eſſet, ceu antea factum fuerat. Anxietates circa præcordia evanuerant. Quoniam electuarium peruvianum, inſulſe fingens, ſe adpetitum inde perdere, amplius deglutire nolebat, hoc dabam: *Eſſ. cort. Peruv. bene ſaturat. unc. j. Tinct. ſal. tart. unc. ſem. tinct. vitr. mart. tartar. Ludov. drachm. j.* M. D. ter in die XV. guttæ. Vinum quoque hydropicum adhibebat.

D. 14. Jan. Hæc ex litteris: Vires multum refectæ; hydrops minor; pilulæ d. d. 30. Dec. num. XVIII. datæ, nil efficiunt; unde dyſorexia, anxietates leves; quotidie ægrota 2. horas extra lectum, ſine virium imbecillitate, verſatur. Aqua ex ore adhuc, priori ritu, ſed non tanta cum ſpiritus difficultate, effluit.

Medela: Vinum hydropicum, eſſ. d. d. 9. Jan. & hæ pilulæ: Rec. *Extr. cathol. drachm. ij. Extr. elater. veteris ſcrup. ſem. mercur. dulc. ſcrup. ij. & ſem. Caſtor. gr. xvj. M. f. l. a. pil. ex ſcrup. uno num. xv. conſp. pulv. rad. ir. flor.* D. alterna veſpera, ita, ut veſperi 10. & altero mane omni bihorio 3. ſumantur, donec alvus ſolvatur.

D. 18. Jan. Teſtantibus litteris, tumor tonſillarum, deglutitio difficilis; oris interna ſuperficies aſpera; raucedo; gluten, d. 5. Jan. deſcriptum, copioſum ex ore adhuc protrahebatur; aqua etiam magno flumine ex ore profluebat, erecta licet ſederet, aut ſtaret ægrota.

D. 20. Jan. hæc litteris; Tumor hydropicus, ex femore, pedibus, &c. prorſus abeſt, ſed in hypogaſtrio manet; una alterave vice in hypocauſto deambulare poteſt.

Utebatur vino hydropico, pilulis d. d. 14. Jan. eſſ. d. d. 9 Jan. ad raucedinem vero Rec. *Syr. de Eryſ. Lobel. unc. ij. ſyr. ex ſucc. fl. pap. rh. unc. j. M.* detineat duo parva cochlearia ſæpius in ore, ſyrupum, a ſaliva dilutum, ſenſim degluciendo. Eodem, penicilli ope, os elui poteſt.

D. 22. Jan. Epulis una cum familia prima vice adcumbebat; glandularum colli tumor diſparuerat.

D. 23. Jan. Tumor fere omnis hydropicus evanuerat; obambulabat ægra ſæpe in conclavi.

D. 24. Jan. Superveniebat tamen in gingivis, neque minus in angulis quoque labiorum; fauces ardentes. Rec. *Crem. lact. Vitell. ovor. ana unc. ij. ſyr. de Alth. Fernel. & Cydon. ana unc. ſem. Aqu. Salv. roſac. ana unc. ij.* M. gargarizet ſæpe, & ſenſim deglutiat. Præter ea vinum hydropic. Eſſ. cort. Peruv. & pil. noviſſ. adhibeat. Ad tumorem gingivarum profligandum nonnunquam quoque infuſ. caryoph. arom. tenue in uſum vocabat, os eo colluens, ſalivamque proliciens.

D. 28. Jan. Ex integro corpore omnis tumor deceſſerat; facies tantum ſubtumida; gingivæ & genarum muſculi circa gingivas tumebant; in ore magnus dolor; nullæ tamen veſiculæ in lingua, palatove, aut faucibus, neque ructus calidi ex ſtomacho erumpebant. Ceterum alvus bene aperta, ſed minus laxa; adeo a tribus diebus ſalivæ excretio adaucta erat, ut quotidie lib. IV. circiter pituitæ ſalivoſæ exſpueret. Unde concludebam, tumorem hunc, tam acri-

ter dolentem, ex longo pilularum ultimarum uſu, quibus mercur. dulcis, in pharmacopolio paratus, ad ſenſum inſipidus, inerat, provenire. Leniter itaque, nec uno impetu, ægram ab iisdem abducturus, præcipiebam, ut per triduum adhuc omni veſpera IV. ſumeret Quo ipſo alvus non tantum aperta ſervabatur, ſed etiam impediebam, quo minus ſalivatio repente ſiſteretur. Suadebam quoque, ut infuſum caryoph. d. d. 24. Jan. continuaret, neque minus vinum adhuc hydropicum, atque eſſ. Cort. Peruv. uſurparet: Ceterum vires ægrotæ ſub hac ipſa ſalivationis ἀκμῇ augebantur, ſiti tamen nihilo ſecius magna detinebatur.

D. 31. Jan. rabbi referebat, tumorem omnem evanuiſſe ſed inter abdominis tegumenta aliquid reſtare. Præter ea faciem, gingivasque & muſculos genis vicinos valde, linguam itidem, ſed non in tanto gradu, tumere, effluere ſalivam ſpiſſam, albam, fœtidamque jam redditam, ſpatio unius diei ad libb. IV, partes tumidas inſigniter dolere; vires ægræ augeri, eamque non niſi juſcula conſummata deglutire poſſe, id quod ipſi quoque durante ſalivæ fluxu injunxeram; tumorem atque dolores auctos eſſe, quum e conclavi exiens, nimium frigori ſe expoſuiſſet, atque rei cuidam irata fuiſſet. Omni proinde veſpera 2. tantum pilulas mercuriales, præter ea vero ad alvum laxandam, eoque ſalivationem paululum divertendam has ſumendas ordinabam: Rec. *Extr. cathol. drachm. j. Extr. Elater. veter. Caſtor. ana ſcrup. j. M. f. ex ſcrup. unc. pil. xv. conſp. pulv. Ireos Florent.* Sumat alterna veſpera VI. & ſequenti mane II. omni trihorio, donec feces deponat. Cetera mox deſcribenda remedia addebam, ut tranſpiratio bona conſervaretur, atque ſalivatio fine optato potiretur. Quod reliquum eſt, in locis, ubi aqua intercus receſſerat, ægra valde marcida erat. Rec. *Eſſ. Myrrh. ſ. alkal. drach. ij. Eſſ. Guajac. ſcrup. ij. ol. caryoph. gutt. x. ol. ovor. drachm. j.* M. D. mane hora II

&

& pomerid. hor. 4. L. guttæ. Rec. *Rad. Chin. unc. j. cort. Guajac. drachm. j. Herb. Saponar. mercurial. ana Mj. Sem. Anis. ſtellat. drachm. ij. M. & inc. minutim, ebulliant leniter cum aqu. q. ſ.* bibat omni mane in lecto IV ſcutellas calidas. Vinum hydropicum ad tempus omittebam, ne dolores in ore, quando ægra illud hauriebat, nimium augerentur.

D. 4. Febr. Tumoris in abdomine egregia remiſſio; tumoris gingivarum, & baſeos linguæ aliqualis imminutio, ſalivatio lenior; facies adhuc tumida; aures punctorio dolore ſubinde traus verſim ab una ab alteram adfectæ; dentium vacillatio; ægrota ſine virium defectu 3 horas quotidie in hypocauſto obambulabat.

Suadebam continuationem remediorum d. d. *31.* Jan. hisque ſequentes pro cucupha ſpecies adjungebam, calide, mane & veſperi, capiti imponendas: Rec. *Lign. Saſſafr. rad. Pyrethr. ana drachm. ij. fl. chamom. Rom. Samb. melil. ana mj. ſummit. abſinth. mij. ſem anis. drachm. iij. M.* ex conc. f. ſpecies pro cucupha, laxæ ſyndoni includendæ.

D. 7. Febr. Narrabatur, ægram ſucceſſive vires recuperare, adpetitum vigere; alvum ex pilulis apertam tantummodo ſervari, quum antea purgationem effeciſſent; ſalivationem paullatim imminui; dolores oris per intervalla, præcipue noctu, ægram valde torquere; faciem cum gingivis adhuc ſubtumidam eſſe; abſcedere ex ore fruſtula cuticulæ corrugatæ; ſalivam valde fœtere; ventriculum una alterave vice admodum doluiſſe; pilulas mercuriales a. d. 3. Febr. ægrotantem non ſumſiſſe; vetulam d. 3. Febr. ſuaſiſſe, ut acetum & ſal in ore detineret; quo facto, dolores &c. ſymptomata relata iterum adparuiſſe. Quibus auditis, in ægram animadvertebam, quot toties diſcederet â diæta præſcripta, atque, ut poſthæc regulis datis meliorem morem gereret, jubebam. Rec. *Herb. Malv. Alth. Mercurial. ana Mij. conciſ. gr. m. decoqu. Mij. cum Aqv. pluviæ* ℔ *IV.* utatur deco-

cto hoc pro frequenti oris collutione, præſertim ingruentibus doloribus. Rec. *Reſin. Jalap. ſcrup. ij. ſpir. anis. junip. ana drachm. j. Syr. violar. drachm. ij. M.* dentur alterno mane hora nona, propinatis priori veſpera pilulis d. d. 31. Jan. quodſi alvum jam tum exoneravit, XXX. ſin minus, LX. guttæ.

D. 8. Febr. ſumtis præcedente veſpera X. pilulis, ſemel hoc mane purgebatur. Quare hauſtis XXX. gutt. de eſſ. purg. ter denuo alvus reſpondebat. Quantitas ſalivæ hac die trium librarum, adeoque mitior erat.

D. 9. Febr. alvo clauſa, datis LX. guttis de eſſ. purg. feces multas excludebat. Quantitas ſalivæ paullo ſupra libr. duas. Cutis quotidie madebat. Vires quoque bonæ, unde plerumque extra lectum verſabatur.

D. 10. Febr. ſumtis X. pilulis, nil effectum erat, ſed eſſentia in uſum vocata, ſperatum ſucceſſum ediderat. Quantitas ſalivæ lib. ij inter eam paucus intermiſtus ſanguis; vigiliæ; durabant quoque tumor ac dolor partium oris. Ordinabam continuationem eſſ. purg. & decoct. emoll. pro colluendo ore, neque minus decoct. d. d. 31. Jan.

D. 14. Febr. nunciabatur, ſalivam, a tribus diebus ſalſo ſapore præditam, quotidie ſenſim imminui; tumorem in ore decreſcere; dolores tamen reſtare; id quod ex ſalſedine ſalivæ derivabam. Ceterum hæc erat alvi laxæ ratio: *d. 11. Febr.* ſumtis XV. pilulis, bis dejecerat. *d. 12. Febr.* ſumtis, veſpera præcedente, XV. pilulis, quater dejecerat. *d. 13. Febr.* ſumtis priori veſpera X. pilulis, quinquies dejecerat.

Præcipiebam, ut decoct. emoll. pil. purg. & ſi neceſſe eſſet, eſſ. purg. continuaret, ab uſu autem vini diuretici tam diu prorſus abſtineret, donec ſalivatio omnis ceſſaverit, quod *d. 18. Febr.* eveniebat. Atque hac ſanata ratione, poſt alios ſex dies domum egredi valebat. Qualis tandem diæta in omni morbi hujus tempore fuerit, artis peritus

ritus pro ſymptomatum variatione facile judicabit. Addendum tamen, quum poſt alios 14 dies nimis aëri pluvioſo & ventoſo ſe concrediſſet, veſperi malleolos pedum parum tumuiſſe. Ad roborandas igitur fibras hoc dabam: Rec. *Tinct. vitriol. Mart. tart. Ludov. unc. j. D. bis in die XL. guttæ.*

Sed quum monito, de non tam ſæpe egrediendo, ventriculove infenſa ingerendo, morem non gereret, præter malleolorum dictum tumorem veſpertinum, gravedine quoque vexabatur. Serio itaque illi injungebam, ut a dictis ſedulo abſtineret, vini diuretici lib. IV. adhuc, debito modo, ebiberet, atque hoc ſæpius naribus attraheret errhinum, nullam ſternutationem producens: Rec. *Vitriol. alb. ſcrup. ſem. Aqv. Major. unc. ij.* M. pro uſu externo. Quibus adhibitis, *d. 24. Mart.* prorſus convaluerat.

En igitur difficilis morbi felicem ex Dei gratia ſanationem! en ſalivationis in hydropis fine optatum ſucceſſum! Egregiam, me-hercle! ſalis alkalini, fixi copiam, mediante vino diuretico ingeſſit ægrota, neque tamen ex vulgari minus probata opinione ſal hoc, cum Mercurio conjunctum, corroſivam in corpore humano indolem adſumſit, quin ægra potius notabiliter ſub ipſo ſalivationis decurſu viribus crevit. Neque regimen, durante ſalivæ fluxu, adeo calidum ſervabatur, ac vulgo præſcribi ſolet, ſed eo gradu, ut ſuavis ope caloris, & medelæ, provide adplicatæ, roſcido ſemper epidermis madore perfuſa maneret. Nec in tam varia præcipitata, me judice, ægrotans mala fuiſſet, ſi dictis ſemper auſcultaſſet. Quum apoplexia detineretur, eo ventum erat, ut adſtantes Hebraeæ mulieres mortuam jam pronuntiarent, neque plane, niſi vi rejectæ, medicamentorum infuſionem permittere vellent. Optimam ergo hydropis medelam perſeverante in uſu ſalium fixorum, alkalinorum, quacumque de herba combuſta paratorum, reperias,

rias, quippe qui nullam, draſticorum inſtar purgantium, vim corpori inferunt, ſed corpus ægrotum in naturali elatere conſervant. Præſertim ſi, quod ſæpenumero fieri ſuevit, febris aliqua hydropi ſe adſociet, cortex peruvianus, fruſtra reclamantibus multis; aut Hippocaſtani cortex, a ZANNICHELLI ſolide enucleatus, varia forma adhibiti, debilitato fibrarum tono reſtituto, corpus optime corroborant. Generalis ſumma cinerum Geniſtæ lib. ij. cinerum abſinthii lib. vij.; corticis vero Peruviani undecim cum dimidia unciæ ſunt, quæ potiſſima remediorum genera, durante morbo, ægrota conſumpſit. Unde gradus lentoris in ſanguine, ac debilitatis virium venire in computationem poſſunt. Primum de cineribus Geniſtæ vinum parabatur, poſtea vero, his deficientibus, cineres abſinthii, vulgaris, latifolii, horum loco ſubſtituebatur. Ceterum herba Geniſtæ officin. copioſe in vicinis provenientis, ac noſtratibus Brahms dictæ, tanto in pretio & uſu apud nos eſt, ut ſolo herbæ decocto cum aqua communi plures vilioris conditionis homines hydrope, ſive aſcites fuerit, ſive anaſarca, ſanatos unanimiter adfirmetur. Soluto quippe ſalis ope fixi ſanguinis lentore, tenue ſeparatum ex eo lotium copioſe per vias urinarias effunditur, ac meliori tum ratione purgantia ſubſtitui poſſunt, adjunctisque diaphoreticis, perſpiratione revocata, undiquaque ſuperfluum attenuatumque ſerum expellitur, unde, additis in fine morbi, quæ fibris elaterem conciliare iterum valent, niſi læſa jam, peregrina ex cauſa, ſint viſcera, certa, Dei ſub auxilio, ſanitas ſubſequatur, neceſſum eſt. Coronidis loco cauſam hydropis hujusce antecedentem adponam, quam terrorem ſubitaneum, cum mœrore conjunctum, fuiſſe intellexi. Sano namque in ſtatu vivens Judæa noſtra, litteras accipiebat, quibus perhibebatur, maritum, alioſum ante aliquot dies profectum, in puteum præcipitatum, ac ſubmerſum, ad

vallem Joſaphat migraſſe. Repentino illa nunc viduam ſe factam reputans, mœrore perculſa, quamvis vivum ſoſpitemque poſtea reciperet maritum, inſignem tamen frigoris ſtatim ſenſum in toto corpore percepit, unde trium quatuorve menſium ſpatio infelix expoſita hydrops initium cepit.

Scholion.

Mentionem præcedenti in hiſtoria *ſalis volatilis* oleoſi *D. D. Arnold. Ludov.* FELTRUP. feci, ſpiritus aptiori ſane jure, ſalis aromatici volatilis nomine adpellandi. Cujus heic compoſitionem ſubjungam. Rec. *Cort. aurant. Citr. ana unc. vj. Winteran. unc. iij. Lign. Saſſafr. unc. ij. Rad. Galang. unc. unam ſem. Zingib. unc. ij. ſal. ammon. unc. xij. ſal. alkal. unc. xxv. ſpir. vin. mij. ſ. lib. VII. ad lib. VIII. M. diger.* Eximiarum eſſe ſpiritum huncce virtutum, tum ſimplicium, e quibus conſtat, ratio, multiplex experientia, & ipſum b. Dom. auctorem, & me docuit. Novi in vicinia eccleſiaſten, ſeptuagenario majorem, cui a viginti, & quod excurrit, annis, quotidiano ſal hic volatilis oleoſus in uſu fuit, qui ſerio adſeverat, ſe illius ope, dum inter prandium aliquot guttulas, v. g. x. pluresve quotidie adſumſerat, ab horrendis calculi renalis cruciatibus, quibus a multis annis vexatus fuiſſet, liberatum non modo eſſe, ſed eo quoque animi, corporisque vigore ſe nunc gaudere, quo nunquam antea. Credidit initio vir ille, ſe ſalem volatilem oleoſum SYLVII uſurpare, quo tamen felici errore, ab auctore ſibi enarrato, ſummopere poſtea lætatus eſt.

OBSERVATIO IV.

Dn. D. PAULI HENR. GERARDI MOEHRINGII.

Tumor ſine ſenſu durus in pharyngis laryngisque muſculis.

Ruſtici uxor, XXV. annorum, duorum liberorum mater, lactans, ſtaturæ parvæ ac robuſtæ, cuti denſa rigidaque donata, *menſe Majo 1734.* quum frigori aëris nimium ſe expoſuiſſet, tumorem ſine ſenſu doloris durum in pharynge ſentiebat, a quo deglutitio tantum impediebatur, ut non niſi tenuia ſorbere juscula poſſet. In hoc flebili ſtatu ad *Octobris* usque *finem* manebat, neque mali, putans, tumorem hunc ſanari non poſſe, curam deſiderabat. Fere autem ſub hoc tempore pleuritide ſpuria vexabatur. Neglexerat quippe omnem adfectæ partis calorem, quid? quod pedibus denudatis rure obambulabat, neque minus negotiorum cauſa in prata, aqua madida, ac uda, frequenter excurrebat. A noviſſime invadente morbo per pharmacopœum medicaſtrum liberatur. Qui ipſe tamen æque minus, ac chirurgus quidam, agyrta hic valde decantatus, eſſentiis ſuis purgantibus, ac ſine diaphoretica virtute calidis, & aromaticis ne tantillum primi quidem morbi ſuperare poterant. Plura ab hiſce circumforaneis adſumere renuens ægrota, in pejorem ſenſim morbi principis conſtitutionem incurrebat, dum interea platysma myodes, musculique colli, ac humeri tumere quoque inciperent, cum noviter accedente, a cervice ad laryngem extenſo dolore, fauces perſtringere minitante. Paucis abhinc diebus ipſius glandulæ pariter, ac muſculi laryngis tumore frigido ac pituitoſo adficiebantur.

D. 12,

D. 12. Dec. ego vocatus prædicta expiſcabar, ac præter ea horum certior fiebam ſymptomatum: loquela difficilis; tuſſis acris, cum materiæ craſſæ, ſub-flavæ, aliquando virideſcentis excretione; lateris circa ſepti transverſi ſiniſtram partem dolor pungens; vertigo primi gradus; omnium partium immobilitas, rigiditas, ut e ſella ſe ipſa erigere nequiret. Lactans, catameniis carebat. Liquido igitur conſtabat, omnem morbum a frigore nimio provenire, quo ſublato, reſtitutaque Sanctoriana perſpiratione, eductoque copioſo in faucibus, collique partibus obfirmato viſcido glutine, ægrotæ ſalutem certo ſperabam. Rec. *Lign. Guajac. unc. ij. anis. ſtellat. unc. ſem. Fœnic. drachm. ij. inciſ. minutatim, decoq. c. lib. vj. pluviæ, ſpatio dimidiæ horæ;* colaturæ ſumat IV. ſcutellas murrhinas calide ter in die. Rec. *caryoph. arom. unc. j. rad. Pyrethr. drachm. ij. ex comminut. f. c. lib. IV. pluviæ decoctum*, quo ſæpius, vel omni hora diei, os colluat.

Deſcripta ratione hiſce uſurpatis remediis, omnia duas poſt hebdomadas, phænomena evaneſcebant, ſpemque conceptam felix exitus confirmabat.

OBSERVATIO V.

Dn. D. PAULI HENR. GERARDI MOEHRINGII.

Rabies canina, infantem quadrimulam media hieme trucidans.

Rariores ſane obſervationes ſunt, quæ hiemali tempore communicatam, beſtiæ morſu rabioſæ, caninam communiter adpellatam rabiem, indeque obortam atque conflatam, quod ſi conſummata jam exiſtit, hydro-

phobiam relatam exhibent. Quamvis enim cuncti fere Medici, ac inter eos concinno ſcribendi nitore Ill. BOERHAVE *aphor. de cogn. & cur. morb. 1134.* regionem, magno calore æſtuantem, & viciſſim ſummo frigore rigentem pari paſſu, in rabioſo delirio gignando ambulare, & recte quidem, ducant: apud omnes tamen conſtat, multo plures morſus æſtate, ac hieme contingere. Cujus quidem cauſam phænomeni nulli ignotam fore arbitror, qui conſideraverit, quam ſollicita hominum pariter, atque animantium hiberno tempore cura ſit, a minimo, ac notabile aliquando forſan damnum illaturo, frigore ſe defendendi, ut adeo proclivius ad dirum atque funeſtum hocce malum incendendum via plerumque præcludi ſoleat. Cui tamen complurium ruſticorum, in noſtris, aliisque ſimilibus, ubi ſeparatim rure domus exſtructæ exſtant, regionibus, neceſſaria quodam modo conſuetudo cognita eſt, prægrandes ſuos canes catenis foras adligandi, ut vigilantes latratu, fures alios ve ignotos noctu homines advenire, herum commoneant, minime mirabitur, hujuscemodi canem, poſt aliquod temporis intervallum, ad vehementiorem iram, continua adligatione, pronum redditum, injuriisque aëris frequentius expoſitum, accedente ventoſa & frigida tempeſtate, maniacum, ſi ita loqui licet, rabidumque evadere, ac disruptis, ſuperante morboſa vi, catenis, in pratis ubique oberrare, atque rabiem ſuam cum quovis, primum ſibi obviam facto, communicare infauſto morſu poſſe. Concludere autem merito licet, vehementer commotos boreales, illisve adfines ventos, noſtris quippe terris maximum frigus inferentes, anſam huic morbo potiſſimum præbere debere. Quo magis igitur admiratione dignum eſt, quod cum integro *Januarii menſe 1736.* fortes quidem, ſed æquali prorſus directione, auſtrales venti, modico tantum cum frigore, ſed multa nebula, loca noſtra perflaſſent, animalia quædam,

dam, ac inter ea bini canes, vacca profectioris ætatis, tandemque anſer maſculus, rabie furere inceperint. Magnam itaque ipſis in hiſce animalibus diſpoſitionem ad acutum huncce morbum concipiendum, jam ante adeſſe debuiſſe, liquet, qua quippe factum eſt, ut a diurna veſpertinaque nebula, madefacta pelle, superveniente nocturno gelu, emiſſaria cutis arterioſa perſpirationi promovendæ dicata, conſtringerentur, retentisque ſuperfluis, partim quoque noxiis ſudoriferis moleculis, major copia, celerior circuitu, atque particularum ope ſalino-ſulphurearum, acrior impetu in vaſa, ſanguis factus, inflammationes in minimis arteriolis, præcipue in illis, quæ cranii internæ tabulæ infixæ, facilius, deſtitutæ vicinorum preſſione muſculorum, obſtrui, cruoremque ſemel ſibi impactum, ob paruum oſſium contiguorum elaterem, indeque producendam inhærentis propulſionem ſanguinis, difficillime reſolvere, atque ad priorem ſubtilitatis pariter, ac meabilitatis gradum reducere poſſunt, crearet, indeque dicta animalia rabioſa facta ſint. Breviori tamen, eaque faciliori explanatione in ſequenti caſu rem expedire valemus, utpote qui exortus eſt, quum rabie interita vacca inſepulta, maxima ruſtici poſſeſſoris incuria, ſub dio jaceret, canes eamdem immodico adpetitu vorarunt, breviter rabidi facti, quorumque unus triſtis tragœdiæ hujus auctor exiſtit.

Fuit nempe in pago ditionis noſtræ *Nyendano*, vel *Neuendano*, Ludimagiſtri cujusdam filiola, quintum agens annum, in quam aliis cum puellis in via ante januam domus ludentem, rabidus ille canis, quasdam prægreſſus puellas, aliam vero humi projiciens, illæſam ceterum relictam, tanto impetum furore fecit, ut integram e labio inferiori ſiniſtri lateris portionem mordicus auferret. Quo facto, in ore pariter, ac extra illud, tantus cruoris rivulus profluebat,

bat, ut ſuper veſtimenta decurrens, in terram delaberetur.

Facta hæc ſunt *d. 21. Jan. 1736.*

Vulnere, ſine ullo tumore medelave adplicata, ſanato; quod copioſæ ſanguinis effluxioni, qua quippe venenum, noviſſime in vulnus delatum, dilutum magnamque partem cito ejectum eſt, tribuendum videtur, primum rubræ, ac magnæ, compluresque & purientes maculæ in toto corpore enaſcebantur, quas ſponte poſt ½. horæ ſpatium iterum evaneſcentes, in gena lateris vulnerati, feruida & ingens papula, ad mortem usque aperta manens, excipiebat. Neque vero notabile hinc ægrotans incommodum percipiebat, ſed integris potius novem νυχθημέροις ſanam, quantum judicare licebat, vitam ducebat, alvo tantum aliquoties tarda exiſtente.

D. 30. Jan. Ægrotare parentibus videbatur. Duabus νυχθημέροις neque comedebat, neque bibebat, neque alvum deponebat.

D. 1. Febr. Vero hilari aduc mente lectum petens, aliquamdiu bene ac placide quidem dormiebat, ſed media ſomni ſub perturbatione, iteratis vicibus ſuſpirare, queri incipiebat, neque tamen excitata aliquid deſiderabat, vel gemebat.

D. 2. Febr. Iisdem, ac d. 30. Jan. phœnomenis permanentibus, in lecto commorabatur.

Nocte in ſomno complures pavores contremiſcens experiebatur, blandis autem hortatibus impulſa, quieta cubabat.

Summo mane d. 3. Febr. Pavoribus, numero & vehementia, auctis, manus pariter, ac pedes huc, illucve protrudebat, ſuaviterque commonita, ſibi a cane, morſum minitante, timorem injici, reſpondebat. Poſt breve temporis intervallum de aure vulnerati lateris valde conquerebatur, quam quum parentum alteruter intueri, manuve contrecta-

trectare vellet, omnibus id ipſum renuebat viribus. Nec ita multo poſt artus inferiores dolore adficiebantur. Præter ea vero, quod memoratu dignum videtur, manibus faciem attingens, ſuper illam quaquaverſum vagabatur, & dein fortiſſimo illas ſpiritu adflans, quaſi pilos de manibus difflare adlaboraret, vociferari incipiebat, canem ſe morſurum adpropinquare. Quibus factis, confeſtim ſummis viribus manibus æque, ac pedibus trudebat, feriebat, neque niſi blande admonita, atque manibus arcte comprehenſa, paululum quieſcebat. Vultum, durante hac actione, torvum, præcipue quum ingentes convulſiones accederent, præ ſe ferebat, quo ipſo etiam tempore ſtertebat, ac difficillimum anxium ſpiritum ducebat. Cæterum, quod omnium fere primum commemorari debuiſſet ſymptoma, toto morbi decurſu, neque alios, ipſosve parentes adſpicere poterat, neque in vicinis verſari patiebatur. Candela accenſa, in ægrotantis vultum lucente, tam fortiter illa convellebatur, ac ſi minutatim disrumperetur. Repetitos quoque poſt vomendi conatus hora circiter 3. pomeridiana vehementibus agitata convulſionibus, initio fumantem pituitam, ac poſtea atrum cruorem, bullientis inſtar lactis fervidum, fumantem, ac veſiculoſum evomebat, donec continuato vomitu hor. 4. pomerid. animam Deo redderet. Circa vitæ finem rauca & tremula, & facies altera ante mortem hora modo pallida, modoque ex livido nigra evadebat.

Tandem ſcire, L. B. refert, fido me calamo hiſtoriam, prout ab infantis patre relatam accepi, conſignaſſe, nec ulla fuiſſe medicamina in uſum vocata.

(Jeverâ in Friſiis Erfordiam miſſa d. 28. Jan. 1737.)

Obſer-

OBSERVATIO VI.

Dn. D. JOH. PHILIPPI BURGGRAVII.

Pleuritidis graviſſimæ eadem periodo in eodem ſubjecto eventus fere omnes.

Juvenis, vix 20. annorum, mediocris ſtaturæ, ſed pleni corporis habitus, robuſtus, brevioris colli, exercitati corporis, temperamenti eminenter ſanguinei, menſe Majo 1735. graviſſima a ſummo humero ad infimam coſtam ſe extendente pleuritide ſiniſtri lateris corripiebatur. Ego mane accerſitus confeſtim ex dextro brachio duodecim, immo plures uncias ſanguinis extrahi jubeo, cum inſigni ægri levamine. Sanguis erat craſſus, ater, ac vix emiſſus cuticulam cœruleſcentem in ſuperficie exhibebat, quæ, prout ſanguis ſucceſſive refrigeſcebat, in ſpiſſam, ultra dimidium pollicem craſſam, maxime tenacem, vix ſciſſilem, ex gryſeo virideſcentem membranaceam coaleſcebat cruſtam, quæ ſupernatante ſero, cum concreſcendo in minus, quam infra eidem cohærens nigra cruoris maſſa, contrahetur ſpatium, hanc quaſi in marginem nigrum, circum circa vero illam gryſeo virideſcentem cruoris ſuperficiem tegentem cruſtam membranoſam attollebat. Præſcribebam Emulſionem antiphlogiſticam, ex ſem. Card. Mariæ duplo & ſem. 4. frigid. maj. ſimplo cum aquis reſolventibus diapnoicis l. a. parandam, Antimonio diaphoretico non edulcorato, ſed ſubtiliſſime trito, (edulcoratum nempe, in pharmacopoliis proſtans, iners ſane eſt calx) ſalis polychreſti tantillo acuato & ſyrupo aliquo pectorali additis, nec non infuſum aliquod pectorale emolliens reſolvens affatim hauriendum, quorum crebriorem uſum quam maxime commendabam. Cum vero eodem die Moguntiam accerſerer,

non

non niſi ſequentis diei veſpera inde reverſurus, ſuadebam, ſi forte, quod ex prava ſanguinis qualitate metuerem, dolor punctorius, jam quidem notabiliter remittens, denuo increſceret, ſtatim absque mora phlebotomiam repeterent, tantumque iterum ſanguinis emitterent, quantum prima vice emiſſum eſſet, vel eo usque continuarent, donec dolor notabiliter remitteret, aut prorſus ceſſaret. Poſt meridiem dolor redibat, ad phlebotomiam itaque properabant, ſed me inſcio & invito in pede eam inſtituebant, unde tamen meliuſcule iterum ſe habebat; ſed veſpera ſequentis diei rediens, invenio ægrum vehementiſſima febre inflammatoria laborantem, & ob recrudeſcentes immanes puncturas vix reſpirare valentem. Cum itaque metuerem, ne ob adeo difficilem reſpirationem, peripneumonia ſuperveniret, omniaque ſic in deterius vergerent, illico me præſente in ſano brachio venam iterum incidi, & ſupine decumbenti 16. ad 18. uncias ſanguinis emitti curo, usque dum ſanguinem paulo floridiorem prodire, ægrum liberius ſpirare, puncturas quadantenus remittere, ac depreſſum tenſumque pulſum attolli & molliri percipiebam. Ut vero & alii emisſi ſanguinis quantitatem æſtimare valeant, ſciant, ſanguinem exceptum fuiſſe amplo capacique vaſe, quo vulgo inter ſorbillandum infuſum Theæ pro eluendis vaſculis, utimur, illudque ad redundantiam fere plenum ſanguine fuiſſe. Serio hinc injuncto ejusdem emulſionis frequenter iterandæ & infuſi emollientis reſolventisque maxime ſollicito uſu, præſcripto inſuper mere emolliente unguento quo adfectum latus inungerent, & veſica, lacte calido tertia parte plena, impoſita foverent, diſceſſi. Altero mane accedenti mihi ſanguinem heri emiſſum, ſimili ac primum eductus, cruſta tectum, monſtrant, & ad mediam usque noctem prægreſſam, ſatis tolerabili modo ægrum ſe habuiſſe, abinde vero ſingulis horis omnia pejora iterum reddita fuiſſe, nar-

rant. Ipſe hoc animadvertens in ægro, & ob tam atroce
inflammationem aliquantulum perterritus, & ægro & ac
ſtantibus expono, omnem illius ſalutem in repetenda ven
ſectione hærere. Illis phlebotomiam iterandam pertim
ſcentibus & eandem ægre concedentibus ſine ambagib
profiteor, aut gangrænam inſuperabilem proxime inſtar
aut exſuperandæ ingenti ſuppurationi ſucceſſuræ ægru
minime parem futurum. Annuunt ergo, & hinc denu
vena in dextro ſecatur brachio, ac unciæ circiter 15. & 1
emittuntur. Sanguinem proſilientem, ut prima vice in
flammatoria cruſta tectum iri ex conſiſtentia ejus mox co
ligebam, & veſperi reverſus conjecturam haud fefelliſſe d
prehendi. Mecum igitur reputans, tertium jam agi morb
diem, nullam perfectæ reſolutionis ſpem adfulgere, invi
cibilem ſævire inflammationem, haud legitime ſuppuratu
ram, quin in gangrænam magis ruituram, quintam urge
phlebotomiam, & ſub innumeris contradictionibus obt
neo. Denuo igitur ſedecim circiter ſanguinis unciæ emi
tuntur, ſed quod dolebam, ut prima vice, inflammatori
cruſta undique tecti. Largiſſime jam bibebat tam præſcr
ptum primum infuſum, quam tenue melicratum coctur
deſpumatumque, cui frequenter aliquid Nitri puriſſimi ad
miſceri curabam. Et hucusque terribilis hæc Pleuritis, quin
quies quidem in tantum, ſed haud in totum reſoluta, ſe
inflammatoria ſtaſis ſemper renata fuit. Subſequente quar
to die pectus meliuſcule ſe habere cœperat, ſputa prodiban
laudabilia cocta, rotunda, alba, & in tantum hæc Pleuriti
ſuppurabatur. Per hypochondrium vero ſiniſtrum, a
coxam usque, crudeles puncturæ adhuc continuabant. Iis
dem adhuc inſiſtebam medicamentis, diluentibus in primis
ſed phlebotomiam, ad inferiorem illam reſtitantem inflam
matoriam ſtaſin etiam utcunque reſolvendam, ſexta vic
repetendam impetrare nequivi. Ad novum igitur dien
usqu

uſque expectoratio optime proceſſerat, ut, niſi hypochondrii ſiniſtri dolor jugiter continuaſſet, ægrum mox reſtitutum iri lætiſſima ſpes adfulſiſſet, cum ille, prægreſſo horrore & ſubſequuto ingenti æſtu, ſubito adeo vehementi corriperetur ac concuteretur tuſſi, ut pectus & abdomen diſrumpi timerent. Remittebant vero non nihil ſiniſtri hypochondrii dolores, unde abſceſſus in regione ruptos, puſque reſorberi & ad pulmones deferri, exiſtimabam. Demulcebam hinc quantum poteram, ſed incaſſum. Adnitebar vero ſimul eo maxime, ut putredini reſiſterem; illud, præſcripto cremore hordei, hoc, oxymellitis ſimplicis duplo cum ſyrupi Violarum ſimplo, frequenter lingendo, & mellicratum ſuperbibendo: utrumque alternis vicibus ſumendo. Sub undecimi tandem diei finem, tantam æger puris ceterum ſatis cocti albique copiam per os excernebat, ut ſola haud ſufficeret exſpuitio, ſed materia hæc ex ore ſub continua tuſſi ſtupenda in copia efflueret. Et ſane tanta hæc puris quantitas non ex nova priori ſuperveniente inflammatione & ſuppuratione, provenerat, ſed ex abſceſſu in hypochondrio, ut ſuſpicatus eram, rupto & pure ſucceſſive reſorpto ac ad pulmones delato. Commendabam ægro, ut largiſſime pro diluitione puris & abſterſione bibat, & cum illos priores potus faſtidiret, ſeri lactis dulcis uſum ſuadebam; quem cum pariter nauſearet, ejus in locum, ut ſimplicem aquam dulcem hauriret conceſſi. Pulmones tuſſi continuo vellicati ægrum dormire haud ſinebant; ſudoribus inſuper diffluebat & alternis horripilationibus, & exæſtuationibus, tanquam ſuppurationum internarum in febribus inflammatoriis certiſſimis indicibus, continuo cruciabatur, ut, ob ſymptomatum horum ferociam & moleſtiam, plus ſimplici vice mortem ſibi exoptaret.

Sic ergo Pleuritis illa jam *in ulcus pulmonum & partium hypochondrii ſiniſtri*, adeoque *alium* a priore *morbum tranſie-*

 rat.

rat. Hæc ipſa autem tragœdia ſatis jam adflictum ægrum ultra octo continuos dies miſerrime adhuc agitabat, cumque & tuſſis & puris excretio in dies remittebant, neutiquam vero in totum ceſſabant, quin ultra 12. porro dies horripilationes, exæſtuationes, effuſi ſudores, aliqua tuſſis & puris rejectio adhuc continuabant, & cum æger omnem ulteriorem pharmacorum uſum ſimpliciter abhorreret, ſuaſi, ut aquam ſaltem dulcem, unice ab ipſo expetitam, frequentiſſime & tanta quanta poſſibilis foret, quantitate biberet, ſicque omne tandem pus dilueret, conjungendo ſimul cibos putredini reſiſtentes, videlicet cremorem hordei & avenæ, leniſſime acidulatos, juscula item ex acetoſa & chærefolio parata &c. Fecit hoc, & meliuscule ſeſe habere cœpit. Quoniam vero dein, licet tuſſis & puris hypochondrii dolore tenſivo, admodum moleſto, ad leviſſimum etiam attactum augescente, conquerebatur, hinc ob febriculam illam hecticam adhuc utcunque gliscentem, juſta animum ſubiit ſuſpicio, annon in hepate, aut liene, aut circa hæc viscera pus colligi cœperit. Sub his autem circumſtantiis cum æger ſimpliciter omnem ulteriorem medicamentorum qualiumcunque, ſive externorum, ſive internorum adplicationem & uſum reſpueret, ſupra vero deſcriptam diluentis & analeptici victus rationem ſtudioſe obſervare ſe velle promitteret, nihil utique amplius relictum mihi erat, quam ut in hac ſententia illum ſerio confirmarem. Et ſic per maximam æſtatis partem continuabat; cumque vires aliquantulum redire viderentur, hinc inde ad cognatos inviſendos, quamvis ſatis ægre, obambulavit; ſubinde etiam aliquid fructuum horariorum clam & furtive quaſi devoravit, ſed & toties pœnas dedit, inſurgente ſemper iterum tuſſi moleſtiſſima. Declinante vero æſtate, & febris illa, & ſudores, & tuſſis, & hypochondriorum dolor ſimul & ſemel incrementa aliqua iterum capiebant, pro-

propterea mater ægrotantis ipſo inſcio me conveniebat, cumque libere profiterer, ex ejus relatione me ſuſpicari, illum palato forſan indulſiſſe, (noveram enim hominis genium) illa ſe tale quid ignorare quidem ajebat, fieri tamen potuiſſe concedebat, quoniam animi recreandi gratia quotidie, infirmo quamvis corpore, cognatos inviſere ſoleret, & alicubi forſan minus congrua adſumſiſſet. Injungebam hinc denuo & ſerio ſollicitam ſupra laudatæ victus rationis obſervationem, & tamquam abſterſivum & antiſepticum pharmacum, aliquot oxymellitis ſimplicis uncias, cum pauxillo myrrhæ, aceto ſolutæ, & ſyrupi violarum tantum, quantum conciliando grato ſapori ſufficere exiſtimabam, præſcribebam. Sicque reſurgentes illi morbi impetus iterum repreſſi fuere, ægerque ita ſucceſſive convaluit, ut autumno ingruente, ad conſueta munia redire valuerit.

Ita æger hic, Pleuritidem graviſſimam expertus, aliquoties ſatis quidem notabilem, haud tamen ſufficientem *inflammationis* hujus *reſolutionem*, maxima vero parte *ſuppurationem*, cum imminente *gangrenæ* periculo ſuſtinuit. Facta ſuppuratione in hypochondrio ſiniſtro a reſorpto & ad pulmones translato pure, *morbus in alium tranſiit morbum*, *pulmonum* ſcilicet *exulcerationem cum febre hectica*. Hac etiam utcunque ſublata, denuo alius ſubſequutus eſt *morbi metaſchematiſmus*, puris nempe aliqua in hepate & liene collectio, cum nova gliſcente hectica febricula. Manifeſtum quoque eſt ex hoc, & compluribus aliis ſatis frequenter occurrentibus peripneumonicorum ſuppuratorum atque curatorum exemplis, quantum ulcus pulmonum robuſtorum, a cauſa inflammatoria natum, ab ulcere pulmonum debilium, a ſpontanea hæmoptyſi, citra qualemcunque inflammationem, inducto, differat, quoad faciliorem in primis ac citiorem conſolidationem, quam illud communiter præ ultimo hoc admittere ſolet.

OBSERVATIO VII.

Dn. D. JOHANN. PHILIPPI BURGGRAVII.

Pleuritis & ſæva hemicrania ſucceſſive in Puerpera.

Mulier 32. annorum, procera, gracilis, bilioſa & ſumme iracunda atque rixoſa, crebris alias cephalalgiis vexata, jam primipara, duodecimo puerperii rite hactenus ſuccedentis die, evaneſcentibus legitime reliquiis lochiorum fluxus, inopinato dextri lateris pleuritide, ſat valida febre inflammatoria ſtipata, corripitur. Accerſitus phlebotomiam in pede ſiniſtro propterea, quod ægra erat puerpera, inſtitui jubeo, emulſione antiphlogiſtica mihi familiari & ſpeciebus pro infuſo pectorali emolliente & reſolvente ſubjunctis, frequenter & ſollicite uſurpandis. Emisſi ſanguinis prima portio, vaſculo mundo excepta, poſtquam refrixerat, aliqua ſed tenui cruſta inflammatoria tegebatur. Uſu modo dictorum remediorum ſtaſis pleuritica quoad maximam partem reſolvebatur, perquam exigua vero ejus portio placide in ſuppurationem vergebat, & ſub tertii diei finem facili expectoratione ita ſolvebatur, ut quinto die ſtaſis iſta perfecte ſublata fuerit. Abinde optime puerpera valuit. Vigeſimo octavo autem puerperii die, circa veſperam, hemicrania ſiniſtri lateris, tanta incrementa capiente, adfligebatur, ut ego media nocte vocatus, ægram præ doloribus mente fere motam, miſerrime ſe torquentem, volutantem & ejulantem deprehenderem. Dolorem dicebat eſſe frigidiſſimum, dilacerantem & attactus impatientiſſimum; videri ſibi totam dolentem partem intumuiſſe & molliſſimam factam, utut locum explorantibus nihil ad ſenſum p. n. animadvertere licuerit; pulſus erat quodammodo debilis

&

& celer. Statim igitur, partim derivandi fine enema emolliens quantocyus iniiciendum; partim pro diſcuſſione Pulu. Marchion. & caſtorei optimi ana gr. XV. miſcenda, in triplo paranda & ſingulis trihoriis doſin unam præbendam, præſcribebam. Sequente diluculo adveniens, & nihil ſolatii ægram ab adhibitis percepiſſe, ſed æque male ac prius ſe habere intelligens, faciem vero toto ſiniſtro latere & inprimis palpebras valde intumuiſſe, pulſum concitari tendique animadvertens, ut phlebotomia confeſtim in dextro pede inſtituatur, & ſincipiti, deraſis ibidem capillis, ceratum de betonica, balſamo Peruviano ſubactum ac ſupra alutam molliſſimam paulo ſpiſſius extenſum calidiuſcule imponatur, jubeo, ſimul præscribens ſpec. cephal. Michael. gr. XV. caſtor. opt. ſcrup. ſem. Nitri puriſſimi gr. VIII. miſcenda, ſubtiliſſime terenda, in quadruplo paranda, ſingulisque quadrihoriis unam doſin ſumendam. Sanguinis emisſi portio, vaſe mundo excepta, poſtquam refrixerat, coccinei erat coloris, ceu arterioſus in ipſa etiam parte adverſa, quæ vaſi adhærebat, ſicque mihi magnam particularum reſolutionem, inſigneque motus inteſtini augmentum deſignabat. Ab impoſito Emplaſtro brevi poſt dolores ſibi quodammodo leniri nunciabat. Duabus horis ab adſumptione prioris doseos pulveris hora matutina decima facta, elapſis, obdormiebat, cumque adſtantes nihilominus ſtata adsumtionis pulverum tempora ſervarent, usque ad pomeridianam circiter quintam, maxima tamen parte dormivit, tumque evigilans ab atrocibus iſtis doloribus plurimum ſe liberatam lætabatur, ſtupore ſaltem aliquo relicto, ſponte itidem altero die diſcuſſo.

OBSERVATIO VIII.

Dn. D. JOHANN. PHILIPPI BVRGGRAVII.

Mictus cruentus excretionem ſeminis excipiens.

Vir, 50. circiter annorum, mediocris ſtaturæ, ſed quadratus, toroſus, ſimul & obeſus, temperamenti ſanguineo-cholerici, vini potui liberaliter indulgens, ſtrenuus in palæſtra venerea athletha, hocque certamen plus, quam ejus conjux, adpetens, media æſtate anni 1735. poſt celebratum coitum multum ſanguinis in ſuo induſio animadvertens, aſt conjugis menſtrua forſitan erupiſſe exiſtimans, parum vel nihil hoc ſymptoma curavit. Paucis vero abhinc diebus, poſt meridianum ſomnum & ſupinum decubitum ſpontaneam pollutionem expertus, aliquot iterum ſinceri florideque ſanguinis uncias absque ullo prorſus dolore, immediate poſt ſeminis excretionem prodire, notabat. Jam ad hoc ſymptoma quodammodo attentius reſpiciens, me, tamquam Medicum ſuum ordinarium ædes ipſius forte prætereuntem, hac de re quaſi aliud agendo conſulebat. Suadebam hinc, ut proximo mane phlebotomiam in alterutro cubito ad decem uncias inſtitueret, & a vino ſibi temperaret: equitationem itidem, qua frequenter gaudebat, propter adfectarum partium attritum & incaleſcentiam prorſus omitteret, ulterioremque ſucceſſum mihi nunciaret. Suſpicabar enim progreſſum ſanguinis per inteſtini recti vaſa, unde & veſicularum ſeminalium vaſa derivantur, aliquam forſan remoram pati, & hinc in harum veſicularum vaſa urgeri, inde malum moleſtiſſimum facile ulceroſum evenire potuiſſet. Tranſibat poſtperactam depletoriam pariter & revulſoriam venæſectionem ali-

aliquot dies, antequam de ſucceſſu rei aliquid mihi indicaret, inde omne malum jam ſublatum eſſe, certiſſime, aſt vane, mihi perſuadebam. Cum enim deinde & cum urina ſanguinem, nec absque omni dolore excerneret, meum iterum petiit conſilium. Exinde ego liberam per vaſa hæmorrhoidalia ſanguinis circulationem nondum reſtitutam eſſe, ſed ob remoram ibi natam in veſicæ urinariæ vaſa, itidem ex hæmorrhoidalibus partim prodeuntia, illum adhuc urgeri intelligens, clyſterem vaſa hæmorrhoidalia emollientem laxantemque, ut ipſe hæmorrhoidalis fluxus forſan proritaretur, injiciendum ſuadebam, ſimul ad aliquot dies victum tenuem, refrigerantem, frequentemque deambulationem injungebam, & cogitando de remedio efficaciter reſolvente pariter atque leniter tonico, ſuccurrebat tum virga aurea, cujus pulverem cum Tragacantha, aqua roſarum ſoluta in pilulas redactum præscribebam, harumque drachmam unam ad ſcrup. IV. partitis pro lubitu vicibus ſingulis diebus deglutire jubebam, unde paucorum dierum ſpatio a ſymptomate, plurimarum alias moleſtiarum feraciſſimo, prorſus liberatus fuit.

OBSERVATIO IX.

Dn. D. JOH. PHILIPPI BVRGGRAVII.

Enormis uterinus pituitoſo-atrabilarius fluor.

Mulier trigeſimum ſeptimum ætatis ſuæ annum agens, procera, gracilis, melancholico-cholerici temperamenti, plurima tædia diu perpeſſa, aliquot liberorum mater, pluribus abhinc retro annis diuturnis & atrocibus capitis doloribus vexata, ſed Thermarum Wisbaden-

ſium externo & interno uſu ab iisdem liberata, ineunte vere anni 1735. illis ipſis denuo & vehementer tentata, ſub Auguſti menſis finem ad idem ſibi expertum remedium confugiens, ac circa Septembris medium a Thermis redux, ſub ipſum in domum ſuam ingreſſum; menſtrua, juſto tamen termino prodire ſentiebat, quibus ceſſantibus pituita ſuccedebat, hujusque excretio ita ſucceſſive augebatur, ut circa finem Septembris præ debilitate decumbere cogeretur & mihi accerſito exponeret, tantum materiæ pituitoſæ viridescentis, admodum ſpumescentis fœtentisque, ac genitalia erodentis ex iis effluere, ut non ſolum ob debilitatem exinde ortam erigere ſe nequeat, ſed & propterea in ſitu erecto corpus ſervare ſibi haud liceat, quoniam tunc præcipitis torrentis inſtar illa pituita prolaberetur. Totum proinde abdomen ulceris inſtar ſibi dolere, cruciatusque in nates & femora usque extendi, unde ſibi proxime, niſi efficaci remedio ſuccurratur, moriendum eſſe cenſeret. Pulſus erat debilis & utcunque celer; ſitiebat multum, cibi vero aut nihil, aut parciſſimum adpetebat. Ego ex hisce circumſtantiis cacochymiam pituitoſo atrobilariam, uſu thermarum interno inprimis motam, ſed haud emotam, quin ad uterum potius derivatam, colligens, mearumque eſſe partium ſentiens, remedium digerens, abſtergens, demulcens, atque ſimul leniter ſtringens quærere; in hunc finem pulverem Rhabarbari leniter toſti & ſeminis Cardui Mariæ cum Therebinthina in pilulas redigendum harumque ſcrupulum unum mane & veſperi ſumendum, ſuperbibendo infuſum ſaturatum ex Galeopſidis foliis & floribus paratum præſcribebam. Levari inde ſe ſentiebat, unde quarto abhinc die, aliqualis revulſionis gratia, propter immanes abdominis ulceroſos quaſi dolores, venam in cubito incidi & ſanguinis uncias ſex circiter extrahi curavi. Extractus ſanguis vix refrixerat, cum levi cruſta inflammatoria tectus adpa-

adpareret; cruciatus abdominis femorumque multum exinde remittebant; fluor vero pituitosæ, ſpumoſæ, fœtidæ, viridescentis acrisque materiæ continuabat, non tamen adeo pleno amplius rivo. Ægra uſum pilularum ultra octiduum adhuc continuabat, nunc ter de die ſcrupulum j. earum ſumendo; excernebat tum & per alvum copioſam pituitam, cumque nihilominus vires quodammodo redire inciperent, jam paulo validius digerere, evacuare, & partes adfectas roborare ſtudebam. Propterea Rhabarbari optimi pulverem & ſuccinum album præparatum anatica quantitate itidem cum Therebinthina in pilulas redigi, & ter de die ad ſcrup. j. & ultra ad drachm. ſem. adſumi curabam, tumque tam per genitalia quam per anum pluribus diebus ingens nigri, ſpiſſi, feculenti, atrabilarii & abominabili fœtore moleſti ſanguinis copia, ſed cum ægræ euphoria & notabili levamine prodibat, ita ut eadem profiteretur, ſuperiorem abdominis partem, a ventriculo ad umbilicum usque, jam prorſus ſanam ſe ſentire. Manifeſtum inde mihi fiebat, multum ſanguinis craſſi, terreſtris feculenti, a veteribus non adeo male pro atrabilario, ſive melancholico venditati, in hoc corpore collectum, & uſu thermarum Wisbadenſium intrinſeco in vaſa cœliaca, meſeraica & hypogaſtrica, per rationes qualitatis hujus ſanguinis & ſitus horum vaſorum derivatum fuiſſe, atque ibidem moleſtiſſime hæſiſſe, nunc vero reſolutum & eliminatum eſſe. Per duarum propterea ſeptimanarum decurſum, harum pilularum uſui inhærebam, & in dies melius ſe habere ægra lætabatur, quantitas quoque dictorum excretorum ſucceſſive minuebatur. Tandem cum diuturnum iſtarum pilularum uſum averſaretur, liquoris terræ foliatæ tartari duplum, cum Elixirii aperitivi Clauderi ſimplo remixtum ad guttas LX. & ultra bis de die ſumere jubebam tamquam abſterſivum, antiſepticum & leniter evacuans pharmacum, ſuperbibendo ſimul ſupra memora-

moratum infuſum. Redierunt interea legitime menſtrua, hisce vero ceſſantibus, fluor ille pituitoſus nonnihil recrudeſcebat, quo tamen non obſtante, ægra jam multo vegetior, conſueta ſua munia iterum obibat. Cum vero poſtmodum ſolito plus ciborum adpeteret & ingereret, ac tumorem molliſſimum, gracilem, farciminis inſtar longum, totum abdomen per hypochondria ambientem, cum aliqua ipſius abdominis intumeſcentia, ſentiret, ad ulterius expedienda pariter & roboranda vaſa & viſcera abdominalia Tincturæ Vitrioli martis tartariſatæ ſimplum & Tincturæ Rhabarbari ac ſyrupi Artemiſiæ ana duplum præſcribebam, ut mane & veſperi cochlear unum ſumeretur, cujus uſu, primo ſtatim die, manifeſto, aliisque præſentibus, id coram obſervantibus, abdomen ſubſidere, & ægra tandem continuato ejus uſu cum ſanitate in gratiam perfecte redire cœpit.

OBSERVATIO X.

Dn. D. JOH. PHILIPPI BVRGGRAVII.

Prompta brachii ſiniſtri reſoluti reſtitutio.

Vir 40. annorum, mediocris ſtaturæ, phlegmatico-ſanguinei temperamenti, pleni crasſique corporis habitus, corripiebatur ſubito, menſe Octobri 1735. ante feneſtram ſedens, horrore, capitis dolore, ſiniſtrique brachii a ſummo humero ad extremos usque digitos reſolutione, ut brachium prorſus non movere potuerit, omnisque ſenſus fere abolitus aut ſaltem obſcuriſſimus ac pro nullo habendus fuerit, brevique poſt ſtatim dextra auris ſerum ſat copioſum ſtillare cœpit. Accerſitus & ex circumſtantiis colligens, cum pulſus valde debilis ac tardus eſſet, tenacem inertemque lympham in nervorum brachii membra-

nis

nis hærere, absque febrili motu, ſtudui illam tempeſtive excutere. Ante omnia igitur, ut reſolutum brachium panno nonnihil hirſuto calido probe fricetur, ſimulque duo ſequentis mixturæ cochlearia, infuſum mox memorandum ſuperbibendo ſingulis horis adſumantur, ſuadeo: Rec. Extr. Card. bened. drachm. ij. flor. ſalis ammon ſimpl. ſcrup. ij. Aqu. Rutæ uncias VI. ſolve, miſce, adde ſyr. ſtoechad. arab. unciam j. Miſce. Rec. Rad. Imperat. unciam ſem. Fol. Beton. Meliſſæ ana Manip. j. ſem. For. Primul. veris P. ij. inciſa miſce. Sudavit inde æger largiſſime & duodecim a prima adſumptione horis elapſis integre reſtitutum fuit brachium reſolutum, cumque aliquid vertiginoſi adhuc ſupereſſet, poſtridie dedi evacuans phlegmagogum ad muci copioſi cerebrum adfligentis revulſionem: Rec. Specif. Jalapin. drachm. ſem. Tartari emet. gr. ſem. Miſce, ſumat mane. Inde ſexies purgatus, plenarie iterum ad votum convaluit.

(*Francofurto ad Mœnum Erfordiam miſſa d. 3. Martii, 1737.*)

OBSERVATIO XI.

Dn. D. GOTTWALD SCHVSTERI,

De

Hemiplectica intra triduum feliciter reſtituta.

Fœmina XXX. annorum plethorica, infimulque ſcorbutica ſanguinis diatheſi adfecta, habitus corporis tenerioris & macilenti, aliquot liberorum jamjam mater die XVI. Sept. ann. 1735. noctu circa undecimam horam, lectum vix ingreſſa, Hemiplexia in latere ſiniſtro adfligitur. Statim

quidem a binis perſonis, humeris ſuffulta, per cubiculum hinc & inde ducitur, ſed neque pede ſiniſtro progrediendi neque linguam movendi, aut eadem libere utendi potentia pollet, ſicque tantum balbutiendo inconcinni quid proferre valet. Medicus confeſtim advocatus ægrotam non ſolum in ſtatu jam deſcripto deprehendit, verum etiam animadvertit, quod partes ſanæ, & inter has oris labia, motibus exagitentur ſpaſtico-convulſivis. Partes igitur ſideratas ad ruborem usque fricare jubet Medicus, &, ſanguine per venæſectionem in bracho dextro ad quatuor uncias educto, doſin Eſſentiæ alexipharmacæ in potu Theæ exhibet. Hæc dum aguntur, ægrotæ hemiplecticæ ſubito ſupervenit lipothymia, recurrentibus ſimul motibus ſpaſtico- convulſivis, in partibus a morbo non adflictis. Circa matutinum tempus binæ doſes pulveris antiſpasmodico - nervino - temperantis ordinantur. Die XIX. Septemb. ægrota vires paulatim redire obſervat, ſenſus quoque plenarie, motus vero aliquatenus in paralyticis partibus percipitur. Statim ergo matutinis horis Clyſter leniter ſtimulans optimo cum effectu injicitur, hocque peracto infuſum Theiforme, ex herbis & floribus cephalicis paratum, & XXV. guttis mixturæ tonico - nervinæ Stahl. acuatum ſorbillandum exhibetur. Circa meridiem verbis balbutientibus conqueritur de dolore cardialgico, qui poſt cibum in parva etiam quantitate adſumtum, ita augetur, ut una alteraque vice leviorem inſultum lipothymicum perpeſſa fuerit ægrota. Continuatur circa horam IV. & veſpertinam IX. pulverum præſcriptorum uſus, & partes relaxatæ cum ſpiritu formicarum & ſerpilli inunguntur. Quoniam vero dolor cardialgicus die XX. Septembr. nondum remittebat, ſimulque haud vana oriebatur ſuſpicio, quod forſitan moleſti quid in ventriculo adhuc detineatur, hinc ad illud removendum tria tartari emetici grana cum ſale digeſtivo in paulo largiori

vehi-

vehiculo propinabantur. Sequuntur inde aliquot vomitus, & inter hos maſſa informis & ſumme tenax, pravi coloris & ſaporis rejicitur. Ab eo ſtatim tempore circa præcordia melius habuit & veſperi absque ulteriori inſequuta cardialgia & lipothymia cibum adſumſit. Eodem die etiam loquela rediit, & per Dei gratiam in hunc usque diem opime valet & vivit.

OBSERVATIO XII.
Dn. D. GOTTWALD SCHUSTERI,
De
Exulceratione Renum.

Vir quidam ſanguineo-cholericus, carnoſus, annum quadrageſimum & ſeptimum agens, poſtquam ad ſecunda vota tranſierat, inter nuptias ex improviſo dolorem pungentem & ſcindentem in abdomine circa renum regionem perſentiscit. Per urethram brevi poſt humor viscidus albus, primo pro ſemine reputatus, exſtillat; unde quædam remedia contra Gonorrhœam præſcribuntur. Paucis abhinc elapſis diebus, quum medicamenta prædicta absque effectu adſumta eſſent, & continuus urinam reddendi ſtimulus perciperetur, emulſiva & decocta emollientia & antiſpasmodica ordinabantur, ſed pariter incaſſum. Licet enim hisce totum negotium feliciter abſolutum iri & Medicus & æger ſibi pollicerentur, nihilo tamen minus hectica ſuperveniebat febris, coniunctis doloribus acerbis & ardentibus, urinæ, ut ut pauciſſimæ, excretionem ſtipantibus. Referebat autem hæc colorem ſecundariæ cereviſiæ, & elapſo brevi temporis ſpatio ſedimentum mucoſum & purulentum, viscido & tenaci glutini non abſimile, deponebat.

His

His ergo ex ſignis, ut & ex conjuncta dyſuria, adpetitus & ſomni defectu, itemque ſenſu in regione pubis preſſorio, renum exulcerationem ſubeſſe, haud, ut opinor, immerito judicavi. Pro mundificando iſto renum ulcere emulſionem a celeberrimis Practicis tantopere collaudatam, ex Therebinth. Cypr. cum vitello ovorum & aqua Chærefolii paratam, ad cochlear unum bis de die ſumendam, ſuppeditavi, utque partes abſterſæ & mundificatæ iterum contraherentur & conſolidarentur, decoctum, ex herbis vulnerariis compoſitum, hauriendum præbui. Urethræ etiam ſuperficies interna a materia purulento - acri transeunti adeo arroſa & eroſa erat, ut ægrotans ob exquiſitiſſimum ardentem dolorem, quando urinam mittebat, (ad mittendam vero ſingulis fere momentis ſtimulabatur,) vix ullam capere poſſet requiem, unde lac crocatum & camphoratum ſubinde ſalutari cum levamine tepide injiciebatur.

Febre autem hectica ab horum medicamentorum uſu nequaquam remittente, ſed potius ſub uſu Therebinthinæ augescente, emulſiones, exinde paratas iterum ſeponere conſultum duxi, & earum loco antifebrilia, videlicet mane eſſentiam alexipharmacam, parcius cum ſuccini eſſentia mixtam; pomeridie vero pulveres præcipitantes & diaphoreticos, quibus, prout dolores ardentes magis exigebant, ſalia quoque neutra & nitroſa juncta erant itemque decocta vel infuſa theeformia ex herbis vulnerariis concinnata, exhibebantur. Remediis his, febrem hecticam ſimul reſpicientibus, per aliquod tempus adhibitis, ægrotans, antea quidem ex miſera corporis debilitate clinicus, ad orthoſtadiam rediit & meliuscule ſe ſe habuit; ſtimulum tamen continuum, frequentius reddendi urinam, retinuit.

Ne

Ne vero ſalina remedia partes exulceratas minimum roderent & conſolidationem impedirent, ſaltem præcipitantia & abſorbentia ex pulvere Marchion. Lacte Lunæ, Coralliis rubr. Ocul. cancr. interpoſitis Decoctis vulnerariis varii generis, offerebantur. Neque tamen etiam hæc mali cauſam funditus tollere, vel ſaltem impedire poterant, quin gravis hic veſicæ morbus, menſe Januario obortus, per totum vernale tempus continuaret, urina noſtrum ad meiendum die nocteque frequenter & aſſidue ſollicitaret ac materiam viſcidam tenacemque ad fundum vitri continuo deponeret. Equidem menſe Majo ægrotans in tantum ſanitati redditus erat, ut, remittente febre hectica, laboribus, qui in arte tinctoria magni poſtulantur, aliquantulum iterum præeſſe, & cibum ſomnumque, vires reficiendi cauſa, capere poſſet; verum tamen ob crebriorem mingendi ſtimulum & graviſſimos ſub hac excretione concurrentes dolorum cruciatus, ipſe deſperabat de ſubſecutura plenaria ac perfecta reſtitutione.

Ineunte ergo menſe Junio uſum aquarum Selteranarum cum lacte caprillo mixtarum commendavi, unde etiam aliquod, minime tamen conſtans, obtinuit levamen, ſiquidem durante adhuc iſta cura, priſtina ad unum omnia redibant ſymptomata, ex quibus circumſtantiis potiſſimum ſpasmodicam veſicæ contractionem, ab acri humore & pure ex renibus per ureteres in veſicam urinariam deſtillante eandemque indeſinenter irritante, in cauſſa eſſe, judicavi, & idcirco tam ad abſtergendum in renibus ulcus, quam ad demulcendas & relaxandas partes ſpasmo conſtrictas, curam dirigendam eſſe autumavi, ſuadens hinc ægroto non ſolum continuum aquæ ſimplicis fontanæ uſum, ſed & inſuper jubens, ut regionem pubis interdiu unguento antiſpasmodico illiniret, noctu vero eandem cataplasmate emolliente & paregorico foveret, & inſimul matutino ſemper

tempore in balneum emolliens tepidum ad umbilicum usque ſe ſe demitteret, in eoque per unam alteramve horam permaneret. Interne pariter medicamenta antiſpasmodica & emollientia ex Ocul. cancr. ſuccin. ppt. pulv rad. Liquirit. Altheæ, Marchion. & Sem. Lycopod. injuncto ſimul exquiſito regimine diætetico, ordinabantur. Atque hac ſanandi ratione ægrotus de propria ſalute jam deſperans, nihilō tamen minus uſum iſtorum antiſpasmodicorum per ſex hebdomadas ſedulo continuans, ab atrociori hocce malo feliciter & perfecte liberatus eſt; quod inprimis ſingulari Dei benignitate & gratia factum eſſe, pia mentis religione ducti, confitemur. Et quamvis negandum non ſit, quod ultima medendi methodus præ reliquis & imprimis balnei emollientis uſus, ſumme proficua & accommodata morbo fuerint, utpote quæ malum tandem prorſus ſuſtulerunt; attamen non negamus, priores curandi proceſſus ſuam quoque contuliſſe ſymbolam: Impetrata enim ulceris in renibus per priora remedia mundificatione, & tandem ope decoctorum vulnerariorum felici conſolidatione, certe tanto efficacius ſpasmus in veſica & adjacentibus partibus ſæviens per antiſpasmodica & emollientia remedia mitigari, omniaque in priſtinum ſtatum naturalem redigi potuerunt.

OBSERVATIO XIII.

Dn. D. GOTTWALD SCHUSTERI

De

Virtute Rhabarbari diuretica.

RHabarum, egregium illud exoticum medicamentum, alias inter virtutes alterantes & evacuantes, etiam pollere effectu, ſudorem renalem ciendi, non ſolum ali-

quo-

quoties in Praxi experiri licuit, verum etiam ſequens hiſtoria ulterius demonſtrare & confirmare poterit. Puella undecim menſes nata, ex dentium eruptione difficiliori & inteſtinorum torminibus, quæ ad continuos ejulatus eandem impellebant, male habebat, conjuncta ſimul extraordinaria abdominis intumeſcentia & duritie. Matri ergo, auxilium a me petenti, pulvillum, ex puri & optimi Rhabarbari dimidia drachma conſtantem, tribus vicibus, nempe mane, veſperi & ſubſequentis diei matutinis horis ſumendum, dedi. Propinantur ita ſucceſſive omnes tres doſes, nec tamen puella prius abinde movetur, niſi tertia doſi adſumta, ubi bis vel ter alvum deponit. Interim tamen nocte dieque ſæpius reddit urinam, croceo-virideſcente colore tinctum & induſium lectulosque eodem colore imbuentem. Cognito hoc effectu & probe conſideratis omnibus circumſtantiis, hanc urinæ tincturam potiſſimum a Rhabarbaro dependere judicavi, præcipue cum AMMANNUS *Paræneſ. ad Diſcent. p. 262.* colorem urinæ ab adſumtis varie mutari, conſtante experientia, optima rerum magiſtra edoctus, teſtetur, flavamque urinam ſemper a bile eſſe, merito in dubium vocet. Confirmabat proinde me in hac opinione illud etiam phænomenon, quod puellæ abdomen tumidum & tactu durum evidenter poſt mictionem mollius evaſerit, detumuerit & ad naturalem ſtatum iterum pervenerit. Hæc obſervatio ut ut in ſe certiſſima, ulteriori tamen indagatione aliquale mihi negotium faceſſivit, qua nempe ex cauſa diureſeos effectus deducendus, & unde color croceo-virideſcens derivandus ſit? BAGLIVIUS, ſplendidum Italorum ſidus, cujus ſtudio indefeſſo in augenda & confirmanda experientia multæ veritates, ſub tenebrarum antea caligine oppreſſæ, clarius detectæ & expoſitæ ſunt, *in Praxi Med, p. 72. & Canon. p. 480* adſerit, interdum facilius ac certius urinæ ſe & excretionem promoveri, educto ſaltem hu-

morum crudorum adparatu, in meſenterio nidulante, per inteſtinorum canalem. Hinc facile in ſimilem incidiſſem conjecturam, quod Rhabarbarum, repurgatis inteſtinis â collectis ibidem vitioſis humoribus, tandem urinam in noſtra puella crebrius exturbaverit, niſi diuretica vis virtutem alvi dejectoriam anteceſſiſſet. Quam ob rem cauſam & rationem acceleratæ hujus excretionis potiſſimum in ſale volatili ſulphureo, neque Tornæ ſolis, neque mercurii ſublimati ſolutionem turbante; renes tamen ſpecifice ſtimulante, laticare credididi; urinæ vero colorem croceo-viridescentem a ſalis urinoſo-volatilis cum Rhabarbari gummoſo-reſinoſæ partis concurſu & ſolutione pendere, merito judicavi.

Pariter quoque alia itidem medicamenta non raro diverſos plane exſerere effectus, quam qui abinde ſperantur & ratione particularum conſtitutivarum exſpectantur, attenta nos ſæpius edocuit obſervatio. Sic v. g. ſtudioſus quidam tria tartari emetici grana cum ſeptendecim vitriolati granis mixta, calido herbæ Thee infuſo, vomitum movendi gratia, adſumebat; poſtquam autem integram fere ejusdem menſuram, penes fornacem ſedens, ingurgitaverat, certiorem feliciorемque exinde expectans emeſin, corpus largiſſimo ſudore perfundebatur, citra tamen ullam vel ἄνω vel κάτω ſubſequutam evacuationem. In alio ſubjecto antimonii diaphoretici drachmæ duæ, loco magneſiæ albæ, præcipitandi & per diapnoën evacuandi cauſſa, propinatæ, alvum egregie moverunt, inſtar Magneſiæ, nullo prorſus ſudore ſubſequente. Ut autem, ad diureticam iſtam Rhabarbari virtutem revertentes, unum ex altero colligamus, rationi omnino conſentaneum eſſe ſtatuimus, ſi etiam Rhabarbaro inanti hydropicorum remediorum claſſe locus daretur. Quodſi enim ratio & experientia demonſtrat, ea optime eſſe contra hydropem remedia, quæ absque acriori ſtimu-

ſtimulo operantur, ne viſcera jam obſtructa magis ad ſpaſticam conſtrictionem & ſcirrhoſam indurationem, tenuiori ſero expreſſo, & craſſioribus humoribus reſtagnantibus, diſponantur, ſane vel ſolam hanc ob cauſam egregius utique erit Rhabarbari uſus in truculento hoc adfectu. Dum igitur, experientia teſte, interdum Mechoacannæ ſcrupulus ſaltem unicus prævia humorum debita præparatione & attenuatione ultra decem ſedes excitare ſolet, maxime utique probabile hinc videtur, quod Rhabarbarum in adfectu hydropico recentiori; ſi modo humores antea reſolventibus, amaricantibus & ſalibus digeſtivis ſufficienter correcti & præparati fuerint, duplicem egregium effectum evacuatorium, tam per alvum quam veſicam ſimul demonſtraturum ſit.

OBSERVATIO XIV.

Dn. D. GOTTWALD SCHUSTERI

De

Fungo articulorum.

PUella undecimum agens annum ex prægreſſo lapſu in genu ſiniſtrum ſtatim de magno & acerbo dolore conqueritur, ſuperveniente repentino & ſatis inſigni tumore. Variis igitur externis remediis per bimeſtre ſpatium incaſſum adplicatis, Chirurgus tandem antrorſum tumorem iſtum lanceola pertundit & inciſionem ad unicæ dimidium facit, ex qua ſtatim inſignis copia ſanguinis ſeroſi effluxit, absque tamen ullo levamine, ſiquidem ſymptomata omnia hinc magis magisque adaugebantur, dolores indeſinenter continuabant, motus febriles ſuperveniebant, cum agrypnia & adpetitus totali fere proſtratione. Die VI. Nov. a. p. Medicus ad puellam accerſitus totum illud genu tumore

 obſi-

obſitum & inprimis interiorem ejus regionem abinde graviter deformatam deprehendit. Tumor tactu quidem durus, non autem inflammatus obſervabatur, & vulnuſculum a Chirurgo ſupra patellam inflictum, remoto emplaſtro, parum ſanguinis ſeroſo - ſpumoſi ſtillabat. Facta interiorum hujus tumoris exploratione, mediante filo cereo per aperturam immiſſo, non tantum diverſæ cavitates, tam directe, quam oblique, ad octo pollicum dimenſionem, varie deſcendentes, detegebantur, verum etiam ſolidarum partium inter cavitates iſtas reſiſtentia quædam animadvertebatur, ſiquidem etiam quoties filum cereum iterum extrahebatur, ſemper modicum ſeri ſpumoſi prodibat, cum immenſo dolorum augmento. Ordinabatur hinc liquor quidam balſamicus, mediante ſyringa eburnea, in cavitates iſtas injiciendus, & ſacculi ex herbis balſamicis, reſolventibus & paregoricis parandi, vinoque calido immergendi, & facta expreſſione imponendi. Poſt horum medicamentorum uſum tumor quidem aliquantulum emolliri incipiebat, & genu paulo liberius flecti poterat, citra tamen ullum tam dolorum, quam ipſius intumeſcentiæ decrementum. Dubium hinc adhuc ſupereſſe videbatur, utrum adfectus hic pro tumore ſimpliciter ſanguineo, ob magnam illam ſanguinis copiam, facta inciſione, prodeuntem; aut annon potius pro articulorum fungo reputandus ſit, & quidem harum potiſſimum circumſtantiarum intuitu, quoniam 1.) tumor ſtatim poſt lapſum in genu adparuit, locum vero hunc inter præcipua illa, quibus poſt contuſionem fungi accreſcere ſolent, referendum eſſe, experientia docet; 2.) quia, poſt ſanguinis in tanta copia factum effluxum, tumor nihil plane imminutus fuit; 3.) quia ſub exploratione diverſæ cavitates cum aliquali ſolidorum reſiſtentia notatæ fuerunt; 4.) quia tumor tactu durus obſervabatur; 5.) quia poſt fili cerei extractionem, ſub leni preſſione, humor ſero-

ſo

ſo ſpumoſus prodibat. Re itaque accuratius penſitata, merito tumor hic pro *fungo* declarandus erat, cujus vero plenariam extirpationem nequaquam promittere licuit, præcipue cum ab inciſione, ſine qua tamen nihil prorſus præſtandum, ægrota pariter, ac parentes pro tempore abhorrerent. Sub hoc ergo ancipiti rerum ſtatu tantum per aliquot dies injectiones ope ſyringæ & fotus calidos vinoſos ſupra deſcriptos continuare placuit. Cum dein die X. Nov. ad ægrotam ſecunda vice venirem, eam viribus magis adhuc deſtitutam, &, ob metum inſtituendæ inciſionis, admodum anxiam deprehendi. Adpetitus & ſomnus fere in totum perierant, & ex prægreſſis quibusdam convulſionibus, mortem jamjam imminere, adſtantes arbitrabantur. Totus pes ſiniſter, ad extremitatem usque tumore nunc obſitus erat, & quidem procul dubio a ſanie ſanguineo - ſeroſa, per cavitates fiſtuloſas deſcendente, & intra muſculos gaſtrocnemios collecta. Ex ſuprema autem tumoris apertura, quam per turundam, unguento digeſtivo imbutam, dilatare fruſtra tentavimus, parum humoris ſanguineo ſeroſo - ſpumoſi, ſub ſenſibiliſſimis ægrotæ doloribus ſcaturiebat. In hac ergo rerum difficultate, cum absque chirurgica operatione omnia reliqua irrita fore parentes ipſi cognoſcerent, tandem, obtento horum & puellæ conſenſu, tumorem, quoad totum ſuum ambitum caute incidere decrevi, quo tam ejus interiora exactius luſtrari, quam ipſius, fungi & metuendæ in oſſibus cariei vera indoles poſſent. Hunc in finem alium Chirurgum, de cujus dexteritate certus eram, die XIV. Nov. accerſiri juſſi, qui etiam inciſionem ſequenti modo feliciter peragebat. Primo per aperturam, a prioribus Chirurgis factam, immittebat conductorem ſulcatum usque ad eum ſuræ locum, in quo, ut antea dictum eſt, materia continebatur ſanioſa, & cultro inciſorio verſus ſulcum conductoris directo, celerrime totum

tum diſſecabat tumorem. Hoc facto & vulneris labiis paululum diductis, ſtatim obſervabamus, fungum iſtum totam abſconditæ hactenus interioris cavitatis circumferentiam repleviſſe, & ad inſtar cavernoſi panis undique perforatum eſſe, inque iſtis cavernulis ſpumoſum humorem collectum fuiſſe. E cavitate autem iſta fiſtuloſa, intra muſculos gaſtrocnemios & os tibiæ notata, pus coctum, trium unciarum pondus referens, eximebatur, hocque facto tumor pedis ſiniſtri extremi repente, obortus, brevi iterum evanuit. Ad modum autem probabile nobis videbatur, quod hoc pus a ſanguine ibidem ſtagnante & virtute liquoris balſamici in purulentam materiam immutato, prodierit, quodque materia hæc poſtea gravitate propria verſus inferiora tendens, ad ſuram usque viam invenerit, partes ſolidas preſſerit, ſanguinis liberum progreſſum ibidem impediverit, & novo tumori pedis extremi occaſionem præbuerit.

De abſumendo autem fungo cum jam ante omnia cogitandum eſſet, inſimulque per ulteriorem inciſionem ſub præſenti ſtatu plura periclitari, ob ægrotæ timorem, non conſultum duceretur, primario laudabilem ſuppurationem, mediantibus digeſtivis & ſepticis medicamentis promovendam eſſe, judicavimus. Hæc cum in principio ſatis feliciter ſuccederet, non exiguam nobis ſpem de ſalutari eventu promittebat, quæ tamen brevi poſt iterum evaneſcebat. Vix enim quatuordecim præteriere dies, cum fungus de novo nimium quantum increſceret, & inſtar boleti terreſtris intra nychthemeri ſpatium fungoſam ſuam ſubſtantiam longe lateque diſſeminaret. Ipſa etiam ægrota, cui antea vires, uſus ſomni & adpetitus aliquantum redire videbantur, jam, inverſa rerum facie, de virium defectu, & adpetitus & ſomni amiſſione conquerebatur. Sub hoc itaque miſerrimo morbi ſtatu, nihil amplius ſupereſſe, unacum chirurgo judicavi,

vi, præter plenariam fungi exſectionem, in quantum quidem propter ſubjacentes tendinoſo-membranoſas partes eam præſtare artis erat. Hinc adparatu ad hanc operationem adornato, & ægrota per ſacerdotis conſolationem & analepticorum medicamentorum uſum optime præparata, chirurgus die XI. Dec. ultimam hanc operationem ſuſcipiebat, ſtatimque, ſuperiori parte remota, fungum profunde ſatis intra musculorum tendines & flexuram genu radices ſuas egiſſe, animadvertebat, eaque propter, cum his de cauſſis ſine tendinum læſione radices iſtas ſcalpello haud extirpari poſſe, probe videret, &, immiſſis digitis fungoſum hoc concrementum circa oſſeam ſubſtantiam & muſculorum tendines molle admodum & fœtidiſſimi odoris eſſe, intelligeret, reſtitantes ejus intra tendines & oſſa portiones, digitis adprehenſas, fruſtatim eximebat. Quam quidem operationem ſumma cum adſtantium admiratione & citra notabilem doloris perceptionem, attamen non citra malum omen, puella noſtra ſuſtinuit. Carne fungoſa remota & fundamento mali detecto, os femoris ad trium unciarum longitudinem aſperum & carioſum adparuit, eoque ipſo fœtoris & inſenſibilitatis cauſa ſeſe manifeſtavit. Hinc vulnus optimis equidem balsamicis & ſpecificis, in his caſibus alias uſitatis & expertis, qualia ſunt oleum Caryophyllorum in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolutum, Eſſentia Myrrhæ & ſuccini, oleum Therebinthinæ, aliaque, munitum & oſſis carioſi exfoliatio in tantum procurata eſt, ut plures ſqamulæ abſcederent; his tamen non obſtantibus hectica febris, vires puellæ paulatim abſumens, exeunte menſe Decembri curæ finem impoſuit, licet regimen optimum ſervatum & medicamenta ſimul interna antifebrilia & reficientia, prout morbi ſtatus poſtulavit, ordinata fuerint, manifeſto ſane indicio, quod plus valuerit arte malum.

Quemadmodum autem ex hac morbi hiſtoria curandi

ἀδυναμία ſatis abunde cuilibet pateſcit; ita pariter facile perſpici poteſt, quod omnino etiam plane impoſſibile fuiſſet, iſti fungo absque ſectione mederi, ob inſignem illam cariem in oſſe femoris ſimul præſentem. Proinde quoque luculenter liquet, quod chirurgi priores principiis atrocioris hujus mali, ex cauſa tam levi oborti, facile obſtare potuiſſent, ſi ſtatim regioni per contuſionem læſæ fotus vinoſos ex herbis reſolventibus & tonicis admoviſſent; hoc vero cum neglectum fuerit, & alter chirurgorum unguinoſa, alter emplaſtica ſtyptica adhibuerit, non aliter utique evenire potuit, quin partim membranoſæ & tendinoſæ partes per contuſionem prius relaxatæ, magis adhuc relaxarentur, partim etiam humores adfluentes ad ſtaſin & corruptionem diſponerentur, ſicque fungus lethalis induceretur.

Alio tempore ſimilis mihi caſus obtigit, ubi quispiam graviorem circa cubitum perpeſſus erat contuſionem, in quo vero tumor exinde enatus & certiſſime fungum minitans, per adplicationem emplaſtri ſaponati Barbette conjunctosque fotus calidos vinoſos, ex vegetabilius reſolventibus & paregoricis paratos, & cum ſpiritu vini camphorato irroratis, in herba quaſi ſuffocatus fuit.

(Chemnitio Erfordiam transmiſſæ d. 7. Martii 1737.)

OBSERVATIO XV.

Dn. D. JOANNIS JUSTI FICKII.

Lues venerea per mercurialia ſine ſalivatione ſubſequente curata.

Vir XL. annorum, temperamenti ſeroſi, & habitus corporis ſpongioſi, per longum tempus laſſitudinem totius

tius corporis dolores capitis & artuum, noctu præſertim ingraveſcentes, vigilias & ſudores largos experitur, cum maculis rubris, latis, non nihil elevatis, aſperis, itemque tuberculis rubris ac ſublividis, per faciem & totum corpus, præcipue in fronte & temporibus prope crines conſpicuis; adficitur nuper quoque hæmoptyſi. Ante menſem & quod excurrit moleſtatur catarrho ad nares, cum tanta harum intumeſcentia, notabilem inſimul ruborem & dolorem inferente, ut per eas ſpiritum ducere nequiret; ſiquidem etiam exulcerari interius nunc & fauces & vuula incipiunt. Gallicam ſubeſſe luem, quivis vel leviter ſalutaris artis principiis imbutus facile perſpiciet, cum non ſolum ſymptomata præſentia, ſed & cauſa externa, nobis relata, idem ſuadeant: Patiens enim principium morbi ſe contraxiſſe perhibet ab uxore propria, quæ ante aliquot annos eodem laboravit, nariumque cartilaginis & vocis ſonoræ jacturam inde experta fuit; cum vero cum eadem uxore non ſolum, ut ſolet, ſocialiter & in eodem habitaculo viveret, ſed etiam eodem lecto ſe tegeret, multorum doctiſſimorum Medicorum experientiam exemplo ſuo confirmavit, uno nempe ore perhibentium, etiam ſub tali cohabitatione contagium hoc in aliud corpus transferri poſſe, multo magis vero probabile erit, impura cohabitatione atque concubitu in eodem lecto ſimul junctis, ægrum hunc morbum ſibi contrahere potuiſſe, tanquam unico, juxta nonnullos Medicos, contagium hoc communicando modo, vid. SYDENHAM & alii; præſertim cum mulier jam tum antea laboraret fluore albo maligno & virulento, h. e. exulceratione ſordida venerea vaginæ uteri, quam nimis diu duraſſe, aut indebito adſtringentium uſu tractatam, lui venereæ cauſam dediſſe, certum eſt, cum hoc modo labem in partibus genitalibus ſolum præſentem toti maſſæ humorum intime commiſceri & per eandem diffundi neceſſe ſit. Eo facilius vero per coitum

hæc labes transplantari potuit, cum virus hoc in acido quodam viscido, ſeu fermento ſpecifico maligno, vel juxta SYDENHAMIVM in humore, inflammationis non mediocris participe, conſiſtat, per vulgus vero notum ſit, quod ſub oeſtro venereo omnes humores impetuoso & vehementiori exagitentur orgasmo, & ſic etiam fermenta nociva ſui juris magis fieri. Cōmunicatum vero per partes genitales corpori, & negligentius tractatum, totum ſanguinem cum reliqua humorum maſſa facillime inquinare atque depravare poſſe, quotidiana loquitur experientia, ſiquidem etiam per longum ſatis tempus, & interdum teſtante BAGLIVIO *p. m. 619.* ad 30. annos in corpore laticare poteſt. Efficitur inde ſanguis & lympha acida, aeris, tenerrima vasa facile irritans atque conſtringens, & hinc tardiorem humorum in partibus progreſſum producens, atque ſpiritibus impuritatem communicans, eorundem torporem & hinc totius laſſitudinem inducit; eadem humorum acrimonia, integumenta atque membranas tendinoſas atque nervoſas arrodens atque vellicans, dolorum capitis & artuum vera exiſtit cauſa, qui noctu magis ingravescunt, ob ſolis circa veſperam receſſum, humorum tardiorem circulum atque atmosphæræ compreſſionem producentem, id quod omnes morbo catharrhali vel alio analogo decumbentes, triſti ſuo exemplo experiuntur, quemadmodum etiam in noſtro morbo ſinguli id teſtantur, ut ſic hoc quaſi ſignum pathognomicum luis venereæ conſtituat, de quibus SYDENHAMIVS *in operibus p. m. 416.* ita ſatis vere loquitur: *Dolores tum caput, tum artus in articulorum interſtitiis, humeros ſcil. brachia & tales crudeliter laniant, nullo ordine invadentes & per intervalla, licet noctu ægrum, lectuli calore perfuſum, rariſſime deſtituant, nec niſi ſub auroram libenter evaneſcunt.* Vexantur quoque ex eadem cauſſa & ægri gallici vigiliis, partim a doloribus, partim a turbativo inquieto ſpirituum animalium motu dependentibus quemadmodum

modum ſudores largi eandem acrimoniam, vaſa capillaria & glandulas ſubcutaneas corrugantem, ſicque motum lymphæ impedientem, pro cauſa agnoſcunt. Virus hoc in corpore detentum majores in dies acquirit vires, acrimonia humorum augetur, & ſic illorum maſſa & partes conſtituentes magis depravantur, iisq; ad deſtruendas partes ſolidas major aptitudo conciliatur, id quod teſtantur in ægris hac lue infectis, exanthemata & tubercula varia in noſtro etiam caſu obſervata, quæ omnia ab acido corroſivo ab ipſa natura active ad partes extremas propulſo, capillaria minima, cum glandulis ſubcutaneis, corrodente, & extravaſationem inducente, oriuntur. Facilius hoc contingit in fronte atque temporibus, prope crines, quia his in locis vel vaſa ſubtiliora, vel major glandularum ſubcutanearum copia & teneritudo obſtructioni atque corroſioni facilius anſam præbet, ut hæc nota quaſi characteriſtica hujus luis eſſe poſſit. Perſpecta ſic cauſa vaſorum corroſionis atque humorum extravaſationis, facile patebit, unde hæmoptyſis illa noſtro in caſu originem ſuam duxerit, cum alias facile largiamur, in hoc morbo ſymptoma tale non quotidianæ eſſe experientiæ. Tandem qui maxime ægro moleſtus erat, catarrhus ad nares, eandem cum prioribus agnoſcit cauſam, materiæ nempe morbificæ arrodentis & vellicantis ad has partes decubitum, copioſſimas earum glandulas obſtruens, vaſa lymphatica diſtendens, ſuaque vellicatione, ob fibrillas nerveas in his partibus copioſas & maxime ſenſiles, majorem ſemper lymphæ adfluxum accerſens, quæ præpedita tumorem producere aërisque liberum tranſitum præcludere debuit, & inde tumor, rubor & dolor, de quibus æger conqueritur. Per viciniam adficiuntur partes oris & faucium, & quidem eo facilius, quo major glandularum in iis copia & ſic ad obſtructionem & eroſionem ſubſequentem propenſio, & inde ulcera ibi conſpicua ſunt. Conferri hic merentur,

quæ VERCELLONIUS *p. 29. de morbis pudendorum*, ingenioſe refert de conſenſu vaginæ & oris in mulieribus; ſi vero hoc in mulieribus, cur non in maribus? licet facile concedamus contradicentibus, per circulum lymphæ ab una glandula ad aliam deferri hoc miasma contagioſum poſſe.

In tanto ergo hujus morbi incremento tantaque malorum caterva, conſultum nobis fuit, *curam ſalivatoriam*, ut vocant, ſuſcipere, ad quam faciliorem reddendam ſicque ſimul ſperatum finem conſequendum, opus fuit ſequentes ægro diæteticas regulas præſcribere: Evitetur potus frigidus, ſpirituosus, non bene fermentatus, etiam consuetus, ſcilicet cereviſia, vinum & ſpiritus vini. Exulent omnia eſculenta, præter juscula carnium macra & carnes teneriores. Caveat ſibi ab aëre frigido, ventoſo & pluvioſo, cereviſiam bibat ſecundariam decoctum avenaceum, imo loco potus jusculis tenuibus utatur. His ita diſpoſitis exhibui mercurii dulc. de cujus debita præparatione ſatis certus fui, gr. XII. in VI. pilulis, veſperi ſumendis, quarum uſus etiam ſequenti mane & veſperi denuo, nec non tertio die repetebatur. Factum hinc eſt, ut quidem intumeſceret facies, labia & gingivæ, dentesque vacillarent, ſed nullus ſalivæ fluxus, licet per biduum in hoc ſtatu perſiſteret æger, ſubſequi voluit, ex hac forte cauſa, quoniam Mercurius purgando per alvum virtutem ſuam exerebat. In mentem nobis hac occaſione incidebat illud SYDENHAMII conſilium, quod extat *in Operibus pag. 431.* ubi monet: *Cavendum eſt Medico, ne animo nimium obſtinato ſalivationem importunius urgeat, recalcitrante natura*; & porro: *Religioſe cavere debet, ne, cum tanto conamine ſalivationem incaſſum ſollicitaverit, eam per vim invitæ naturæ extorquere pergat.* Quia tamen in tantum cura noſtra votis reſpondebat, ut naſus detumesceret, æger per illum aërem liberius atraheret, & ſic melius ſe haberet, iisdem medicamentis inſiſtere conſultum duximus.

Arri-

Arriſit itaque nobis illud VERCELLONII: *Eſto igitur*, inquientis, *ptyaliſmum, ſive externa ſive interna Mercurii adminiſtratione procuratum, a morbo tam truci liberare, quid nihilominus, ſi hoc ipſum per aliam viam obtineatur.* Hinc nobis non prorſus alienum videbatur, quod nulla ſubſecuta fuerit ſalivatio, cum per quotidianam experientiam non ſolum conſtet, mercurialia facilius per alvum operari, hocque ipſo ſeri copiam magis verſus inferiora trahere, ſed & VERCELLONIUS *l. c. pag. 245.* per ſæpius repetita purgantia idcirco ptyaliſmum ſecuriſſime mitigari poſſe moneat, inſuperque p. 241. annotaveit, pluries hydrargyro inunctum, neque copioſo ſputo, neque fluore alvi correptum fuiſſe, ſed tantum per urinam hydrargyrum minxiſſe, licet hæc de Mercurio crudo dicta ſolum ſint. Cœpta igitur via progredi placuit, & idcirco dedimus porro Turphet. mineral. gr. IV. in duabus pilulis, ægro ab his ne minimum commoto, cum ſupra dicta phænomena per aliquot dies perſiſterent, & nulla ſalivæ excretio ſequeretur, ſufficientibus ad illam indicationibus licet præſentibus, & cum nullis alvi torminibus, nec, ut SYDENHAMIUS loquitur, *dyſentericis* infeſtaretur patiens, proficuum nobis viſum eſt ad illam accelerandam quater adhuc alternis diebus mane, ſingulis vicibus gr. vj. Turpeth. minar. in tribus pilulis exhibere, ſupra dicto regimine ſimul ſervato; diſparuerunt abinde illa ad ſalivandum indicia, & ab ultimis doſibus aliquot ſubſecuti ſunt vomitus, nulla tamen ſalivatio. Hinc decocta alterantia etiam ſub ipsa cura propinata continuabantur, ipſa cura exhibito purgante mercuriali finiebatur, & æger jam a diris ſymptomatibus liberatus, ſanitate priſtina fruebatur. In cauſam vero non ſubsecutæ ſalivationis inquirentibus, cum ſupra dicta medicamenta adhibita non facile ſpem noſtram fefellerint, in variis varia adducta legimus, aliis humorum diſpoſitionem, aliis vaſorum ineptitudinem,

aliis alia accuſantibus, ſed præ omnibus optime rem acu tetigiſſe nobis videtur ſæpius laudatus SYDENHAMIUS *in Oper. p. m. 430.* ubi hæc habet: *Serio animadvertendum eſt, in quibusdam reperiri idioſyncraſiam, ſive temperamentum quoddam peculiare, tam ſalivationis reſpectu, quam purgationis (atque eadem pleumque in iisdem, ut qui ægre purgantur, ægre etiam ad ptyaliſmum perducuntur) ita, ut in nonnullis methodus laudata vix gingivarum exulcerationem queat efficere, multo minus ſalivationem procurare, quæ malo eradicando par ſit.* Et quamquam in eo a SYDENHAMII obſervatione diſtinctus fuerit ægri noſtri ſtatus, quod alvus ejus, denegata licet ſalivatione, tamen ſatis fuerit lubrica, & purgantibus facile ceſſerit, hac tamen via eadem adſecuti ſumus, quæ per ſalivationem plenariam & perfectam ſperare poteramus.

Scholion.

Medicis quibuslibet notiſſimum, ut per experientiam abunde jam confirmatum eſt, morbum hunc ut plurimum ab impuro concubitu produci & propagari, licet etiam per pravas exhalationes in aliud corpus poſſit transferri, compluribus præſertim ægris hoc ſimulantibus aut perhibentibus. Sic inter alia recordor, quod tali ratione, cum adhuc munere Archiatri apud Illuſtriſſimum Comitem *ab Hochberg* in Sileſia fungerer, integræ familiæ pagi cujusdam, dominationi Ejusdem ſubjecti, hac lue epidemice fuerint infectæ, quarum adultiores ſalivatione inſtituta, juniores alterantibus atque purgantibus medicamentis, additis pauciſſimis mercurialibus, abinde feliciter iterum liberabantur. Medicamenta quidem mercurialia a multis tamquam minus proficua rejiciuntur, & horum loco varia alia ſubſtituuntur; quantum vero utilitatis ab iis expectandum ſit, experientia abunde demonſtrat, utpote ex qua innoteſcit, quod ſaltem

pallia-

palliative huic adfectui medeantur, deterrimi hoſtis reliquiis in humoribus interim perſiſtentibus, tandemque majori cum noxa iterum prorumpentibus. Mercurialia enim reſolutionem humorum potentiſſime promovent, obſtructiones viscerum reſerant, & impuritates heterogeneas in illis collectas, debitam earum abſterſionem facilitando optime e corpore eliminant. Non opus erit plurium Auctorum hunc in finem adducere teſtimonia, inſtar omnium enim eſſe poteſt Illuſtris HOFFMANNVS, qui in *Medicina Conſultatoria*, variis in caſibus, morbo præcipue profundius radicato, quam maxime eadem commendat, immo abſolute neceſſaria judicat.

(Jenæ Erfordiam miſſa d. 10. Martii 1737.)

OBSERVATIO XVI.

Dn. D. JOANN. HIERON. KNIPHOFII.

De

Lue venerea, poſt ſalivationem nova incrementa capiente.

Vir juvenis viginti duo annorum, poſt varios congreſſus cum puris æque ac impuris ſequioris ſexus perſonis, Gonorrhœam patitur virulentam, quam etiam per integrum fere annum ſuſtinuit, conjunctis doloribus capitis, circa noctem ſemper ingraveſcentibus. Durante iſto tempore chirurgum unum atque alterum adiit, tandemque etiam Medicum, qui matrimonium cum ſana atque caſtiſſima virgine ineundum ſuadet, pro obtinenda faciliori curatione. Morem huic conſilio gerens, capillos ſimul reſcindi curavit, ad dolores capitis per liberioris tranſpirationis promotionem leniendos; hoc tamen non obſtante ſta-

t im poſt nuptias celebratas variolæ quædam in parte ſincipitis capillata efflorescunt, & in ulcuscula abeunt, quæ quidem externo uſu mercurii præcipitati ſubtiliſſime pulveriſati, itemque aquæ mercurialis iterum removere allaborat, ſed plane incaſſum, ſiquidem de die in diem magnitudine & numero augentur, ita, ut uno eorum conſolidato, ſemper tria aut plura denuo ſucceſſerint. Cum ergo inſuper ſub hoc ſtatu dolores in pectore & ulcera uvulæ atque faucium accederent, & loquela repente ita læderetur, ut nonniſi per nares ſibilando verba inſigni cum moleſtia proferre poſſet, meum implorat conſilium atque auxilium. Hinc medicamentis ſanguinem depurantibus & decoctis antivenereis diluentibus per quatuor dies adhibitis, ulceribusque faucium per gargarismata adpropriata conſolidatis, exhibui mercurium dulcem rite præparatum, in forma pilulari & mercurium vivum in unguento. Nondum plenarie ſcrupulos duos mercurii dulcis ita adſumſerat, & vix uncia ſemis mercurii vivi in unguento adplicata erat, cum ulcera ſalivationi alias ſolennia in tota oris ſuperficie orirentur, & lingua præter conſuetudinem ita intumesceret, ut neque edere, neque loqui, immo ne quidem os claudere poſſet. Ex naribus & faucibus materiam purulentam, ſub ſpecie vomicarum aut fruſtulorum carnis pinguioris, copioſe rejiciebat, conjuncto interdum dolore punctorio in pectore, & ſpeciali illo ſenſu, quaſi maxima vi adhibita fruſtulum pulmonum abrumperetur. Symptomatibus hisce, ope medicamentorum balſamicorum, traumaticorum atque decoctorum antivenereorum ſopitis, ſalivatio tandem ceſſabat, lingua detumescebat, profundiſſimæ foveæ, quas dentes lateribus linguæ impreſſerant, ſucceſſive evanescebant, reſpiratio fiebat liberior, ulcera in ore relicta, ex viridi rubrum monſtrantia colorem, conſolidabantur, fœtor oris antea fere intolerabilis ceſſabat, loquela in integrum reſtituebatur, & in capite

pice duo tantum foramina exigua adhuc reſtitabant, quæ Eſſentia ſuccini & Myrrhæ balſamica hactenus tractata, conſolidationem proxime promittebant. Cum vero ex mandato ſuperioris hinc diſcedere cogeretur, nec alii cuidam Medico morbi conditionem revelare vellet, oleum ligni Guajaci quotidie quidem ipſe adplicabat, tamquam ſpecificum in ulceribus venereis alias probatiſſimum, aſt irrito plane ſucceſſu ſub his circumſtantiis; nam materia purulenta in foraminulis his relicta, acrior magisque corroſiva reddita fuerat, & vitia diætæ, in potu vini generoſioris atque cibis acidis & ex ſaccharo præparatis comiſſa, neglectui deligationis atq; mundificationis ulcerum in ſubſidium veniebant, ut hinc ea ſerperent, & majora evaderent, donec horũ maximum trium digitorum excederet diametrum, peripheria ex labiis inverſis prætumidis, multis prurientibus veſiculis turgida, circulum contiguum minorem admodum ſenſibilem atque ſumme doloroſum ambiret, qui aream, duorum digitorum diametro carne luxuriante, colorem nigricantem & lividum exhibente, variosque monticulos & foveas formante, obſitam, oſtendebat, quæ brevi tempore per ſuppurationem ablata, cranium diametro duorum digitorum denudatum, in angulo oſſis ſincipitis ſiniſtri lateris, ubi ſutura ſagittalis & lambdoidea conveniunt, relinquebat. Extrema ulceris hujus labia, inverſa atque unius digiti craſſitie tumida, partim lapide infernali, alumine uſto, aut unguento Aegyptiaco, partim etiam per ſuppurationem, partim tandem forfice, absque notabili ſenſu, auferebantur, cranium interim tegebatur plumaceolis, Eſſentia ſuccini irroratis, aut pulvere ſarcotico, ex Colophonio, Maſtiche, Myrrha, ſanguine Draconis, Lap. Hæmat. &c. nihilo minus tamen omnem conſolidationem reſpuebat. Hinc unguentum Aegyptiacum, addito Mercurio præcipitato rubro, in virtute ſua exaltare & labiorum extremorum ſuppurationem promovere, circulum autem,

labia & aream interiacentem, cum balſamo Indico albo deligare, cranium ſimul leniter radendo, incepi, interne vero mercurium dulcem ſingulis quatuor diebus ad ſcrupulum ſemis in pulvere, cum æquali parte abſorbentis, exhibui. In peripheria majoris foraminis plura ulcuscula minora oriebantur, quæ alternative, tribus aut quatuor diebus prætterlapſis, exſiccata evanescebant; dolor in ulcere quoties augebatur toties arteria temporalis intumescebat ad calami ſcriptorii craſſitiem. Drachmas duas mercurii dulcis jam adsumserat, cum tota area ſyncipitis denudati per exfoliationem laminam detruderet oſſeam, & ſequentibus diebus per carnem, hinc inde ex poris oſſeis quaſi propullulantem, cum peripheria ſeſe iterum uniret, ut totum ulcus ita clauderetur, ſimulque reliqua in ano, dorso, & pone aures, poſt ſalivationem orta ulcera evaneſcerent, ſicque ad priſtinam ſanitatem æger reverteretur. In hoc ergo caſu ſequentes potiſſimum circumſtantiæ notatu dignæ vihi viſæ fuerunt:

1) Licet virginem caſtiſſimam duxerit uxorem, eaque ab illo gravida non ſolum reddita fuerit, ſed & eadem utenſilia, v. g. cochlearia, urceum atque lectum cum ipſo communem habuerit, ſanum juſto tempore excluſerit filium, quod tamen hæc fœdiſſimum illum morbum per contagium non contraxerit, nec ægrotus per coitum cum eadem reſtitutus fuerit, uti quidem Medicus crediderat.

2) Quod Mercurius in minori doſi exhibitus ſalivationem excitet nimiam, ſi antea adſumtus fuerit talis minus rite præparatus.

3) Quod cranium, cuticula, cute atque perioſtio deſtitutum, carnem ex poris oſſeis excreſcentem pro vulnere claudendo ſuppeditaverit.

4) Conſolidationem ulcerum venereorum non obtineri, niſi principio venereo ex M. S. prorſus extirpato & eliminato.

5) Quod,

5) Quod, etiamſi ulcera oris admodum copioſa, & intumeſcentia linguæ eximia ac prorſus extraordinaria adfuerit, dentes tamen firmi, absque vacillatione permanſerint, quod vitium practicum plerumque vel a mercurio minus rite præparato, vel incaute adhibito, dependet.

Coronidis loco ob convenientiam, alium adhuc ſubnectere placet caſum: Juvenis undeviginti annorum ex aliquoties neglecta Gonorrhœæ virulentæ curatione, ulcus venerum in fronte aliudque in ſiniſtro brachio reportaverat, quorum illud poſt obtentam denique conſolidationem pallore cutis tamen adhuc diſtingui poterat; alterum vero, ſalivatione peracta, aperturam minorem, inſtar puncturæ cum acicula factæ reliquerat, quæ nullo ſtudio atque cura iterum conſolidari poterat, ſed potius ſubito dilatata & undique ſe ſe diffundens, longe lateque ſerpendo progrediebatur, donec univerſa corporis ſuperficies unico quaſi obducta adpareret ulcere. Curationem videre licet in Diſſertatione mea inaugurali *de Lepra Arabum*.

Quoniam autem de reliquo horum ægrotantium uterque coitus fere innumeros cum variis, & quod maximum, impuris perſonis ſe perpetraſſe libere profitebatur, facile convictus hinc ſum, quod miasma venereum, gradu licet diverſum, ſi majori in copia præſto ſit, unica ſalivatione vix unquam debite evacuari poſſit.

OBSERVATIO XVII.
Dn. D. JOANN. HIERON. KNIPHOFII.
De
Prolapſu Uteri, menſium excretionem impediente, apto tamen Inſtrumento iterum repoſito.

VIrgo triginta annos nata, viſioris conditionis, laboribus durioribus adſueta, onus dorſo ſuſcipit ſedens,

& diductis pedibus ſurgere nititur, ſtatimque dolorem ruptorium in infimo ventre ſentit, quem tantus dein excipit Uteri prolapſus, ut orificium eijus internum in externo conſpici potuerit, quod tamen adhuc aliquantiſper à circulari quadam tunica carnea (hymene forſitan,) retinebatur. Labores ergo tantos, uti antea, ſuſcipere non poterat, ſed dolore preſſorio in vagina aliisque gravioribus ſymptomatibus corripiebatur, maxime quando paulo frigidiorem admittebat aërem, menſes inſuper plenarie ceſſabant, & incommoda ejusmodi obſtructionem ordinarie concomitantia ſuperveniebant. Auxilium itaque meum imploranti exhibebam medicamenta aperientia atque uterina, ac ſimul inſtrumentum ex filo ferreo contorto paratum, continuo geſtandum præbebam, quo uterus in ſuſpenſo teneretur & oſcula excretoria (ſive cum celeberrimo BERGERO & BOHNIO in vagina uteri; ſive cum WEDELIO in utero ipſo ea ſtatuas,) per invaginationem non comprimerentur, aut excretio ſanguinis ordinaria impediretur. Sic nullos amplius in abdomine percepit dolores, labores graviſſimos rurſus ſuſcipere potuit, & menſtruus fluxus debito tempore rite ſuccedebat. Inſtrumentum autem illud ita erat conſtructum: Filum ferreum, duos pedes longum, ignitum, ſponteque frigefactum, in medio (*vid. Fig. 1. Tab. I. a.*) in circulum, diametrum unius digiti referentem, inflectebam, aliumque pari ratione inflexum huic adplicabam, ita, ut circuli hi, decuſſatim ſe ſe quaſi interſecantes, globum repræſentarent, quatuor autem iſtorum filorum partes verſus extremitatem ita contorquebam, ut unum tantum globi conſtituerent manubrium (*Fig. 1. b.*) quod longitudine, ſeu ſpatio, ſex digitorum a globo in angulum acutum (40. circiter graduum) inflectebam, circa ipſam vero extremitatem fila diſtrahebam, iterumque implicabam, ut commodius faſcia potuerint firmari. (*Fig. 1. c.*) Hoc inſtrumen-

mentum linteolis involutum, filo cannabino prius circumducto, cera alba liquefacta obduxi, faſciamque abdomen ambientem, (*Fig. 2. d. d. d.*) & in ſuperiori parte humeros tranſcendentem, (*ibid. e.*) in inferiori vero circa inguina & prope muſculos gluteos deſcendentem (*Fig. 2. f. f. f. f.*) ita adplicavi, ut tam anteriori, quam poſteriori corporis parte ſuſpenſum teneret inſtrumentum, cujus ope, absque inſigni moleſtia, uterus in ſitu convenienti poterat conſervari.

OBSERVATIO XVIII.

Dn. D. JOANN. HIERON. KNIPHOFII.

De morbis quibusdam anniverſario tempore recurrentibus.

NOnnullos morbos certum ſervare typum, Medicorum neminem fugit, immo & ipſi vulgo notiſſimum eſt, qui idcirco febres inprimis tertio, quarto, quinto die, & ſic porro recurrentes, tertianarum, titulo inſignire ſuevit. Paulo rariores vero deprehendimus morbos eodem die ſingulis annis revertentes, quorum e numero etiam interdum hæmorrhoides, podagra, aliique. Sanguinis aniverſarium ſputum adnotavit. Exc. LANZONUS *Vol. 1. Act. Nat. Cur. Obſ. XLII. p. 87.* Criſin anniverſariam per tumores, in hypochondriis ſponte ſuppuratos & iterum conſolidatos, deſcripſit, ALICHERUS *in Annal. Medico-Phyſicis Vratislaviens. Tentam. XIX. p. 98.* Quæ autem mihi occurrerunt hujus commatis exempla, in ſequentibus conſiſtunt. Vir quidam, habitus athletici, cucumeres aceto & oleo olivarum conditos in tanta ingurgitabat copia, ut ſtatim poſt eorum adſumtionem febri tertiana corriperetur, qua per tres menſes laborabat, poſtmodumque tribus ſubſequentibus annis, recurrente prima invaſionis die, ſemper iterum eadem per aliquot ſeptimanas vexabatur.

Mer-

Mercator quidem, cholerici temperamenti, ſubluxatio nes pedis aliquoties expertus, nundinas petit, in itinere autem vino delectatur, dehinc inter deambulandum ad ſudorem diſponitur, qui dein in frigidiori conclavi iterum ſupprimitur, unde ſtatim tumor, dolor atque arthritica in pede ſubſequuta ſunt ſymptomata, quæ in quartum usque annum, eodem revertente die ordinarie recurrerunt.

Puer octo annorum, thorace atque abdomine induſio ſaltem leviter tectis, capiteque denudato, hiemali tempore trahæ vectione delectatur, hinc ſpasmis atque crebriori oſcitatione corripitur, cum horrore febrili, quæ ſymptomata non tantum difficilem admittebant medelam, ſed etiam altero atque tertio anno, die atque hora primæ invaſionis, ſub iisdem circumſtantiis exacte revertebantur.

Sutor quidam macilentus medicamentum purgans deſiderabat, idq; etiam, enarratis indicantibus obtinebat, dein ope alius perſonæ, nauſeam a dyſpeptis ortam fingentis, nanciſcitur quoque vomitorium ex Tartaro emetico paratum. Utroque hoc medicamento devorato, uxor decoctum foliorum Sennæ cum prunis eidem præbet, quod pariter ſuperingerit, & quia vomitum ſatis copioſum his excitatum iri dubitat, tandem adhuc plumas forfice diſciſſas ſtimuli loco avide deglutit. Purgatur inde ſatis fortiter ἄνω καὶ κάτω, adeo, ut vix iterum ſedari potuerint acceleratæ nimiumque copioſæ iſtæ dejectiones. Subſequente ſecundo atque tertio anno, eodem die, iisdem adfligitur ſymptomatibus, ſaltem in paulo leniori gradu, licet nec emeticum nec catharticum quoddam adſumſerit.

Virgo duodeviginti annorum, piſa adhuc juniora cruda notabili in copia comedit, reliquorum autem ordinariorum ciborum adſumtionem prorſus negligit. Inſtabat tunc tempus excretionis, quæ vero non ſuccedebat, e contrario vero abdomen intumeſcebat, concurrente adpetitus pro-

proſtratione, inſigni imminutione, reliquisque ſymptomatibus menſium obſtructionem & anomalias ordinarie ſtipantibus, quæ elapſis aliquot menſibus quidem plenarie iterum profligata, ſingulis tamen annis & quidem quarta jam vice, eodem tempore & die recrudeſcunt.

Tibialium textoris filius, undecim annos natus, in platea fratrem minimum, duorum annorum, manuducens, fabam minorem in terram projectam ore excipit, quæ dum fratrem tenellum ſublevare & brachio imponere intendit, eoque ipſo ſub inſpiratione aërem celerius attrahit, intra aſperam arteriam transfertur. Protinus hinc concidit puer & ſuffocari videbatur, ſub enormi anxietate, ubi inſimul, quando expirabat, ab adſtantibus ſonus fabæ, impetu ſurſum propulſæ, ſcrobiculo cordis ad jugulum usque percipiebatur, quemadmodum etiam ſub inſpiratione ejusdem deſcenſus intra bronchia, itemque alliſio ad cartilagines trageam conſtituentes, ab irruente aëre excitata, tam ab adſtantibus auditu, quam ab adflicto ſenſu diſcerni poterat. Adhibitis interim ſpiritibus nervinis, & interne quibusdam analepticis, undecimo tandem die fortiſſimo ſcreatu fabam eructabat, varia tamen incommoda, ab intercepta reſpiratione, dependentia, per integrum adhuc menſem perſentiſcebat, quæ tandem adpropriatorum remediorum uſui quidem cedebant, annuo autem tempore bis recurrebant, & per plures dies durabant, mitiori tamen ſemper ſub ſchemate, donec tertio anno ſponte evanuerint.

(*Communicatæ Erfordiæ*
d. 16, Mart. 1737.

OBSERVATIO XIX.

Dn. JOANN. THEOPHILI MICHAELIS.

Cruſtaceum in Teſtaceo,
ſive
Cancellus intra ſubſtantiam Conchæ margaritiferæ deliteſcens.

Paucis abhinc ſeptimanis artifex quidam hujus urbis, pro conficiendo opere muſivo, conchæ margaritiferæ valvam inferiorem ſerra in tenues lamellas diviſurus, dum partis interioris nitentis portionem aliquam tumentem & ſupra reliquam ſuperficiem notabiliter eminentem (*vid. Fig. 3. Tab. I.*) abſcindere conatur, eandem aliqua cavitate conſtare, inter operandum animadvertit. Sciendi cupidus, quid rerum ibidem lateret, reliquum opus ea cautione inſtituit, ut lamellam, quam ſeparare inceperat, illæſis contentis, a reſiduo auferret. Id cum effectui dediſſet, en oculis offertur cancellus elegantiſſimus, coloris albidi, dictæ cavitati, (*vid. Fig. 4.*) quæ in conchæ ſubſtantiam aliquantenus penetrabat, ope ſucci alicujus nigricantis & exſiccati, qui parietes hujus cavernulæ circumcirca inveſtiebat, firmiter adglutinatus. De figura & magnitudine hujus cancelli non eſt quod multis dicamus, cum ex adjecta imagine (*Fig. 5.*) diſtincte ſatis adpareant. Supereſt ergo, ut de modo, quo eidem ſingulare adeo atque nobile ſepulcrum obtigerit, paucis diſpiciamus. Concharum margaritiferarum teſtas ex innumeris ſtratis tenuibus, materia dura & ſplendente conſtantibus, ceu totidem teſtulis, ut NIC. STENO, *in Prodromo Diſſ. de ſolido intra ſolidum*, loqui amat,

com-

compoſitas eſſe neminem latet. Nec minus manifeſtum eſt. eaſdem teſtas temporis ſucceſſu magis magisque augeri & ab exiguis rudimentis ad inſignem quandoque molem & craſſitiem excreſcere. Cum vero in iisdem nihil organici occurrat, merito hinc concludere licebit augmenta earundem a principio aliquo interno proficiſci, videlicet ab ipſo animalculo, teſtis incluſo, & ope ſucci cujusdem glutinoſi, qualem in limacibus, revera obſervamus, prioribus ſtratis nova ſuper inducente. Modum ipſum, quo negotium hoc perficitur, dupliciter concipere poſſumus. Vel enim ex innumeris glandulis, per integram animalculi ſuperficiem diſſeminatis, continuo transſudat liquor ille viſcidus, hacque ratione & circumferentia & craſſities teſtæ inſenſibiliter augetur, quæ ſententia STENONI l. c. placet; vel adſunt in eodem vaſa quædam majora ſive receptacula, in quibus dictus ſuccus præparatur & conſervatur, donec ſtatis temporibus inde effuſus, interiores teſtarum parietes, gelatinæ ad inſtar, undique obducat, moxque ſub aquæ & aëris acceſſu duritiem contrahens, novum ſtratum præcedentibus addat. Uter horum modorum in natura rerum obtineat, definire non audeo, utpote exactioribus obſervationibus deſtitutus. Poſteriori tamen opinioni præſens cancelli noſtri phænomenon magis favere videtur, dum illa ſuppoſita explicatu erit facillimum, qua ratione eo loci reconditus fuerit. Si enim præſupponas, eundem illo ipſo tempore, quo animal, conchæ margaritiferæ incola, ampliandis teſtis deſtinatum liquorem in aliqua copia emiſerit, vel undarum vi, vel ſponte ſua intra hiantem concham fuiſſe delatum, absque ullo negotio concipi poteſt, ipſum dein lento illo atque viſcido ſucco irretitum, novoque liquore ſuccedente opertum, carcerem ſat validum ibidem inveniſſe, qui dein progreſſu temporis majorem continuo firmitatem atque craſſitiem, recentioribus ſtratis iterum ſuperinductis, acquiſivit.

Ejusdem vero phænomenoni rationem ex altera ſententiæ redditurus, majores utique difficultates ſibi obſtantes inveniet. Cum enim teſtæ, ſecundum illam, continua quidem, aſt lenta & elapſo demum aliquo temporis ſpatio ſenſibilia incrementa capiant, abſolute hinc ad abſcondita quædam vincula confugere tenebitur, quæ cancellum, nec dilapſum, nec alia ratione inde ablatum, eo usque retinuerint, donec tantantum liquoris, quantum ipſo adglutinando & operiendo ſuffecerit, ex animalculi glandulis cutaneis expreſſum eſſet. Nec adeo inſolitum cenſeri debet & in hypotheſeos ſolummodo gratiam effictum, dari in quibusdam animantibus vaſa, liquorem, qui ab immediato aëris, vel aquæ acceſſu mox ſoliditatem nanciſcatur, fundentia, cum LISTERO, MALPIGHIO & Dno *de* REAUMUR teſtibus, & aranearum telæ, & omnia, quæ ab erucis ducuntur, fila, ipſum immo ſericum & integra chryſalidum tegumenta, ex ſimili liquore, intra peculiaria ſatisque conſpicua receptacula adſervato, originem ducant. Eandem illam hypotheſin quoque ad illuſtrandam margaritarum geneſin cum aliquo ſucceſſu adhiberi poſſe, exiſtimamus. Maximam enim & meliorem margaritarum partem intra ipſas conchæ margaritiferæ carnes inveniri, ab Hiſtoriæ naturalis Scriptoribus unanimi fere conſenſu docetur, inter quos ſolum *Anſelmum* BOETIUM *a* BOOT excitaſſe ſufficiat, qui multas conchas, margaritis prægnantes, quales alunt Bohemiæ flumina, vivas diſſecuit unionesque haud ſpernendas inde extraxit. Tantiſper igitur admiſſa hac noſtra hypotheſi, non ſine veritatis ſpecie margaritis eadem fere origo adſignari poteſt, quæ vulgo lapillis, in boum, porcorum, equorum, ipſorumque hominum cyſtide fellea, conſcreſcentibus, oculosque interdum haud ingrato ſplendore adficientibus, tribuitur. Dum nimirum liquor ille grumoſus in ſupra dictis vaſis ſtagnans, quacunque de cauſa nimium lentorem concipit, facillime accidere poteſt, ut

in

in grumos colligatur, qui, vaſorum orificiis majores, cum inde ſtatim extrudi nequeant, temporis decurſu indurati & adlabente continuo nova materia in majorem molem aucti, tandem in margaritas, id eſt corpora dura, ſplendentia, ex pluribus exiguis ſtratis, nucleum aliquem circumdantibus, compoſita, figuræ, qualem permittunt loci, ubi formantur, ut plurimum globosæ, nunc majora, nunc minora, abeant. Idem effectus expectari debet, quando corpus quodcunque heterogeneum intra illa vaſa delatum, eorundem orificia obſtruit, aliamque ibidem moram trahit, quale exemplum a STENONE l. c. allegatur. Ipſas illas margaritas, quas haud raro teſtis adnatas invenire licet, plerumque intra animalculi corpus genitas eſſe probabile videtur. Animal enim omnes nervos, ut incommodos adeo hoſpites, quales, ſunt morboſæ illæ concretiones, ſuis ſedibus exturbet, intendens, conatu ſuo non ſemper fruſtrabitur, margaritasque intra teſtæ cavitatem deponet, ubi quid facilius, quam ut alterutri valuarum adhæreſcant, immo novo liquore accedente, vel grandiores adhuc evadant, vel etiam penitus ſepeliantur? Hoc autem revera ita contingere, maſſæ illæ informes, vel potius *pſeudo margaritæ*, quas artifices vulgo pro margaritis Scoticis venditant, & quæ ſæpiſſime tres pluresve uniones minores, ceu totidem nucleos, ventre concluſos gerunt, evidenter demonſtrant; ſimulque docent, ex ſucco, qui teſtis materiam præbet, inæqualiter diſtributo atque hinc inde in nodulos conglobato, aliquando etiam extra animantis corpus maſſas, margaritarum æmulas, generari poſſe, quæ vero rariſſime figura regulari præditæ erunt & nunquam fere ad verarum elegantiam accedent. Illos autem, qui margaritas ex ipſa teſtæ ſubſtantia, ut plantulas, vel fungos ex terra, effloreſcere, inſtarque vegetabilium ſucco nutritio, undecunque advecto ali, & tandem ad maturitatem neſcio quam perduci ſibi fingunt, nequaquam audiendos eſ-

 ſe

ſe cenſemus. Sed & iſta, & reliqua omnia, quæ hac occaſione in medium attulimus, clariſſimorum hiſtoriæ naturalis cultorum judicio ſubmiſſa ſunto, quibus, iis maxime, qui opportunitate in conchis vivis, vel recens ex aqua extractis, limatiores obſervationes inſtituendi gaudebunt, conjecturas noſtras vel illuſtrandi, vel emendandi, vel etiam rejiciendi, ampliſſimam facultatem æquo animo relinquimus.

(Dresda Erfordiam miſſa d. 21. Martii 1737.)

OBSERVATIO XX.

Dn. D. JOANN. SEBAST. ALBRECHTI.

Apoplexia repentina ab ira.

Immoderatos animi motus, creberrime in corpus humanum edere vim & effectus, nulli etiam vehementiſſimo veneno ſecundos, adeo nota, per experientiam quotidianam, res eſt, ut non Medici ſolum, ſed & Hiſtorici plura triſtium ejusmodi eventuum exempla litteris conſignaverint. Quid de *lætitia immoderata*, qui adfectus tamen plus jucunditatis habet, ejusque effectu tragico memoriæ prodiderit dictorum factorumque memorabilium elegans ſcriptor VALER. MAXIMVS *Lib. IX. cap. XII.* nemini non notum eſt. De *triſtitia* adeo nota eſt hæc veritas, ut balneum Satanæ cymbamque charontis eam vocari non ſit inconſuetum. Ira vero inprimis, docente Illuſtr. HOFFMANNO *Med. ſyſtemat. rat. Tom. II. p. 176.* ſuccos veneno imbuit, *ut inter venenum & animi adfectum, præſertim vehementiorem, ratione virium & effectuum nulla prorſus intercedat differentia;* quemadmodum etiam *ibid. p. 152.* monet, *tantum eſſe animi adfectuum vehementiam, ut celerrime corpus, etiam firmiſſimum,*

&

& integra ſanitate fruens lædere, ejusque motus ordinatos, qui vitæ præſunt, deſtruere, pervertere, & graviſſimos morbos, immo ſubitam mortem inferre poſſint; hinc adeo fieri, inquit porro, *ut potentia & celeritate nocendi validiſſima etiam venena ſuperent, quæ non tam cito mortem inferant, vel in momento in actiones vitales graſſantur, quam ſubitus & vehemens animi adfectus, qualis Ira eſt.* Inter alia mala, ab intemperato hoc adfectu, crebrior eſt, inprimis in fœminis & ſenioribus, ſanguineis, cholericis, & ſimul cachecticis, *Apoplexia*, ut hinc nata ſit notiſſima dicendi formula: Er hat ſich erzürnt, daß Ihn hätte mögen der Schlag rühren. vid. *Illuſtr. b. m.* STAHLII *Colleg. Caſual. min. p. 166.* Quem nunc refero caſum, ut veritati novum addat pondus, dignum reputavi, qui locum inveniret in hisce Actis.

Fœmina, temperamenti ſanguineo-cholerico-melancholici, ætat. XLVI. annos, habitus corporis & magnitudinis mediocris, carnoſi tamen, plurium liberorum mater, ad iram maxime proclivis, cujus adeſt quotidie occaſio, in gubernanda domo numeroſiori, in diſponenda re œconomica vigilanti ac ſollicitæ curatrici, per hunc adfectum, aliis forſan cauſſis, v. g. vini & Coffée potu, interdum largiori, non plane exceptis, jam ante aliquot annos, acquiſivit ſibi anomalum & ſæpius ſimul immodicum menſium fluxum, cum iteratis narium hæmorrhagiis alternantem. Hæc ſymptomata crebrius quidem, etiam proxime præterlapſo vernali tempore, venæſectione in pede, temperantibus, nitroſis, antispasmodicis, medicatarum aquarum leniorum, aliorumque diluentium & ſpaſticos inordinatos motus demulcentium medicamentorum uſu, ſemper reſpectu ad alvum ſimul habito, conſopita ſunt; menſe vero Majo, per iram non ſolum hæc reſuſcitata ſunt mala, ſed acceſſit quoque crebrius aliqua loquendi difficultas, ab inſultu paralytode linguæ, ſed transeunte, dependens. Nos interim illam Apoplexiæ

plexiæ nuncium eſſe prædicentes, ut ab ira ſibi temperaret, frenaque injiceret vehementiori adfectui ſuaſimus, periculum in re tanta rationibus & exemplis ante oculos ponentes, ſimul vero non ſine ſucceſſu optato medicamentis huic malo mederi laboravimus, ſed ſub finem Julii a. c. cum aliquid in re œconomica ab ancilla neglectum obſervaſſet, denuo vehementia adfectus ſuperata, inter altercandum cum ancilla hemiplexia dextri lateris tacta concidit. Aduocatus altero die, V. Sionem jam largiter adminiſtratam eſſe audivi, ægrotam vero inveni aphonam, facie rubente inflata, pulſu circa tempora forti, os ſiniſtrorſum paulo diſtractum erat, oculos apertos nec admota lucida objecta, nec alia movebant, nec nares ſpiritus maxime volatiles feriebant aderat tamen ſufficiens deglutiendi potentia, pro adſumendis liquidis alimentis & medicamentis, reſpiratio quoque ſine ronchis, artus dextri lateris quaſi emortui, ſine ſenſu & motu, adparebant, in ſiniſtri autem lateris extremis actiones hæ quidem adhuc præſto erant, maxime tamen debiles & imperfectæ, ita ut contactum manus ſentiret, brachiumque & pedem movere, ſine ullius adjumento, potuerit, licet in ſomno id agere videretur. Aluum jam ab aliquot diebus obſtructam, Clyſtere acriori revellente reſerari juſſi, quod factum optime, ſubſequuta magna excrementorum nigricantium, putredinem olentium, copia, cum multis nucleis ceraſorum, quos ante octiduum cum carnibus ſuis devoraverat. Interne propinabantur antiſpasmodica, cum temperantibus & nervinis, non neglectis cephalicis ac analepticis. Externe veſicatoriis ad artus adplicatis, ad excitandum motum meningum, vertex capitis ex Illuſtr. b. m. WEDELII conſilio, fovebatur calidiori ferro, quo ſartores, utuntur, (mit einem Bügel-Eiſen) aſt ſine ſenſu, nucha inſuper balſamo nervino ſimul cum tota ſpina ſedulo inungebatur, ſubjuncta frictione cum panno calido. Sed omnis

labor

labor ſine ullo erat effectu, ſeptimo namque ab inſultu die, citra præviam qualemcunque alterationem, niſi quod rhonchos tandem etiam duceret, ſui ipſius diu quaſi immemor, expiravit. Conf. LANCISIVS *de ſubitan. mortib. Cap. IX.* §. *XVIII. p. m. Oper. ejusd. 39.*

OBSERVATIO XXI.

Dn. D. JOANN. SEBAST. ALBRECHTI. Singularia & rariora quædam obſervata anatomica.

Talia adnotare licuit in ſectione cadaveris ſtudioſi valetudinarii, ætat. 17. annorum, qui poſt varia ſymptomata graviora, cordis doloroſam palpitationem, asthma periodicum, hæmorrhagias per varia excretoria, naſum, os, alvum, cum ipſa urina quoque ſuccedentes, tandem febri lenta conſumptus, ſubita ſyncope, inter altos clamores de dolore cordis querulus concidit, d. 9. Nov. 1736.

Totum corpus emaciatum erat, præter pedes, qui tumore œdematoſo turgebant. In cute, ſub axillis & aliis quibusdam in locis, hinc inde ſtaſeos, ſeu ſuggillationis a decubitu factæ, ſigna adparebant.

Thorace aperto reflexoque ſterno, pulmonum ſiniſter lobus, minor, brevior collapſus, uterque vero per totam ſuam ſubſtantiam corruptus erat, ubique maculis lividis, flaveſcentibus, atro-purpureis, inſtar marmoris variegati. Ex hac ipſa vero ſubſtantia corrupta, profluebat, inciſione facta, ſanguis mucoſo-ſpumoſus, aut potius humor, obſolete rubicundus, lutulentus, & modica quidem, propter ſpiſſitudinem & lentorem conjunctum, quantitate.

Siniſter minor lobus vix ad dimidiam thoracis, ſiniſtræ cavitatis, partem pertingens undique a pleura liber, dexter

vero in ſuperiori poſtica parte cum pleura arctioribus vinculis connexus erat.

Cor flaccidum, exſuccum & exſangue, duplo majus, quam in ſtatu naturali ſub hac ætate ordinarie deprehenditur, ultra dimidiam ſiniſtræ cavitatis partem in thorace occupabat, atque poſt extractionem & repurgationem una cum pericardio & auriculis, ponderis civilis ℔ j ß. æquabat.

Pericardium, quod illud ipſum cingebat, validioris & denſioris erat texturæ, atque ubi convexiorem cordis ſuperficiem tegit, haud procul ab apice, ligamento valido latiusculo, duorum transverſorum digitorum longo, illo in loco cum pleura erat connexum, ubi coſta quinta vera cum cartilagine ſui ordinis, ſterno adnata eſt, angulumque ſic format obtuſum; ubi vero inferiorem & planiorem cordis ſuperficiem illud cingit, majori multo ambitu, quam naturaliter id fieri conſuevit, cum diaphragmate erat arctiſſime connexum per fibras tendineas, & ubi ampliorem cordis partem, ſeu baſin, ambit, non uno in loco cum pulmonum tunica externa coaluerat.

Inciſione facta in hoc ipſum cordis involucrum, modica quantitas ſeri ſpiſſioris, flaveſcentis, effluebat. Interim impeditum neceſſario fuiſſe cordis motum ad vitam adeo neceſſarium, non ſolum ex modo dictis, ſed etiam nunc dicendis patet. Nam inferioris & planioris ſuperficiei pars major cordis, una cum illa, quæ *apex* vocatur, per validiores fibras, easque breviores, tendineo-membranaceas cum pericardio eodem in loco arctiſſime nexa erat, ubi hoc cum diaphragmate coaluiſſe jam dictum eſt. (*)

Auri-

(*) Ejusmodi concretionem in tribus ſubjectis etiam obſervavit clariſs. *D. D. AGRICOLA* Ratisbonæ, in quorum uno pleura & pulmones ſine labe erant. vid. *Commerc. Litterar. Phyſ. technic. med. Noriberg An. 1736. Hebdom. XLI. p. 322.*

Auriculæ cordis, pro hujus magnitudine præternaturali, minores & flaccidæ erant, uti cor ipſum fuit.

Ventriculi cordis parciſſimam ſanguinis continebant quantitatem. Dexter ampliſſimam monſtrabat cavitatem, ſiniſter vero, ſ. minor reſpective ad reliquam cordis maſſam, conſtrictior, deprehendebatur.

Vaſa cordis majora, tam arterioſa, quam venoſa, majoris erant diametri, nec in illis quidquam concreti polypoſi obſervabatur.

Tracheæ poſticæ parti, ubi ſub figura furcata in bronchia diviſa, utrumque lobum pulmonum ingreditur, eo ipſo in loco, adnatus reperiebatur tumor glanduloſus, ovi gallinacei mediocris ambitus, qui in diverſis cellulis, membranoſis, ſubſtantiam continebat ſebaceam, mollem, plus minusve ſolidam, ſabuloſam, nec non in tophos inæquales, variæque magnitudinis, concretam. In externa hujus tumoris circumferentia undique diſſeminatæ erant glandulæ minores, oblongæ lividæ, quæ inciſæ ſerum ſtillabant flaveſcens.

Pleura ipſa quoque circa thoracis vertebras validior erat, & in hac quoque poſteriori parte pericardium cum adjacente œſophago connexum adparebat.

Hepar magnum, undique ſcirrhoſum & per totam ſuam ſubſtantiam, non per ligamenta ſuperiora tantum, ſed etiam quoad poſteriorem ſupernam & convexam majorem ſui partem cum diaphragmate arctiſſime connexum erat.

In concava parte hujus viſceris, haud procul a fellea veſicula, bile copioſa ſpiſſiori, crocea, diſtenſa, appendiculus, ſive lobulus minor hepaticus prominebat, vix duorum tranſverſorum digitorum magnitudine, ad quadratam figuram fere accedens, cujus ſubſtantia adhuc erat ſaniſſima, ſicuti hepatis in naturali, & ſano ſtatu eſſe ſolet.

Lien ſpasmo quaſi contractus, brevior duriorque erat, vaſa autem brevia turgebant nigricante cruore.

Renes compreſſiores, exſucci & exſangues, diaphragmati itidem erant proximiores, in tunica omni adipe deſtituta. Ubi vero cum lumbis erant annexi, utroque in latere ſigna ſtaſeos inflammatoriæ adparebant. In ipſa vero ſubſtantia neque hujus quidquam, neque aliud quid peregrini in pelui reperire licebat.

Omentum corrugatum, amiſſa omni pinguedine, flaveſcebat.

Ventriculus & inteſtina flaccida, omni pinguedine deſtituta, jucundiſſimum, vaſculorum ſanguiferorum minimorum textura elegantiſſima, oculis erant objectum.

Ex abdominis cavo lymphæ extravaſatæ flaveſcentis, ſtatim a prima inciſione, perfluebat modica quantitas.

Spina dorſi circa quintam thoracis vertebram in curvam abibat lineam, quæ vero curatura ad rectam viam redibat ab obliqua prope primam lumborum vertebram.

Nox ingruens impediebat, quo minus in interiora ventriculi & inteſtinorum potuerimus inquirere.

Scholion.

Cordis palpitationem ob adhæſionem pericardii cum corde ex BELLONII *Libr. I. Conſ. 109.* adducit BONETVS *in Anatomia pract. Libr. II. Lect. VIII. Obſerv. XX. p. 647.* qui inſuper quoque obſervavit in ſubjectis, cordis palpitationi obnoxiis, arteriæ magnæ tunicas admodum dilatari. Vid. *ibid. p. 652.* De corde quoque duplo majori, bubulum referente, liene ſimul & hepate ſcirrhoſo, cum hydrope incipiente, extat ejusd. Obſervatio *p. 656. ibid.*

Conferri porro meretur ejusdem Obſervatio de Dyſpnœa a pulmonibus undique etiam cum pericardio & mediaſtino con-

connexis, &c. in juvene Scaphuſano, quæ eſt *LXXII. Libr. II. Sect. I. Sepulchret. p. 411.* Quemadmodum dyſpnœam a pericardio craſſiori, cordi undique adnato, cum ſyncope inſequuta deſcribit *ibid. obſ. XCIX. p. 431.* ut mirum hinc non ſit, in noſtro tot mala gravia lethalem ejusmodi eventum in juventute induxiſſe. Tandem quoque omnino adhuc meminiſſe juvabit illorum, quæ doctiſſimus LANCISIVS *de ſubitan. mortibus*, harumque cauſſis ex parte cordis & magnorum vaſorum *Cap. X.* erudite monuit: Cum ad ſtructuræ vitium referri quoque poſſit ſolito major cordis moles, natura primum contexta, deinde per morbos aucta, hæc ſane frequenter ſubitæ mortis præbet occaſionem. Sanguis enim, ſi progreſſu temporis acer, minusve fluxilis evadat, ſenſim propter ſuam in præcordiis moram, magnitudini cordis novum pondus adjungit, quod tandem cor ipſum verſus diaphragma detrudit, & usque adeo renititur ejus potentiæ, ex qua cor tenditur, & ſanguis quaqua verſum in arterias pellitur (verbo, unde animal vivit) ut non ſolum cum eadem potentia ad æqualitatem perveniat, ſed illam plerumque repente atque in opinato vincat. Conferantur quoque ea, quæ *ibid. Cap. XII. §. III. & IV. it. Cap. XIX.* ulterius diſeruit doctiſſime.

OBSERVATIO XXII.

Dn. D. JOANN. SEBAST. ALBRECHTI.

De

Infante trunco ſine artubus,

EXtat jam ſimilis â *D. Salomon* REISELIO communicata obſervatio in *Dec. II. Ann. VIII. Ephemer. N. C. p. 136.* cum hac noſtra fere coincidens, quæ in ſequentibus conſiſtit.

Menſe Octobri anni proxime elapſi venit ad urbem no-

ſtram *Danielis Gottofredi* Teuchert, civis Arnſtadienſis uxor, cum filiolo ante XV. menſes nato, litterisque commendatitiis, quæ bene & honeſte actæ vitæ fidem faciebant, a Conſilio ſanctiori Schvvartzburgico obtentis. Hic ipſe vero filiolus formoſam monſtrabat faciem, ingeniumque docile & vivax, aſt, quod valde dolendum, omnibus artubus erat deſtitutus. Nam, prout ex figura adpoſita ((*Tab. I. Fig. 6.*) clare patet, ſuperiores artus detruncati quaſi erant, articulationem autem oſſium humeri truncatorum in cavitate glenoidea, quam nonnulli *acetabulum ſcapulæ* nominant, eminebat illud phænomenon, quod Bibliorum plagulas potuerit vertere, cum multorum admiratione, verſatiſſime. Erant enim in finibus hujus utriusque ſuperioris trunci excreſcentiæ, ſeu appendiculæ, inſtar papillarum, mobiles quæ aliquam digiti ſpeciem obſcure referebant. In truncis autem inferioribus transverſales ejusmodi excreſcentiæ carnosæ, cum unguium notis, in extremis adparebant. Sexus quidem per mentulam præſentem poterat diſtingui, ſed ſcroti vices ſolummodo rugosa infra illam ſuperficies ſupplebat. Reliquarum partium omnium omnino juſta erat proportio & elegans conformatio. Cauſam hujus fœtus mater referebat in imaginationem corruptam, â viſis ejusmodi truncatis idolis, ex ligno ſculptis, & ornamenti cauſa hinc inde in mola Arnſtadienſi diſpoſitis, ad quam, durante graviditate ſæpius grana in farinam redigenda deportaverat.

OBSERVATIO XXIII.

Dn. D. JOANN. SEBAST. ALBRECHTI.

De

Germinantibus in fructu Melopeponis ſeminibus.

PRæter noſtrum ſtudium ſæpiſſime ea accidere videmus, quæ, dummodo animum ad illa attendimus, ope-

operationis naturæ viam ante oculos noſtros ponunt planiſſimam. Hujus rei elegans liceat in medium proferre exemplum. Superiori autumno, cum plures fructus *Cucurbitæ, clypeiformi accedentis, minus tuberoſæ* J. B. 2. 227. aut ſi mavis, *Melopeponis lati & depreſſi* Tournef. J. R. H. p, 106. edit lat. in horto meo collegiſſem, repoſuere aliquot earum filiolæ meæ ſuper januam conclavis ſui, alicujus, qualiscunque, pro captu infantum, ornamenti cauſſa, quem locum per totam hiemem occupavere. Die 24. Febr. hujus anni caſu incidi oculis in fructus illos, & aperui unum eorundem, ut ſemina acquirerem, ſed præter omnem ſpem reperi, jucundiſſimo ſpectaculo, jam plantas in illo fructu germinantes, ut viridarium in fructu ſponte natum repræſentarent, ordine & diſpoſitione elegantiſſimum. Quotquot enim inerant ſemina matura, omnia excreverant in plantulas, ultra tres digitos longas, & quod mireris valde, foliolis, aut potius Cotyledonibus ſuis eleganter, pallidiuscule virentes. Mirabile hoc phænomenon proximo die etiam auditoribus meis in lectione phyſica publice ante oculos poſui, qui omnes hortum ſpontaneum oleraceum, plantulis ſuo ordine radicibus in carnoſam ſubſtantiam fructus firmiter defixis, & exinde ſibi & foliolis viridescentibus nutrimentum petentibus, admirati ſunt. Plantulam ejusmodi germinantem rudi manu delineatam *Figura* 7. *Tab.* I. ob oculos ponit. Poterit ex hac obſervatione abunde illuſtrari veritas illorum, quæ de ſeminis partibus & uſu ab aliis, in primis vero a Celeberr. WOLFFIO in medium ſunt prolata, ut in aliis locis, ſic in denen vernünfftigen Gedancken vom Gebrauch derer Theile bey Menſchen, Thieren, und Pflanzen §. 260, ſeqq. Patet quoque inſimul exinde, ſemen illas omnes partes continere, quotquot ovum in genere animali continet. De reliquo ejusmodi obſervatio adeo recens non eſt, ſicuti multi ſibi falſo perſuadent. Nam *Joſephus*

ſephus de AROMATARIIS, in Epiſtola ad *Barthol om.* NUNTI, *de plantarum generatione ex ſeminibus*, quæ præmiſſa eſt, *Ejusdem Commentatiunculæ de Rabie contagioſa magni momenti adfectu*, Anno 1626. Francofurti in 4to. impreſſæ, idem illud ſe observaſſe refert, ex qua ipſa epiſtola ſimul palam fit, EMPEDOCLEM, jam olim ſententiam illam foviſſe, quod ſemina quaſi ovula minuta ſint. Interim tamen recentiorum induſtriæ illud debemus, quod rem tam obſcuram nunc ab omni caligine liberarint.

Hac occaſione recordor quoque me analogas obſervationes in Ephem N. C. legiſſe, quales ſunt *Joh. Lud.* APINI elegans *de Citro in Citro Dec. III. Ann. IV. p. 67*, cum qua conferri meretur SACHSII *Scholium ad Obſerv. 26. Ann. I. Dec. I. Ephemer. N. C.* ubi ſimile quidpiam in Pomo noſtrate obſervatum eſſe refert. *De Ceraſo acido prolifero* repetenda etiam venit obſervatio *Jo. Maur.* HOFFMANNI *Dec. III. Ann. V. p. 199.* & tandem *Samuel.* LEDELII obſervatio de *Germinatione nuclei e malo in ventriculo & exinde inducta morte, in Dec. eadem Ann. IX. & X. p. 31.* ut plura alia exempla taceam.

Explicatio Figuræ.

a.) radicula, quæ carni fructus infixa, inde nutrimentum petebat, in uſum plantæ.

b.) Cutis, ſeu integumentum ſeminis album, diviſum, ſive apertum, vacuum cum cauliculo adhuc connexum, a qua ſeparata erat tenuis pellicula transparens.

c.) Cauliculus tenellus ex albo virideſcens.

d.) ambo cotyledones eleganter & læte virentes.

e.) Pars primaria futuræ plantæ, quam ocellum, das Aeuglein, vocant Phyſici.

Magni-

Magnitudinis naturalis, quantum potui, rationem habui, in delineatione.

(Choburgo Erfordiam miſſa d. 28. Martii 1737.)

OBSERVATIO XXIV.

Dn. JOANN. GODOFREDI BUCHNERI De Germinatione in Germine.

CUm nuper per Voigtlandiam iter facerem, forte fortuna in pago quodam arboris cujusdam offendi ſpeciem, quam vulgo Vogel-Beer nominat, in ſalice & natam & adultam, unacum baccis maturis, colore elegantiſſimo rubicundo ſuperbientibus, quod oculis perpulchrum omnino præbebat ſpectaculum.

Mirabar id primo ſtatim intuitu, non neſcius, diverſum requirere ſuccum eas, quæ in aliis proveniunt & germinant, arbores & plantas. Aſt ſubito in mentem mihi quoque venit, diverſum fibrarum ſitum, tubulorumque differentiam unicam diverſæ hujus nutritionis & vegetationis eſſe cauſſam. Hinc ergo facile omnino potuit evenire, ut ſemina caſu eo delata, levi terra adſperſa, accedente pluvia germinare cœperint, ac radices ex ſemine protruſerint, quæ poſtmodum ex ſucco utriusque arboris tranſeunte nutrimentum hauſerint & incrementum, quod latius utique deducitur. *Vol. II. Actor. Phyſ. Medic. A. N. C. Obſ. LXXII.*

Scholion.

1.) Haud multum ab hacce obſervatione differt, citata iſta *loc. alleg. Dn. D.* BERNERI, qua qua *Sambucum* ſiſtit

in *ceraſo*, nec non *Ribium fruticem & Solanum nigrum vulgagare in ſalice.*

2.) Pulchre cum noſtris quoque conveniunt, quæ *Dn. de* CARLOWITZ *in Sylvic. Oecon. p. 314.* de arbore, quæ vulgo Vogelbeer-Baum audit, hiſce tradit: Man ſiehet zum öfftern, wenn dergleichen Saamen in die alten hohlen Weiden gefallen / er darinne wurtzelt, und aus derſelben heraus wächſet, auch ſeine Wurtzel durch die alte Weide biß in die Erde hinein treibet; desgleichen findet ſich, daß ſie in alten Mauren und Ruinen aufwachſen. Sic pariter etiam SEYFRIED refert *in Medull. mirabil. Nat. p. 688.* In Braſilien ſiehet man ſehr hohe und dicke Bäume, und begibt es ſich nicht ſelten, daß auf denen gröſten und ſtärckſten Aeſten dieſer Bäume andere Frucht-tragende Bäume aufwachſen, und zu ziemlicher Gröſſe gelangen, welches, wie zu erachten, daher kommt, daß die Vögel die Körner von denen verſchluckten Früchten, zuſamt ihren Miſt, auf ſolche Aeſte abwerffen, die hernacher bekleben und aufſchieſſen.

OBSERVATIO XXV.

Dn. JOANN. GODOFR. BUCHNERI.

De

Mineralibus Metalliſque adfinibus in Voigtlandia.

Ad *Mineralia* heic loci multifaria refero corpora & fere omnis generis lapides, in quibus miculæ ſaltem metallicæ, aut recrementa reperiuntur metallica, quibus tandem etiam adjungo ſuccos terræ ſulphureos & ſalinos. Hos vero prout in Voigtlandia occurrunt, hic quoque recenſere,

re, vel ideo ſupervacaneum haud eſſe duxi, cum ſingula hæc utilitate ſua in vita communi minime careant, hincque bonitatem terræ iſtius, quam incolimus, utique demonſtrent atque confirment,

Sic eximii *flores minerales* reperiuntur prope *Blanckenberg* coloris livei ac cœrulei. *Argentum rude*, plumbei coloris, vulgo Glas-Ertz, effoditur non procul ab urbe *Plauen*, *Glarea* ſive *Spatum*, nobis ſuppeditatur in Köſtritz, album, ponderoſum cum venis incanis & maculis viridibus. (a) *Talcum* vero optimæ notæ adfertur ex pago Miehlesdorff, in Dynaſtia *Gera*, quod argento in primis poliendo optime inſervit, ſiquidem iſtud non rodit, ideoque aurifabris perquam erit commendabile. Et in hujus confiniis quoque invenitur *Alumen Schirtus*, ſive terra argillacea, lutoſa & cretacea, nec non *Cadmia*, tam flava, quam etiam ſubrubea. *Marga ſaxatilis* coloris albi ac rubri paſſim occurrit in lapidicinis. *Vitriolum* autem generatur non procul a vico *Blanckenberg*. Immo de ſolo Weidenſi paria quoque refert PLANERUS (b) his verbis: Frequens hic æs auri - - - - „adhæc multum ſulphuris, nitrum, lapidis „ ſciſſilis nigri, in hoc argentum perinde ac *vitriolum* ineſt. „ Et prope civitatem *Greitz* variis in locis pariter effoditur *Marcaſita*. Habemus etiam *Cobaltum* in Dynaſtia Schleiz, cum venis ſulphuris permixtum, mit würflichten Schwefel-Kieß, quod cum arena fuſum, dat Smaltum, die blaue Stärcke. (c) Nec deſunt nobis quoque *ceſpites bituminoſi*, ſeu terra ſulphurea, oleoſa & inflammabilis; inprimis vero agri Planizienſis tam large e ſinu ſuo præbent

 ad-

a.) vid. BRUCKMANNI *Epiſtol. itinerar. XLIII.*

b.) *Hiſtor. Variſc. p. 58.*

c.) vid. BRUCKMANNI *Magnalia Dei in loc. ſubterran.*

adhuc *Litanthraces*, ſeu carbones foſſiles, (d) quibus jam quidem utuntur fabri in fundendis ferris, aſt defectum ligni, aliquando & heic locorum metuendum, forſan quoque potuerunt reſtituere. Ulterius teſte *Albino* (e) non procul a *Plauen* & *Lobenſtein* in quibusdam cuniculis *Alumen* continetur non ignoble, (f) ab 1603. prope *Haueiſen* jam tum notum, nec non in confiniis urbis *Reichenbach* de quo PLANERUS (g) ſequentia habet: „ Fodina *aluminis* eademque inſignis, haud pridem inſtituta eſt *Reichenbaci*, dimidio milliari ab oppido diſtans. Collis iſte ſatis amplus, ubi æs *aluminis* creſcit. Is quantus quantus eſt, nil niſi tale æs eſt. „ (h) *Argentum* quoque apud nos effodi *vivum*, præter alios adnotavit experientiſſimus Metallurgiſta, *Jo. Heinr.* RUDOLF, (i) qui ſimul maxime de eo dolet, quod non major iſtius metalli in diſtrictu metallifero, nec non partibus Voigtlandiæ, ut & Marchionatu Culmbacenſi, conceſſione variorum, inventoribus ejus, privilegiorum, habeatur cura, magna enim terræ cinnabarinæ ibi dari copiam, aſt ignorare metallifoſſores, argentum ex iſta præparare vivum, & lucrum exinde, ratione pretii, capiendum. *Antimonium* vero ſolidum, purum cuprum continens, metallifodina ſuppeditat Greicenſis. (k) Tandem etiam *Sal* generatur ac præparatur *commune*, tamquam optimum

d.) vid. *Annales Medico-Phyſ. Vratislaviens. Tentam. XIX. pag. 51.*

e.) vid. Meißn. Berg-Chron. p. 102.

f.) vid. Erläutertes Voigtland; item kurtze Beſchreibung der Meißniſchen Lande.

g.) *Hiſtor. Variſc. p. 58.*

h.) vid. BRUCKMANNUS *l. c.* item Reiſe-Beſchreibung durch Francken ꝛc. p. 307.

i.) in *Element. Amalgam. p. 6.*

k.) vid. BRUCKMANNI *Epiſt. itiner. 43.*

mum ciborum condimentum, non longe a vico *Alten-Salza*, prope *Plauen*, (1) ut ita & hac in parte dici omnino queat: *Terra noſtra abundat bonitate Domini.*

OBSERVATIO XXVI.
Dn. JOANN. GODOFR BUCHNERI.
De
Lapidibus pretioſis in Voigtlandia reperiendis.

Plin. Lib. IIX. Ep. 20.

Ad quæ noſcenda iter ingredi, transmittere mare ſolemus, ea ſub oculis poſita negligimus: ſeu quia ita natura comparatum, ut proximorum incurioſi longinqua ſectemur, ſeu quod omnium rerum cupido langueſcit, cum facilis occaſio eſt.

Per multa ſane de lapidibus ita dictis pretioſis, quibus noſtra abundat Voigtlandia, hic jactari poſſent, ſi modo iſti majori, quam hactenus fieri conſuevit, e ſinu terræ effoderentur diligentia Aſt dolendum maxime eſt, inter tot illius incolas, & natos ibi & educatos, tam paucos, immo fere nullos, eorum tangi cura, quibusque ideo vel parum, aut nihil de hisce conſtat, ut ita plerique occulti nobis atque inutiles maneant, cum tamen ex hacce perveſtigatione haud parum huic regioni accederet laudis; ſiquidem gemmis ſolers rerum natura abſolutius nihil omnino edidit, hincque multis nulla ſui parte mirabilior merito videtur. Suas ergo, qui hac in re ſunt negligentes & parum curioſi, ignorant diuitias atque ſic theſauros poſſident, quos ipſimet vere neſciunt,

 Etenim

1) vid. Dr. Lehmanns Beſchreibung dieſes Saltzwercks; item Reiſe-Beſchreibung durch Francken/ Sachſen und Schleſien. p. 236.

Etenim *Chryſolithus* invenitur prope *Reichenbachium*, quamquam facile frangibilis, ſplendore tamen ad candorem inclinans, nec non *Iris* haud procul ab *Auerbach*, quæ radiis ſolis oppoſita ex opaco Iridis colores, Priſmatis adinſtar, reddit. Aſt præſtantior demum evadit, ſi glutini incluſa aliquantum temporis crematur, quo pacto majorem ea nanciſcitur puritatem; quemadmodum & in montibus Auerbacenſibus arenoſis prope *Falckenſtein*, *Amethiſto* perquam ſimiles ſæpius occurrunt lapides, aquarum copia hinc inde advecti, (*a*) ut adeo ſpes omnino haud ſit inanis, fore, ut in poſterum majora ex iis capi queant commoda.

Sic quoque nonnulli in Dynaſtia *Schl. iz.*, lapides *Asbeſti* ſimilantes imaginem, nonnunquam ſibi occurriſſe perhibent, quibus etiam magis adhuc abundat vicus *Alten-Salza* non procul a Plauen. *Adamantes* autem dantur in finibus Dynaſtiæ *Greiz*, prope *Bayersdorf*, ut & apud *Irfersgrünium* in vicinia civitatis *Reichenbacenſis*, licet non ea duritie, nec ſplendore, quo Indici, de quibus PLANERVS (*b*) ſequentia habet: ***Eſt genus adamantis, quod juxta Irfersgrünium in patentibus campis, tum & in viſceribus terræ hic illic reperitur.***

Rubinos notus ille Italus *Sebaſt. VERSO* in vicinia urbis *Saalburg* detexit. (*c*) *Hematitem* autem maximo pondere ſanguineoque rubore, metallifodina præbet Auerbacenſis, vulgo der Irrgarten, quæ ab iis in primis utiliter adhibetur, qui ſanguinem evomunt. Nec ſine ratione permulti ſuſpicantur auri certam ipſi, ob maximam ejus gravitatem, ineſſe quantitatem, de quo tunc quidem certius aliquid adfirmari poterit, ſi chymica quædam cum ea tentata fuerint experimenta.

Jaſpis

(*a*) vid. *STELLÆ Interpretan. Gemm. p. 28.* it. kurtze Beſchreib. des Meißner-Landes. p. 9. 12.

(*b*) *Hiſtor. Variſc.* p. 61.

(*c*) vid. Anon. Beſchreib. des Fichtelberges. p. 305.

Jaſpis quoque generatur viridis in Dynaſtia Greiz, non procul a *Teichwolframsdorf*, & ab iis non nunquam invenitur, qui lapides eruunt; nec minus eadem quoque nobilitata eſt urbs Cygnea, hinc conterraneus illius *Erasmus STELLA* (*d*) de hac gemma ibidem effoſſa, ſequentia refert: *Tanta copia eruitur, ut ædificiis publicis (rudi tamen forma) a veteribus ſit incluſa. Hac vero tempeſtate atteruntur non ingrata ſpecie, nec in formam unam, partim enim capulis aptantur, partim poculis, partim tabulis alearum, pars etiam globulis, quibus chriſtianæ preces numerantur. Hæc gemma e Germania aliis gentibus diſtrahitur.*

Topaſios quod attinet, nec iis noſtra caret Voigtlandia, quin potius earum fœcunda quoque eſt mater; ſiquidem hæ primum A. 1727. per hominem malæ nobis innotuerunt notæ, qui campos ac ſylvas permeando tandem venit *Auerbachium*, ibique ſplendentes quosdam vultu advertit lapides, quos ſtatim in exteras ſecum exportavit urbes, cumque tales Topaſios, Orientalibus neutiquam cedentes, cognoviſſet, plura inde per aliquod temporis ſpatium lucratus eſt. Tandem vero multa, non ſine ratione, mala ex furtivo hoc metuens negotio, clementiſſimum Saxoniæ adiit Electorem, eique abſconditos hactenus in terra ejus aperuit theſauros, a quo etiam donis & honoribus locupletatus receſſit. Poſt hæc fundus iſte, ad Nobilem a *Trützſchler* in *Falckenſtein* pertinens, tamquam regale Sereniſſimo Electori venum traditus, ſtatimque ædibus quibusdam inſtructus eſt, ac hodienum nomine der Königs-Cron ſuperbit. Et ab hocce demum tempore magna eorum copia ab aurifabris & aliis artificibus ad varios præparatur uſus, nec ſine lucro divenditur. (*e*)

Cete-

(*d*) vid. *Ejusd. Interpretam. Gemmar. p. 21.* Conf. *Annal. Med. phiſ. Uratisl. Supplem. I. p. 86.*

(*e*) vid. Androphili Reiſe-Beſchreib. aus Francken/ Sachſen und Schleſien, p. 228.

Ceterum maxima iſta rupes omnium ventorum fragores ſpernens, altitudinè 70. ulnas æquat, traduntque nonnulli, Topaſios ibi natas duritię Hiſpanicas ac Bohemicas longe ſuperare, ſplendore autem igneo atque aureo Orientalibus omnino eſſe æquiparandas. (*f*) Sic quoque magnitudine ceteras vincit gemmas, hincque Dresdæ aliquis in Gazo phylaceo Regio maximæ molis ex haccc conſpicitur lapidicina, pondere aliquot centenarios referens, unde creditu haud difficile eſt, Arſinoæ, Ptolemæi Philadelphi uxori, ex lapide ejusmodi factam eſſe ſtatuam, 4. cubitorum, & in delubro, aureum, quod nominatur, ſacratam. (g)

Tandem quoque *Goletium* fluuius egregios nobis mittit *Hyacinthos*, quemadmodum & *Achates*, & *Chalcedonii*, hinc inde pariter reperiuntur. Immo in locis montanis, rivis aquarumque rimis varii ſæpius offenduntur lapides, qui arte rite præparati gratum nonnunquam oculis exhibent ſpectaculum, quare dubitare non licet, in diverſos eos adhuc converti poſſe uſus, cumque extraneis permutari, ſiquidem hi iſtos indigenis ſuis ſæpius anteponunt.

Adnumerari his omnino licet *ſerpentinos vulgares, Achate & Chalcedonio intus refertos*, prope Zvviccaviam, quibus maxima murorum civitatis pars exſtructa eſt, & in cujus confiniis latet etiam *Malachites*, non translucens, aſt ſpiſſius tamen virens, nec minus *Gagates* lapis, plurimus alias optimusque in Britannia, flumine amnis Gagatis rejectus. Noſter vero eſt niger, planus, levis, igni admotus ardens, attrituque calefactus paleas detinet, æque ut ſuccinum.

Quid

(f) vid. *Acta Academ. Nat. Cur. Vol. IV. Obſerv. 82. Dn. D.* HENCKELII, *de Topaſio vera Saxonum, orientali non inferiore. it. D. A. E.* BUCHNERI *Miſcellamea phyſ. med. mathemat. An. 1728. p. 1058.*

(g) vid. JONSTONIUS *in Thaumatogr. p 162.*

Quid vero de noſtris ultimo an primo loco dicam *margaritis*, quas ſecum vehit alitque fluvius *Eliſter*, & quæ maxime hominum ſerviunt luxui? ſiquidem præſtantiſſimæ elegantiſſimæque prope *Olznitz* & *Adorf* quotidie colliguntur, id quod Scriptores per plures fide ſatis digni abunde teſtantur, (h) inter quos unicus ſaltem heic loci mihi ſufficit PLANERVS, (i) inter alia hunc in modum verba faciens: *Conchæ longævæ, & vel in ducentos annos & amplius durant. Mortuæ exundatione fluminis ejiciuntur. Capiuntur a quo tempore aqua cumprimis claret, menſe Majo, Junio, Julio — — — Captura ab Eliſtro pago incipit, Eliſtrobergæ ceſſat. — — — Immaturæ cærulei coloris, maturæ candidi. In conchis plerisque ſingulæ, paucis binæ, pauciſſimis ternæ, aut plures;* quamquam Greizæ & Zwiccaviæ olim etiam nonnullæ fuerint inventæ.

Ex hisce igitur omnibus clare ſatis patet, Voigtlandiam noſtram præ multis regionibus aliis a Deo ter optimo maximo variis opibus impletam, divitiisque cumulatam eſſe. Quis ergo nunc negaverit iſtam hac in parte locupletioribus Indiæ Orientalis regionibus neutiquam eſſe inferiorem, ſiquidem quotidie novi in ea deteguntur theſauri, priſcis temporibus plane incogniti. Tritum igitur iſtud veritati omnino conſonat VIRGILII effatum:

O! *fortunatos nimium ſua ſi bona norint!*

h) Vid. Auctor des ſich ſelbſt bekennenden Sachſens. MSt. ALBINI Meißniſche Chron. tit. 18. p. 141. STELL. *in Commentar. de reb. ac pop. priſc.* DURRII *Lineam Hiſtor. de Terra Advocator.*

i) *Hiſtor. Variſc.* add. *D. A. E. BUCHNERI Miſcellanea Phyſico-Medico-mahemat. A. 1728. p. 1058.*

OBSERVATIO XXVII.
Dn. JOANN. GODEFR. BUCHNERI, De Marmoribus aliisque lapidibus in Voigtlandia.

Inter alia curioſa naturalia, quibus noſtra gaudet Voigtlandia, ex poſtremis minime ſunt tam varia *Marmorum* aliorumque lapidum genera, digna omnino, ut & ſedulis lapidum amatoribus & Patriæ donorum ſcrutatoribus innoteſcant. Sic Marmor egregium coloris punicei, curioſis nigris figuris notatum, ſchön brauner mit artigen ſchwartzen Zeichnungen, effoditur ad laterariam urbis *Curiæ Variſcorum*, obſcure brunnum, nubeculis gryſeis & rubicundis ſpeculis figuratum, dunckelbraun und grauwolckigter Marmor mit röthlichten Spiegeln, ex lapidicina inferiori, auf der Geigen, non procul *Curia Variſcorum*, egregium pariter pallideque rubicundum, dictum Spiegelfleckigter Marmor, ex Seydelsbruch ejusdem loci, nec non brunnis & obſcure luteis nubeculis, admodum miras & curioſas repræſentantibus figuras, notatum marmor, braun und dunckel-gelb-gewölckter ſehr artige Figuren præſentirender Marmor, cujus lapidicina eſt ad pagum *Gattendorf*, qui dimidia hora *Curia Variſcorum* diſtat, item paulo obſcurius ejusdem loci. Porro marmor egregium, ſaturatæ rubicundum inſtar ſpeculi politum, brunnis & obſcure atris venulis ex Seydelsbruch auf der Geigen, ad urbem *Curiæ Variſcorum*, clare quoque lucideque & obſcure gryſeum, ſpeculi inſtar politum, optimæ notæ marmor foditur ad officinam laterariam Curienſem. Idem venis nigris, uti & gryſeis albis ſpeculis notatum, auf der Geigen, ad

curiam variſcorum repertum, ulterius marmor cinereum, lineis venulisque admodum ſubtilibus nigris cæditur, poſt domum artificis, qui *Curiæ Variſcorum* ad pontem dictum lapideum, ſaxa marmorea lege artis polit & perficit, idem nubeculis nigris ejusdem loci, immo admodum clare lucideque gryſeum marmor, venulis virideſcentibus, ex ſic dicto loco Geigen, ad *Curiam Variſcorum*, item marmor ex omni parte nigrum, per paucis albis venulis diſtinctum, de Dreſendorff, ad *Variſcorum Curiam*, im Kotzauiſchen Lehn, marmor etiam præſtantiſſimum, fundum clare lucideque gryſeum monſtrans, maculis carnei coloris, venulis viridibus, & guttulis clare lucideque brunnis diſtinctum, ibidem reperitur; idem venulis ad cœruleum vergentibus admodum curioſe notatum, ejusdem loci; ſic & album & gryſeum coloris Lucii piſcis, Hechtgrau, egregie nubeculis notatum marmor, rariſſime & in peculiari tantum terræ & lapidum fiſſura, ad pontem lapideum urbis Curienſis cæditur, item maculis nigris & luteis ejusdem loci, ac album pariter clare lucideque & obſcure gryſeum, fluminis inſtar egregie & rare figuratum, item egregie ſpeculi politi inſtar ſplendidum marmor, cujus fundus, quoad dimidiam regionem brunni, quoad alteram vero partem gryſei coloris eſt, venulis cœruleis, ex Seydelsbruch ad *Curiam Variſcorum*, ut & clare lucideque brunnum marmor, venulis virideſcentibus, ex loco Geigen dicto ad *Curiam Variſcorum.* Marmor quoque nubeculis brunnis & cœruleis notatum, punctulis parvis & ſubtilibus nigris refertum ejusdem loci; item præſtantiſſimum marmor omni ex parte ex rubro brunnum, quod nihil certe a celebratiſſimo *Salisburgenſium* lapide marmoreo recedit, cujus locus natalis eſt Seydelsbruch ad curiam, ac tandem marmor egregium, in quo colores cani, brunni, clare lucideque rubri, mirando naturæ pe-

nicillo artificioſiſſime inter ſe commixti cernuntur ejusdem loci. (a)

Addi his perplura omnino adhuc poſſent, ſiquidem ibidem pene LX. marmoris egregii numerantur genera. Nec minus iisdem quoque abundat, præcipue albis ac nigricantibus, vicus *Schvvarzenbach.* Adhuc magis autem propterea commendatur *Plavienſis* civitas, quare PLANERVS (b) hunc in modum de iſto marmore diſſerit: *Quid Marmore Plavienſi mirabilius? Cum enim per ſe præſtans eſt, tum varietate coloris, venarumque ſpectaculo intuentes in admirationem vertit, quidquid Principum oculos faſcinat ac in amorem rapit.* Etenim non ſolum ibi extat obſcure gryſeum, maculis flavis interſperſis, ſed & aliud coloris carnei, venulis albis, ac iterum aliud gryſeum, nubeculis brunnis & virideſcentibus notatum, poſtremo autem nigrum, maculis ac ſtriis albis.

Ulterius dynaſtia *Schleiz* præbet nobis marmor obſcure gryſeum, lineis albi ac carnei coloris. In dynaſtia vero *Burgk* marmor invenitur nigrum, maculis albis, item rubrum, venis nigricantibus, nec non lucide brunnum, lineis obſcurioribus diſtinctum ut & aliud gryſeum, maculis rubris, item rubris & ſimul albicantibus notatum. Ac tandem dynaſtia *Gera* non minus Alabaſtro gloriari poteſt, colore ad cinereum accedente, partibus interdum nigricantibus interſperſis.

Ceterum marmora iſta ut plurimum durioris ſunt ſubſtantiæ, ac probe polita egregie ſplendent, ſuisque venulis, miculis, aliisque contentis, & oculum & animum mirifice delectant. Ac quoniam probabiliter ex terra concreſcunt lutoſa

(a) *vid. BRUCKMANNI. Epiſt. Itinerar. XXIV. it. VALLIUS Teuton. Paradis. Pinnif. P. I. C. VIII. & P. C II.*

(b) *Hiſtor. Variſ. p. 60.* conf. *BRUCKMANNI Magnal. Dei in loc. ſubterran.*

lutoſa & fluida, variis coloribus mixta, varios ideo oſtendunt luſus, nec ullum omnino eſt dubium, nitida exinde confici poſſe vaſa atque utenſilia, quæ in exteras deinde regiones advecta, cum aliis ibidem non ſine lucro permutari poſſent.

Sic *Salæ* fluvius in confiniis arcis *Burck* egregium alit fovetque *Lapidem lydium*, coloris admodum nigri, metallorumque frictiones perquam facile admittentem, quem nonnunquam etiam oſtendit flumen Eliſtri. Aliud vero ſaxi genus reperitur prope *Zvviccaviam*, coloris carnei, admixtis ubique ſpatiolis, albis, quare vulgo der Blatterſtein audit. Nec minus quoque in lapidicina *Planizienſi*, prope *Zvviccaviam* ſæpius effodiuntur *Lytophyta*, Kräuter-Schieffer, ubi in lapide ſciſſili variæ vegetabilium impreſſorum repræſentantur imagines, utpote Polypodii, Filicis, &c. cujusmodi pariter aliquot locorum deprehenduntur in agris Geranis.

His addi omnino meretur *Hammonites Gerana*, ſive ſaxi iſtud genus, ex variis granulis rotundis compoſitum, hincque communiter ob aliquam ſimilitudinem der Rogen-Stein dictum.

Concharum etiam *petrefactarum* in Dynaſtia *Gera* ſæpius repertarum eximius ille meminit Litophilus Leſſerus (c) verbi divini apud Nordhuſanos Miniſter optime meritus, cujusmodi nonnullæ quoque in meo proſtant muſeo. Sic etiam variis in locis ejusdem Dynaſtiæ notabilis ſæpe obſervata eſt *petrefactio* vel potius incruſtatio, ubi nimirum aqua terram tranſiens tophaceam, ad inſtar ſalis mitiſſimi particulas ſaxeo - margaceas in momento diſſolvit, cujus terræ particulæ minimæ, ab aqua poſtea per præcipitationem ſpontaneam ſeparatæ, vegetabilia tandem ambiunt, & co-

c.) *Lithotheolog. Lib. V. Sect. IV. c. 9.*

& tophacea ſua materia quaſi cooperiunt, quorſum maxime pertinet muſcus, aliaque ligna minoris longitudinis, propterea que figuram derer Zucker-Stengel referentia,

Amygdala item ad viſum petreſacta, aliorumque fructuum characteres repræſentantes lapides, veluti *Piſolithi*, Erbſen- und Wicken-Steine proinde nominati, in magna copia reperiuntur in jam dicta Lapidicina Planiziensi, ad quorum vero generationem mihi peculiaris quædam terræ ibidem ſuccique lapidifici ſufficere videtur qualitas atque diſpoſitio, ceu id exempla in caſibus ſimilibus aliunde petita confirmare quoque videntur, quorſum pariter referendi ibidem ſunt lapides ex variis, uti videtur, ſeminibus concreti, aut ſi mavis, qui pilulis medicinalibus quoad magnitudinem & colorem non abſimiles offerunt particulas, ex matrice facile deſumendas, proindeque Pillen-Steine dicti.

Non deſunt nobis etiam *lapides figurati* multifarii, aſt, ut credo, ex cauſis præter deliberationem accidentibus, adeoque ex ſolo naturæ orti luſu, in quorum cenſum refero lapidem ex *Eliſtro* flumine, *linguæ humanæ* tam accurate referentem figuram, ut vix ovum ovo reperiri queat ſimilius, aliosque ex eodem fluvio *aurem humanam*, *globulos rotundos*, ac formam calcei ad vivum exhibentes.

Inter *Zooloitho-Dendroides* autem referendi merito ſunt lapides, qui animalium terreſtrium, aëreorum & aquaticorum ſimulacra vel integra, vel mutila, itemque arborum, arbuscularum fruticetorum, nitide omnino, in ſummam adſpicientium admirationem & oculorum oblectamentum monſtrant, cujusmodi interdum inveniuntur in lapidicina prope *Poſſeck* & *Blanckenberg*, ac teſte, VOLCKMANNO (d) eadem quoque exhibet lapis calcarius albus, vel cinereus

(d) *Siles. ſubterran. p. 57. Conf.* RITTEI *Commentat. de Zoolitho-Dendroidis.*

reus Geranus, ceu ex adlatis nuper quibusdam mihi etiam conſtat, quorumque generationem ac formationem ulterius inveſtigat PAULLINI (e) nec ſine ratione ſtatuit, nonnullos ab aquis efformari vitriolicis, per fiſſuras lapidum ſucceſſive penetrantibus, inibique ejusmodi fruticum ac imaginum figuras delineantibus, ut ita exinde clare omnino pateat, providam naturam nunquam non maxime eſſe laborioſam, cumque lapidibus vitam quidem concedere non libuerit, ſignis tamen atque ſimbolis egregiis eos exornare atque condecorare ſemper laborat.

Quis ergo non mirabitur, eximiam globi noſtri terraquei varietatem, qua Deus T. O. M. tam bonitatem ſuam, quam etiam ſapientiam immenſam Creaturis ſuis rationalibus declarare voluit, ut ſcilicet homines ſinguli, qui potiſſimum & unice fere multitudine rerum, earumque viciſſitudine delectantur, quocunque oculos vertant, ſtatim ſentirent, quanta ſit Creatoris optimi potentia & gratia. Immo, cum omnes & ſingulæ orbis noſtri partes quadam ratione mire ſecum conſentiant, ac perfecta inter ſe connexione quaſi ſint colligatæ, exinde tuto colligere omnino licet, unam regionem non poſſe non citra perfectionis ſuæ decrementum ſemper differre ab altera, dum una nimirum ad producendos fructus eſt plana, alia vero pro theſauris aliis gignendis naturalibus, montoſa atque inæqualis, ſiquidem iſtæ ſimul ſumtæ perfectum tandem aliquod conſtituere debebant compoſitum. Hincque prudenter admodum de diverſitate atque inæqualitate iſta regionum ſic indicat WEIGELIUS: (f) Wäre das Erdreich gantz eben, ſo würden wir zwar im Reiſen uns nicht ſo ſehr bemühen dürffen; allein wir müſten alle andere Bequem

(e) In der Zeit-kürtzenden erbaulichen Luſt. p. I. n. 152.
(f) *Spec. Terr. Cap.* §. 17.

quem und Nutzbarkeit, welche wir von den Gebürgen haben, dabey entbehren. Solte es von lauter Marmor feſt ausgeſetzet, ja gar von Edelgeſteinen reinlich gepflaſtert, und durchgehends ſchön polirt ſeyn, ſo würden wir uns zwar überall darinnen wohl beſpiegeln können; aber wie wolten wir Brod heraus bringen, und wo wolten wir zu leben hernehmen, da wir kein fettes ſchmierigtes und lockeres Erdreich umzuwühlen hätten. - - - In Summa, wir erkennen die Güte GOttes vielmehr aus der rauhen und höckrichten Geſtalt des Erdreichs, als daß wir uns auf einem gantz güldenen Platz zu wohnen wünſchen ſolten.

Tandem in mentem mihi quoque veniunt *Lapides* nonnulli in Voigtlandia a *Cacodæmone nomen ſortiti*, ac vulgo Teuffels- und Zauber-Steine nuncupati, cujusmodi prope *Schleiz* quidem reperiuntur eximiæ magnitudinis, quemadmodum & loca quædam iisdem pariter notantur nominibus, v. g. der Teuffels-Berg und Teuffels-Tritt prope civitatem Hof, item das Teuffels-Wehr in Dynaſtia B*urg*. Videntur autem hæc rudera eſſe Gentilium divino olim cultui deſtinata, id quod SELDENUS (g) non obſcure his teſtatur verbis: *Vetuſtiſſimus erat Græcorum mos, ſaxa, ſive quadrata, ſive rudia, ſaltem aliam, quam ſaxi ſpeciem, præ ſe non ferentia, pro ſimulacris ponere, neque aliter quam ſimulacris divinum honorem exhibere.* Hucque facit etiam *Pauſaniæ in Achaicis* teſtimonium, ejusdem tenoris: *Olim apud univerſos Græcos rudes lapides pro ſimulacris divinos honores obtinuere.* Hincque a chriſtianis procul dubio iſtis ejusmodi impoſita ſunt nomina, quo nimirum deteſtationem ſuam erga Gentiliſmum fortiter declararent. A dæmone enim malo cum omnis omnino originem ducat ſuperſtitio atque idololatria, hinc loca quoque ad ſeducendos olim homines uſurpata ab eo

g.) *De Diis Ebraeor. proleg. Cap. III. f. 40.*

eo non incommode nomen ſortiri poſſunt. (h) Aut, ſi mavis quorundam hominum huc trahenda erit ſimplicitas, a quibus omne id, quod vires naturales quodammodo ſuperare videtur, dæmoni ſtatim adſcribitur, (i) ignaris nimirum, Deum etiam & Naturam, immo artem quandoque mira magnaque efficere.

(*Greiza Erfordiam miſſæ d. 16. April 1737.*

OBSERVATIO XXVIII.

Dn. D. JOANN. PHILIPPI WOLFFII.

De

Calculis per tuſſim rejectis.

Fœmina 31. annorum, iræ dedita, ſexto jam menſe obſtructione menſium laborans, contabeſcit, diarrhœa mucoſa & tuſſi ferina continuo vexatur, ſub qua calculos exiguos, quorum maximi lentis, vel piſi minoris magnitudinem adæquant, ejicit, quique omnes coloris modo gryſei, vel cinerei, modo albidi, formæ autem inæqualis & aſperioris ſunt. A tribus menſibus quotidie mane horrorem ſitimque, poſt meridiem vero æſtum & laſſitudinem ſentit, adpetitu tamen adhuc vigente. Hinc contra tuſſim febremque hecticam varia remedia exhibui, dubio autem procul diarhœa iſta mucoſa ab obſtructione vaſorum lacteorum meſenterii & concoctione læſa ortum ſuum traxit, unde pro obtinenda inteſtinorum abſterſione laxantia blandiora, in primis mannata, cum Rhabarbar. Orient. maritata præſcripſi, quæ etiam, interpoſitis antifebri-

h) Beckmanns Hiſtorie des Fürſtenthums Anhalt. *p. I. c. 1. p. 25.*
i) *Döderlini Antiquitat. in Nordgav.*

libus tutioribus & tonicis, ex martialibus, ſuccino, Cortice Caſcarillæ, extracto, Centaur. min. & oleo deſtill, Caryophyll. concinnatis, febrem profligarunt, tuſſi tamen interim cum rejectione calculorum ſemper in uno eodemque gradu perſeverante, ad quam mitigandam expectorantia, præcipue vero Elix. pectoral. Wedel. cum Spir. ſalis ammon. aniſat. nec non infuſa pectoralia Theeſermia ordinavi, quæ quidem levamen aliquod attulerunt, tuſſim vero plenarie ſedare haud valuerunt, ſiquidem etiam diarrhœa mucoſa hactenus non in totum ceſſavit, ſed potius pertinaciter continuavit, licet eidem pariter ac tuſſi anodyna mitiora, v. g. M. P. de ſtyrace cum Cort. Caſcarill. Terramque ſigill. ſtrigoniens. cum M. P. de Cynogl. oppoſuerim. Sæpiſſime ergo interim calculos rejecit patiens, & quidem tanta in copia, ut ſcatulam quandam minorem iisdem implere ſe potuiſſe adſeruerit, ſi eos omnes collegiſſet. Hæc tragœdia a die 2. Octobr. Anni 1733. usque ad ſextum Februarii 1734. duravit, quo die, poſtquam antea per octiduum de ſumma reſpirandi difficultate conqueſta fuit, vitam cum morte placide commutavit. Poſt obitum cadaveris ſectionem nullis impetrare potui precibus, minime tamen dubito, quin in pulmonibus, (& forſan quoque in meſenterio) plures adhuc, & quidem majores latitaverint calculi, præſertim cum patiens ſæpius retulerit, inter tuſſiendum ſemper in arteria aſpera globulum quendam ſibi videri adſcendere, remittente vero tuſſi ejusdem deſcenſum exacte ſe ſentire. Plura interim hujus commatis exempla allegata proſtant in clariſſ. PITSCHII Diſſ. Inaug. ſub præſidio Ill. HOFFMANNI Halæ 1732. *de Tuſſi convulſiva* habita, §. 18. & quidem e GALENO, *Alexandro* TRALLIANO, *Paulo* AEGINETA, PLATERO, *Petro* BORELLO *Franco de* FRANCKENAU & *Ephemerid.* N. C. *Centur. X.*

OB-

OBSERVATIO XXIX.

Dn. D. JOANN. PHILIPPI WOLFFII.

Symptomata & ſectio fœminæ Arſenico extinctæ.

Anno 1734. menſ. Januar. Fœmina 44. annos nata, per aliquot dies tuſſi & coryza (epidemice tunc graſſante) laborans facilius atque certius ſe abinde per ſudorem liberatum iri ſperans, Lapides Cancrorum præparatos in capſula chartacea contentos mane hora ſeptima adſumere voluit, aſt per errorem aliam ſimilem capſulam, Arſenico repletam, arripuit, totumque cochlear ejusdem, cum Roob ſambuci commixtum, deglutivit. Succedunt hinc brevi inſignes præcordiorum anxietates, unacum vomitu & diarrhœa, & quidem tanta cum vehementia, ut ſeceſſus vomitusque propter continuam excretionem numerare non potuerit. Durant hæc ita usque ad horam duodecimam meridianam, quo tempore adſtantes me in conſilium vocarunt. Accedens autem naſum jamjam acutum, artus extremos frigidos, motibusque convulſivis miſere diſtortos, deprehendi, unde illico Emulſionem antiſpasmodicam & temperantem, præſcripſi, & potum crebriorem lactis calidi, cum oleo olivarum, commendavi, absque tamen ullo ſubſequuto levamine, ſiquidem ægra veſperi hora quinta inter diriſſimos cruciatus expiravit. Cadaver dein cultro anatomico ſubjectum externe nihil præternaturale monſtrabat, interne vero ſequentia obſervata fuerunt:

I.) Sterno repoſito dexter pulmonum lobus cum pleura firmiter concretus, ſiniſter vero adhuc undique liber

deprehendebatur, parenchyma totius viſceris ſanguine ſeroſo - ſpumoſo ſcatebat, conſiſtentia vero flaccida & friabilis erat.

II.) Ventriculus admodum corrugatus erat, inque regione pylori graviſſima inflammatio gangrænoſa, in fundo vero hujus lateris eroſio plenaria conſpiciebatur, ubi etiam adhuc arſenici parum cum materia fuſca mixtum reſtitabat.

III.) Lien ſpadiceo colore perfuſum adparebat.

IV.) Hepar vero nihil præternaturale ſiſtebat.

Ulteriorem indagationem, in primis autem cerebri inveſtigationem nox ingruens & lacrymæ adſtantium non permiſerunt.

Eodem illo die eodemque momento filia memoratæ iſtius fœminæ, novendecim circiter annorum pariter cochlear ultra dimidium Arſenico repletum & cum Roob Sambuci permixtum, ſimili ſudorem provocandi intentione, eodemque ſub errore adſumſit, unde brevi poſt diarrhœa continua, cum vomitu indeſinenti, conjuncta, doloresque atrociſſimi in ventriculo & abdomine ſubſequebantur. Juſſi ergo ut & ea præſcriptam Emulſionem atque Lac calidum cum oleo olivarum alternis vicibus, largiori in copia ingurgitaret, quo facto dolores primo remiſerunt, diarrhœa autem & vomitus per aliquot horas adhuc continuarunt, donec tandem etiam ſenſim ceſſarent, ægra ſic ex ſingulari DEI gratia & peculiari Naturæ robore ad priſtinam ſanitatem feliciter redeunde.

OB-

OBSERVATIO XXX.

Dn. D. JOANN. PHILIPPI WOLFFII.

De

Hæmorrhagia narium, cum ſubito efflore-ſcentibus maculis purpureis per totum corpus.

Puer octavum annum agens, per aliquod tempus febre quartana intermittente laborabat, quæ dein ſua ſponte evaneſcens, tineam capitis reliquit. Huic paulo poſt dolores capitis intenſiſſimi ſuperveniunt, quos enormis narium excipit hæmorrhagia, pro cujus eventu periculoſo avertendo parentes meam ſtatim implorabant opem. Ad ægrotum ergo accedens, univerſus ejus corpus non ſolum undique variæ magnitudinis maculis purpureis obſitum inveni, ſed in genu ſiniſtro talem maculam, ad latitudinem floreni accedentem, nec non prope aurem dextram veſicam ſubnigram, nucis avellanæ magnitudinem referentem deprehendi, ex qua aperta ſanguis fuſcus emanuit, per tineæ autem ulcuſcula non pus, ut antea, ſed ſanguis exſtillavit; non minus etiam per vomitum multum ſanguinis grumoſi, (quem procul dubio e naſo in fauces depluentem deglutivit,) excernebatur. Rebus ſic ſe habentibus, conſimilis iſtius caſus jam olim communicati, & in *Volum. III. Act. Nat. Cur. Obſ. 79.* extantis, haud imemor, monetam argenteam denſam frigidam vaſis ſanguiferis frontalibus ſtatim imponere pauloque firmius adligari juſsi, dein potiunculam, ex Aqua Millefol. Plantag. Pulv. Sperniol. Croll. Corral. rubr. Nitr. cryſt. ., & M. P. de Cynogl. conſtantem, præſcripſi, cujus cum maxima portio per vomitus crebriores rejiceretur, Emplaſtrum ſtomachicum aromatiſatum regioni ventriculi &

 ſcrobi-

ſcrobiculo cordis imponendum itemque liquorem e Vitriolo Hungar. in aqua Plantag. ſolut. & Tinct. terræ catechu, naribus attrahendum, ordinavi, ſub quorum etiam uſu tam narium hæmorrhagia, quam ſtillicidium illud ſanguineum per tineæ ulcuſcula plane ceſſavit, hujusque in locum purulenta iterum materia ſucceſſit. Cum ergo dein, aliquot dierum intervallo maculæ illæ imminuerentur, minoresque evaderent, ſudor tamen nullus per totum morbi decurſum obſervatus fuerit, hinc ad illum promovendum & ſimul ſanguinem, ſub maculis ſtagnantem diſcutiendum, Tincturam antimon. tartariſat. cum Eſſ. Succin. & alexipharm. Stahl. remixtam exhibui, unde maculæ tandem in totum evanuerunt, adpetitus viresque cum ſanitate ſucceſſive redierunt.

OBSERVATIO XXXI.

Dn. D. JOANN. PHILIPPI WOLFFII.

De

Variolis in adulto ex nauſea recurrentibus.

Generoſus quidam Juvenis, 24. annorum, plethorici & ſucculenti corporis habitus, nunquam Venæſectioni adſuetus, in itinere poſt iram potumque cereviſiæ vappidæ & auſteræ, vomitus bilioſos crebriores per triduum paſſus, ructibusque continuis vexatus, nauſeam tandem ſummamque virium proſtrationem ſenſit. Ad alvum, hactenus obſtructam, reſerandam, chirurgus caſtrenſis die 17. Junii clysma injecit, & ſequente die V. Snem in brachio dextro inſtituit, repetendo poſtea clyſteris uſum. Succeſſit dein dolor vehementiſſimus urens circa ſcrobiculum cordis, tanta cum anxietate præcordiorum, ut patiens & adſtantes, mortem jam inſtare, crediderint, eaque propter in pago

pago, ubi tunc decubuit, ob medici & medicamentorum defectum animæ ſaltem curam ſuſceperint, uſu nempe ſacræ Cœnæ ægrum ad beatum ex hoc mundo diſceſſum præparantes. Remittente autem dein præter ſpem & opinionem ſumma illa anxietate, ſequenti die Suinfurtum vehi ſe curavit, meque ſtatim accerſiri juſſit. Accedens ergo eundem, ſymptomata ſupra deſcripta non ſolum obſervavi, ſed & de dolore urente & ructibus maxime moleſtis adhuc querentem audivi, hinc interne Clyſſ. antimon. Sulphurat. & Eſſent. Cort. Caſcarill. externe vero ſtomachica ex Oleo Nuciſtæ expr. itemque deſtillatis Maceris, Menthæ & Caryophyll. arom. adplicavi, nec non Decoctum, e Rad. Scorzon. Cichor. Raſur. C. C. Ebor. & Citri parandum, ordinavi, unde paulo poſt adpetitus aliquantulum redibat, nec non dolor urens in pectore cum reliquis ſymptomatibus evaneſcebat. Pro roborandis itaque viribus adhuc vacillantibus ſpiritum nervinum naribus attrahendum præſcripſi, poſt cujus uſum noctem ſequentem placide transegit, mihique mane revertenti fidem fecit, quod vomitus cum anguſtia præcordiorum & dolore urente pectoris plane ceſſarint, ſiquidem etiam ipſum veſtibus indutum & deambulantem inveni. Hinc, ut cruditates, in primis viis forſitan adhuc reſtitantes, educerentur, potionem laxantem mannatam, cum Rhabarb. & Nitro præbui, poſt cujus operationem adpetitus incrementum ſenſit, & hoc ipſo die circa mœnia noſtra obambulavit. Die 20. mane facies undique eminentiis rubris duris conſperſa fuit, nec non in artubus, pectore & dorſo tales prodierunt, facies inſimul florida, tumida, & pulſus celer erat, concurrente ſimul inſolita in faucibus aſperitate; ſtatim ergo ex ipſo quæſivi num Variolis quondam laboraſſet, reſponſumque obtinui, ſe hoc morbo certiſſime in pueritia jamjam defunctum eſſe, ſibique potius videri, quod hoc malum a nauſea & impuritate lecti cujusdam inquinati,

ti, in quo unicam ſaltem transegiſſet noctem (quoniam lecto ſuo ordinario caſtrenſi tunc deſtitutus fuiſſet,) contraxerit, quare ſanguinem depurantia, veluti Eſſent. ſuccini, Lignor. Tinctur. Antimon. & pauxillum Ol. deſtill. Lign. Saſſafr. cum decocto lignor. præſcripſi, utque Gargarisma abſtergens & mundificans iniiceretur, commendavi. Die 21. quoniam præterita nocte quiete dormivit, ſummo ſtatim mane lectum relinquens, iter ad exercitum iterum ſuſcipere decrevit, quod quidem ſerio ipſi diſſuaſi, &, ut per aliquod adhuc dies heic loci commoraretur, donec omnia in priſtinum redacta eſſent ſtatum, auctor fui. Aſt ſerenitas calorque hujus diei, nec non deſiderium ſuæ ſatisfaciendi functioni ipſum incitarunt, ut tractum illum, ubi Legio militum, imperio ſuo ſubjectorum, ſubſiſtebat, quique octo circiter milliaria abhinc diſtabat, viſitare, ſecum conſtituerit; hinc ut veſtibus ad minimum ſeſe optime muniret, & ab aëre liberiori defenderet, itemque medicamenta præſcripta debito modo continuaret, auctor fui, quod etiam ſedulo obſervavit. Cum vero, abſoluto hoc itinere, variolas tamen in facie copioſas erumpere obſervaret, ſtatim idcirco me iterum accerſiri juſſit. Die itaque 23. dicti menſis ſummo mane adveniens, eundem admodum inquietum, & de vigiliis, cum ſomno turbulento alternantibus, nec non dolore variolarum, ad ſuppurationem vergentium, maxime conquerentem inveni, hasque in facie confluentes, in artubus vero & ambitu corporis diſtinctas deprehendi, cum inſigni intumeſcentia totius faciei, præcipue autem palpebræ oculi dextri, viſum ibi prorſus fere impediente; adpetitus interim adhuc vigebat, pulſusque fortis, durus & tardus erat. Pro mitigandis ergo hisce & avertendis aliis pejoribus ſymptomatibus, loco potus ordinarii præſcripſi decoctum e Rad. Cichor. Contrayeru. Sarſaparill. Scorzon. fl. Scabios. Raſur. C. C. Ebor. Lign. Sanct. Santal. r. Saſſafr.

Cort.

Cort. Cinnam. Nitro & Hordeo paratum, nec non matutinis & pomeridianis horis Eſſent. alexipharmacam, veſperi vero liquorem anod. mineral. Hoffmanni exhibui, quorum medicamentorum adſiduus uſus per Dei gratiam in tantum profecit, ut patiens d. 3. Julii, in integrum reſtitutus, iter viginti milliarium, trium dierum ſpatio una ſerie, absque ullo incommodo, equo vectus, abſolvere valuerit. Coronidis loco notandum adhuc duxi, quod ægrotus, cum ultima vice eundem inviſerem, mihi indicaverit, ſe paucis diebus ante hujus morbi initium, in ædibus ruſtici cujusdam, in itinere, pueros variolis undique obſeſſos deprehenſiſſe, & ex eorum adſpectu inſignem ſtatim nauſeam horroremque percepiſſe, unde ſane haud vana oritur ſuſpicio, variolarum iſtarum, poſt adeo longum tempus inopinato recurrentium, originem, potius imaginationi firmiori, cum averſatione extrema conjunctæ, quam ſolitariæ humorum diſpoſitioni morboſæ tribuendam eſſe.

OBSERVATIO XXXII.

Dn. D. JOHANN. PHILIPPI WOLFII.

De

Cardialgia chronica, vomitu ſpontaneo, apoplexiam comitante, ſublata.

Vir quinquaginta quatuor annorum, temperamenti bilioſi, habitusque corporis quadantenus ſucculenti, per tres annos quotidie horis pomeridianis anxietate præcordiorum & dolore ventriculi ſpaſtico adflictus, conſilium & auxilium a me petit, unde ipſi primo pilulas balſamicas ſaponaceas, (pro eliminanda ſaburra binoſa & cruditatibus in primis viis reſtitantibus,) & dein Eſſentiam ſtomachicam

exhibui, intercidendo ſimul omnia pinguia, ſpirituoſa & aromatica, in diæta, nec non frequentiores, ad quas proniſſimus erat, commotiones iracundas. His ita partim adſumtis, partim obſervatis, per integrum annum ad votum ſe ſe habuit, & malum iſtud plenarie ceſſavit. Die autem primo Julii anni 1733. de novo adfectus ille moleſtiſſimus recurrit, eaque propter medicamenta ſuperiori anno commendata optimoque cum fructu adſumta, iterum in uſum trahit, indeque levamen quidem, non vero plenariam ejusdem remotionem, obtinet; quæ cum ab ipſo intelligerem, uſum acidularum Kiſſingenſium, in vicinia noſtra ſcaturientium, cum diæta congrua, ſuadebam, quæ vero ab initio, ob frequentiores bilis exagitationes, ab iracundia fere continua, noxium potius quam ſalutarem præſtare videbantur effectum, ſiquidem anxietates prioribus longe graviores inde eveniebant, quare etiam eundem monui, ut, niſi diætam congruam ſervare, & ab ira ſibi temperare vellet, potum harum aquarum prorſus omitteret. Superato interim novo hoc inſultu optime iterum vixit, omniaque tam poculenta, quam eſculenta absque ullo incommodo adſumere valuit, præter cibos, quibus immixtæ erant cepæ, utpote ex quorum uſu malum ſemper augeri obſervavit, nec tamen propterea ad quintum usque diem Novembris ullis medicamentis opus habuit. Hoc ipſo autem die plane inopinato, hora decima veſpertina, ſub ſomno, apoplexia ſanguinea corripitur, quæ brevi poſt in dextri lateris paralyſin degeneravit, concurrente omnium ſenſuum defectu, itemque crebriori vomitu, ſub quo materiam viridem, axungiæ ſimilem ſummeque auſteram, notabili in copia rejecit, ſubſequente aphonia & ſopore diuturno. Statim ergo vocatus, inſtituta prius venæſectione, veſicatoria, aliaque excitantia & nervina, nec non evacuantia & roborantia præſcripſi, hisque paucorum dierum intervallo,

tervallo, ſub immenſa divini Numinis gratia, obtinui, ut artus non ſolum pro lubitu libere movere potuerit, ſed & ſenſus omnes cum loquela redierint, ſpeciatim vero cardialgia illa moleſtiſſima, ultra triennium nunc durans, dubio procul ob materiam viſcidam auſteramque vomitu remotam, penitus ceſſaverit, & per αὐτοκρατίαν Naturæ ſublata fuerit.

OBSERVATIO XXXIII.

Dn. D. JOANN. PHILIPPI WOLFFII.

Sectio cadaveris fœminæ, Hæmoptyſi & vomitu cruento, tandem Hectica demortuæ.

Litterati cujusdam, officio publico fungentis, conjux melancholico-cholerici temperamenti, triginta octo annorum, a multis annis hæmoptyſi, ab initio ſatis tolerabili, adflicta, ſex menſes ante obitum, poſt corporis vehementiorem & extraordinarium motum, nocte proxime ſubſequente eundem illum adfectum denuo in majori patitur gradu, ita, ut etiam convulſiones uterinæ ſupervenerint, adpetitu interim comedendi ſemper largo, bibendi vero exiguo ſubſiſtente, ſub quo inſimul paſſionibus animi, præprimis vero iracundis, curisque anxiis maxime dedita fuit, ab uno extremo in alterum facile deſcendens, vitamque ſedentariam utplurimum agens. Obtenta modo dictæ hæmoptyſeos excedentis mitigatione, menſes parcius & inordinate fluxerunt, ſingulis vero dein ſeptimanis, præcedente & concomitante tuſſi ferina excretio iſta hæmoptyica recruduit, quare cum meam demum imploraret opem, ante omnia, ut motum quemcunque corporis inſolitum evitaret, ſuaſi, dein pro eliminandis bilioſis ſordibus, in primis

viis collectis, potionem laxantem mannatam, conjunctis ſalibus mediis abſtergentibus, & ad ſanguinem diluendum, decoctum avenæ, a LOWERO tantopere prædicatum, addito pauxillo Nitri, præſcripſi, diætamque eupeptam, cum corporis & animi tranquillitate, commendavi. His autem non obſtantibus aliquando, cœlo ſereno, radiis ſolaribus liberius ſeſe expoſuit, & corpus deambulando ad laſſitudinem usque commovit, unde poſt reditum, præter hæmoptyſin, etiam vomitum cruentum experta, ſequente die uſum decocti illius avenacei omiſit, quoniam exinde vomitum cruentum, licet ejus vix uncias ſex unica ſaltem vice adſumſerit, excitatum fuiſſe, ſibi falſo perſuadebat, cum tamen, potiorem culpam in nimium corporis motum æſtumque ſolarem conferendam fuiſſe quilibet facile perſpicere queat, atque ex ſubſequentibus circumſtantiis magis adhuc innoteſcat. Cum enim, neglecto hoc decocto, elapſis binis ſaltem diebus proprio lubitu motum corporis, aëre calido ſub dio deambulando, repeteret, tertio ſtatim die vomitus cruentus in eodem gradu rediit. Hinc venæ ſectionem in pede, mitigato novo hoc inſultu, inſtituere juſſi, quam vero illico, cum vix iterum deligata eſſet vena, adfectus ſpasmodicus cum omnium ſenſuum abolitione excepit, ita, ut in lectum delata, graviorem, ultra quadrantis horæ ſpatium durantem, ſyncopen paſſa fuerit. Frictionibus tandem aliisque nervinis remediis in uſum vocatis, cum iterum ſe movere & anhelofa reſpiratione auram attrahere inciperet, nihil de hoc ſymptomate metuendum eſſe dixit, ſibi enim illud poſt venæſectionem per plures annos ſemper ſolenne fuiſſe. Aſt nocte ſubſequente vomitus cruentus, convulſionibus uterinis graviſſimis & revera horrendis ſtipatus, denuo recurrebat, metumque de certiſſime inſtante morte omnibus adſtantibus incutiebat. Accerſitus, ſtatim quidem Spiritum ſalis ammoniaci volatilem cum Eſſ.

Ca-

Caſtor. remixtum, naribus frequenter admovi, inſuperque frictiones in volis manuum, naſo & auribus inſtituere juſſi, nihilo tamen minus tragœdia hæc ultra duas horas duravit, quibus demum elapſis leniter iterum reſpirare incepit. Rebus ergo ſic ſtantibus alium adhuc Medicum in Praxi verſatiſſimum, in conſilium vocare adſtantibus placuit, qui mecum, remittente paroxysmo, varia medicamenta antispasmodica, uterina, pectoralia, &c. in forma pulveris, emulſionis, decocti, electuarii, &c. ſucceſſive præſcripſit, non minus etiam gargarismata, emplaſtra & pediluvia, itemque, ob nimiam alvi ſegnitiem, in plenariam adſtrictionem ſæpius vergentem, clysmata emollientia commendavit. Pro potu ordinario decoctum hordei gelatinoſum adſumendum, jusculisque gelatinas nutrientes addendas, ſuaſimus. Sed malum adeo radicatum & contumax erat, ut nullis remediis expugnari potuerit: Licet enim ægra lectum iterum deſerere & aliquot ſeptimanas libere deambulare valuerit, vires tamen in dies decreſcebant, in primis quoniam ſingulis matutinis horis æſtu, & pomeridianis frigore adfligebatur, tuſſis etiam hectica, ſæpius quidem remittens, in totum non ceſſabat, reſpiratio inſuper cum anxietate ſemper erat conjuncta, & fluxus menſtruus, binis antea vicibus ordinariam periodum ſervans, in tertia plenarie ſubſtitit, unde tandem prorſus emaciata vitam cum morte placide commutavit. Cum ergo durante adhuc morbo adſtantibus ſæpius indicaverim, labem pulmonum ſubeſſe, malumque plane incurabile exiſtere; hinc pro confirmanda hujus prognoſeos veritate, conſenſu mariti, eodem adhuc die ſectio cadaveris anatomica inſtituebatur, hujusque ope ſequentia detegebantur:

I. Per totum corporis ambitum, remota cute, nulla prorſus pinguedo adparuit.

II. Sterno elevato, pulmonum viſcus, inſolita magni-

tudine conſpicuum, undique ope membranarum denſiorum pleuræ, tam in regione coſtarum, quam vertebrarum, adnatum deprehendebatur, præcipue lobus dexter, trium circiter transverſorum digitorum ambitu verſus claviculam dextram, ſterno ita firmiter adhærebat, ut non digitorum, ſed cultri ope ſeparari potuerit; ſiniſter vero lobus cum pleura coſtarum ſpuriarum cohærebat.

III. Totum pulmoum parenchyna ſanguine extravaſato repletum erat, ſique leviter ſaltem digitis comprimebatur, inſignem indurationem præternaturalem undique evidenter monſtrabat.

IV. Diſſecta tandem pulmonum ſubſtantia ſtupenda certe nodorum & tuberculorum ſcirrhoſorum congeries in oculos incurrit, e quibus pariter ac interiacentibus tubulis exiliſſimis, ſub qualicunque leviori preſſione, pus album copioſe effluebat.

V. Cordis dextrum ventriculum ſumme flaccidum, ejusque fibras admodum laxas deprehendimus, ex eoque aperto polypum, longitudine digitum excedentem, quoad craſſitiem vero in baſi calamum ſcriptorium, & in extremitate culmum ſtramineum adæquantem, inque arteriam pulmonalem penetrantem, extraximus.

VI. Inteſtina tenuia undique inflammata ſanguineque turgida, craſſa vero naturaliter conſtituta erant.

VII. Lienis apici extremo hydatis, magnitudine juglandi mediocri æqualis, adhærebat, e qua aperta ſerum flavum pellucidum prodibat. Tota vero lienis ſubſtantia friabilis & quaſi putrida, absque tamen ullo fœtore, adparebat, vaſaque ejusdem ſanguifera cruore nigro maxime diſtenſa erant.

VIII. Hepar denique in ſtatu naturali quidem conſpiciebatur, veſica autem fellea juſto major, bileque ſuperflua repleta & admodum expanſa erat. Hanc vero bilis abundan-

dantiam obſtructioni ductus choledochi potiſſimum adſcribendam fuiſſe, circumſtantiæ omnes clare ſatis monſtrant, & inprimis ſegnities alvi ſatis luculenter confirmat, ſiquidem ea rariſſime absque clysmate injecto, vel infuſo laxante adſumto, lubrica fuit, quoniam nimirum bilis, excretioni alvinæ naturali ordine ſtimulum addens, jam p. n. in veſica fellea concluſa detinebatur.

OBSERVATIO XXXIV.

D. Dn. JOANN. PHILIPPI WOLFFII

De

Atrophia ſcorbutica cum hydrope pectoris complicata, gangræna tandem & ſphacelo terminata, ſubjuncta cadaveris ſectione.

Juvenis 22. annorum, laboribus fortioribus obnoxius, ſæpiusque ſub dio quibuslibet tempeſtatum mutationibus & quidem de die æſtui, noctu vero frigori, nunc ſicco nunc humido, expoſitus, hacque ratione victum & amictum quærens, ceterum conſtitutionis corporis quadratæ & procetæ, ineunte Anno 1735. per alios præſentiam & opem meam ſibi expetiit, & accedenti dein de ſtatu morbi ſui ſequentia retulit: Se circa Feſtum S. Michaelis a. p. poſt diuturniorem gravioris ponderis elevationem motumque corporis nimis vehementem, & ſitis inde obortæ per potum cereviſiæ aceſcentis extinctionem, ſtatim reſpirationem difficiliorem ſenſiſſe, laboribus tamen ſibi incumbentibus adhuc per integri menſis ſpatium, licet ægrius vacaſſe, poſtmodum vero extenuationem corporis, cum pruritu inſolito, obortam viresque admodum debilitatas eſſe, ita quidem ut con-

continuo decumbere cogeretur, tuſſim quoque ſiccam prædicta incommoda magis adaugere, adpetitum & ſomnum deficere, in principio in latere ſiniſtro dolorem punctorium ſe percepiſſe, nunc vero tumorem ejus in locum ſucceſſiſſe; implorato hinc naſutuli cujusdam balneatoris conſilio, hunc in dextro latere venam ſecuiſſe, & dein purgans quoddam draſticum totalem virium proſtrationem poſt ſe relinquens, porrexiſſe, adeoque jam omnem in me collocaſſe fiduciam, & idcirco rogatum voluiſſe, ut huic deſperato malo convenientibus remediis, quantum fieri poſſet, exoptatum auxilium ferrem, præcipue, quoniam motum quendum undulatorium ſonitumque liquidorum, ein Geſchwapper, in thoracis cavitate poſt corporis qualemcunque agitationem, perciperet, & in latere ſiniſtro perpetuo decumbere cogeretur, ſiquidem quamprimum dextrorſum corpus inclinaret, ſtatim inſignem preſſionem quaſi a pondere quodam eo delabente, & reſpirationem ſumme anxiam reddente, perſentiſceret. Ante omnia igitur Infuſum Theeforme pectorale, cum pulvere pectorali diaphoretico, ordinavi, quorum uſu die quarto reſpiratio liberior reddita fuit, & adpetitus cum viribus aliquantulum rediit, ita, ut lectum ad horæ ſpatium, & ultra, deſerere potuerit, & licet nullus ſudor prodiret, ſcabies tamen ſicca, magno cum pruritu undique in totius corporis peripheria erumpebat, motus etiam undulatorius in cavitate thoracis continuabat. Inſiſtebam itaque prædictis medicamentis ad decimum usque diem, quo, ob ſudoris retardationem, ipſiusque ægri conteſtationem, quod nimirum inter fortiores quoscunque motus, ſive ſaltando, ſive curſitando, ſive alio quocunque modo ſuſceptos, nunquam ſudaſſet, pilulas balſamicas, mihi alias uſuales, cum Extr. Hellebori nigri in virtute ſua paululum exaltatas, præbui, quæ etiam eximium, tam ratione reſpirationis, quam tuſſis, attulerunt leva-

levamen, ſiquidem inſignem copiam materiæ ſeroſæ per alvum eduxerunt, adpetitu ſimul indies ad votum magis redeunte; hinc uſum pulveris ſupra notati, ſpecierumque Theeformium pectoralium continuare ſuaſi, pilulas prædictas ſimul interponendo, cumque inprimis quoad ſenſum undulationis in pectore nullam abinde mitigationem experiretur, etiam Infuſum vinoſum, e Rad. Helleb. nigr. Ireos noſtr. Bryon. Herbis reſolventibus & diureticis, ſeminibusque carminativis, præſcripſi, ſiquidem ob metum & ſigna prognoſtica varia, labem pulmonum ſimul conjunctam & latitantem haud obſcure indicantia, paracenteſis inſtitui minime potuit, præcipue cum propter defectum humoris nutritii contabeſcentia corporis ſenſim invaleſceret, vires penitus proſtratæ adparerent, & tumor inflammatorius in pede ſiniſtro exortus, & doloribus horrendis ſtipatus, in dies majora ſumeret incrementa, ſphacelo tandem ibidem ſuperveniente, ubi e rupta veſica in dorſo pedis extremi, magna copia ſeri flavi emanuit. Interim æger ſe nec erigere, nec movere potuit, inflammatio etiam gangrænoſa, verſus ſuperiora adſcendendo, majorem ambitum occupavit, tandemque ad genitalia usque ſummis cum doloribus progrediens, & ſphacelum in extremo pede, tibia & femore poſt ſe trahens, die duodecimo Februarii a. c. huic tragœdiæ finem impoſuit, ægro circa veſperam hujus diei placide obdormiſcente, in cujus cadavere, altero die cultro anatomico ſubjecto, ſequentia notata fuerunt.

I. Per totam corporis peripheriam undique maculæ ſtriatæ fuſcæ & cæruleæ conſpiciebantur.

II. Ad thoracis apertionem dum progrediebamur, illico ſtupenda & immenſa quantitas ſeri ex flavo virideſcentis, ſcaturiginis inſtar proſiliebat, quæ ultra ſedecim libras pondere æquabat, atque unice ex cavitate ſiniſtri lateris haud exiguo cum ſtrepitu effluebat.

III. Siniſter pulmonum lobus adeo corrugatus erat, ut dexter, naturalem magnitudinem referens, illum quater exſuperaverit; conſiſtentia ejus inſuper ſicca, dura & ſcirrhoſa deprehendebatur, & exterius materia ſebacea, e flavo virideſcente, quaſi incruſtatus adparebat, quæ ipſa materia, omnis ceteroquin fœtoris expers, etiam pleuram, mediaſtinum, pericardium & diaphragma ſiniſtri lateris obduxerat.

IV. In cordis apice & pericardio inflammatio, & quidem verſus ſpinam dorſi gangrænoſa, obſervabatur.

V. Dexter pulmonum lobus itidem ſcirrhoſus & pleuræ pariter ac claviculæ adnatus conſpiciebatur.

VI. Hepar, naturalem magnitudinem excedens, in parte convexa ſcirrhoſam monſtrabat duritiem; veſica vero fellea rugoſa & omni fere bile deſtituta occurrebat.

OBSERVATIO XXXV.

Dn. D. JOANN. PHILIPPI WOLFFII
De
Averſatione Medicamentorum mirabili.

Illuſtris b. m. BAIERUS, venerabilis olim Acad. Nat. Cur. Præſes, in Diſſertatione *de Jucundo in Praxi Medica obſervando* §. *13.* ê WEDELII Tr. *de medicam. compos. extemp. S. I. c. 8.* ſequentem Caſum de averſatione ſingulari a Clyſteribus, his verbis allegat: *Laborabat nobilis juvenis febre „ ardente; alvo paulo adſtricta. Medicus methodi Italicæ in pri„ mis gnarus, præſcribit clyſterem. Renuit æger, proteſtatur, &, ſi „ adplicetur, ſe moriturum adſerit, quod parentibus ſuis clyſteres „ gentilitia hereditate fuerint exoſi; coactus admittit & moritur, „ non minimo cum famæ Medici diſpendio.* Hic ſimilem caſum, de plenaria medicamentorum averſatione, in mentem mihi revo-

revocat, qui ita ſeſe habet: Fœmina 31. annorum, per tredecim dies febre maligna petechiali decumbens, hactenus nulla prorſus medicamenta adſumere potuit, & cum tandem, ob graviorem morbi conditionem & periculum magis augeſcens, adſtantes eandem hortarentur, ut conſcientiæ ſuæ conſuleret, & pro obtinenda ſanitatis reſtitutione vitæque conſervatione, remedia, a Deo humano generi benigniſſime conceſſa, in uſum vocaret, prompte iisdem reſpondit: Se medicamenta quidem adſumturam eſſe, licet ob ſingularem ἰδιοσυγκρασίαν ea perferre non poſſet, atque certiſſime ſciret, quod adſumtionem illorum ſtatim Epilepſia inſecutura ſit, quod etiam eventus confirmavit, ſiquidem, cum ipſi leviſſima ſaltem doſis Electuarii diaſcordii Fracaſtorii, cum pauxillo camphoræ remixta, in juſculo calido exhiberetur, preſſo pede epilepſia oborta fuit, ægraque ſub eadem, ſummo cum terrore amicorum præſentium, ſubito expiravit. Brevi poſt, nempe menſe Majo anni 1735. alius notatu pariter dignus Caſus averſationis a medicamentis, in Viro 40. Annorum, occurrebat. Hic ſcilicet inopinato cardialgia ſpasmodica adflictus fuit, & quidem tanta cum vehementia, ut omnes adſtantes, diem vitæ ultimum inſtare, crediderint, ſiquidem partes corporis omnes frigidiſſimæ erant, omniaque vaſa ſanguifera in iisdem ob nimiam conſtrictionem externam, prorſus depleta adparebant, concurrente ſimul reſpiratione difficillima, ſumma ægrotantis nauſea intuitu omnium medicamentorum, utpote a quibus penitus ſe abhorrere, ſæpiſſime, cum ſanus adhuc eſſet, adſeveraverat. In conſilium ergo vocatus primo frictiones in artubus cum pannis aſperioribus calidis & excutiis inſtitui juſſi, & pro adjuvando debito ſanguinis progreſſu & diſtributione æquali, in primis verſus peripheriam corporis, potum calidum Thee frequentius exhibui, inſimulque potiunculam ex Aqua Scordii, Liquor. CC. ſuc-

cin. Antimon. diaph. Sale volat. Viperar. & Syr. C. B. conſtantem ſucceſſive propinavi, nec non Emplaſtrum diaphoret. cum Empl. diaſulphur. Ruland. itemque Camphora & Balſam. Rutæ mixtum & Oleo Anethi malaxatum, ſcrobiculo cordis imponendum curavi, quæ medicamenta etiam intra breve temporis ſpatium, divini Numinis auxilio, exoptatum ægro attulerunt levamen. Hoc interim miratu maxime dignum erat, quod, quoties potiunculam modo deſcriptam adſumſit, toties quoque convulſiones & tremores inſignes in artubus oborti fuerint, citra tamen qualecunque aliud incommodum, unde etiam, extra vitæ periculum dein conſtitutus, omnibus ipſum viſitantibus ſingulare hoc accidens non ſolum retulit, ſed & ſæpius experimentum hoc per jocum repetendo, de veritate certiores illos reddidit, donec tandem ad priſtinam ex voto redierit ſanitatem.

(*Suinfurto Erfordiam miſſa d. 8. April. 1737.*)

OBSERVATIO XXXVI.

Dn. D. DANIELIS FISCHERI

De

Rariſſimo abſceſſu ſanguineo in ſiniſtro lobo Pulmonum.

Pulmonum viſcus a veneranda antiquitate pro parenchymate habitum, recentiorum vero induſtria vaſculoſum pronunciatum, non modo in ſtructura ſua, varia, curioſis Anatomicis obtulit naturæ miranda ſpectacula, magisque adhuc admirandos, quoad ſitum, figuram, diviſiones, immo & ſubſtantiam, ipſamque ſtructuram, naturæ luſus, ex quibus multi conſectaria, ſæpe inconvenientia, & variis

variis controverſiis occaſionem ſuppeditantia, deduxerunt; ſed & in primis adfectus quoque morboſos tam varios, tam intricatos, diagnoſin fallaciſſimam exhibentes, patiebatur, qui & clinicis accuratiſſimis ſæpe multum negotii & laboris fecerunt, tam quoad cognitionem, quam felicem & plenariam curationem. Naturæ luſus, in pulmonum occurrentes ſubſtantia, Anatomici celeberrimi partim jam deſcripſerunt, partim vero tempori & ſedulitati aliorum reliquerunt annotandos. Quis enim omnes hucdum detexit naturæ luſus? hinc non omnes deſcriptos eſſe, ſaniores jam pridem animadverterunt. Propterea etiam tam facile induci haud poſſum, ut ſtatuam credamque, omnes morboſos pulmonum adfectus jamjam eſſe detectos atque deſcriptos. Teſtimonium pro adfirmativa perhibent complures clinicorum, quibus aſſidua laudabilisque ſedulitas in obſervando, immo poſt mortem etiam ſecando, morbo pulmonali quodam adfectorum cadavera, curæ cordique eſt, quorum acta & notata hic adducere nec vacat, nec lubet, quin potius iisdem nunc adjungam enarrationem & deſcriptionem adfectus oppido rari, nec, quantum mihi conſtat, a quoquam forte notati vel explicati, abſceſſus nempe ſanguinei, in ſiniſtro pulmonum lobo obſervati, de cujus veritate eo minus dubitandum erit, quo magis adſeverare poſſum, omnia indagata fuiſſe non in obſcurro angulo ſed palam, adſtantibus Amicis Per-Illuſtribus, aliisque curioſis ſpectatoribus, doctrina & ſanguine nobilibus.

Per-Illuſtri ex proſapia *Buckovvicziorum* oriundus Dn. *Paulus Buckovviczy* de Eadem in Kakas-Lomnicz, Hundsdorff & Leszna, Ill. Comitatuum Scepuſienſis & Saaroſſienſis Primarius, Tabulæ Judiciariæ Adſeſſor, a teneris ſemper conſtanti fruebatur ſanitate, ita ut raro, niſi præſervationis ſcopo Medici aut Chirurgi ope indiguerit; cujus Parentes Illuſtres per omnem fere vitæ decurſum pariter vim morbo-

rum haud fuerant experti; inprimis autem Mater ex Illuſtri Szckelyorum gente oriunda, ab omni morborum genere fuit immunis, quippe cui, non niſi ſenectus ipſa morbus fuit, hæc etiam, uti plerumque fit, mortem ſenectuti obvenientem ſine ſenſu, uti loquitur Illuſtr. *Joh. Godofr.* Nob. Dom. a BERGER *in Diſſ. de vita & morte* §. *XVII.* doloris, quin potius cum voluptate, ſubiit. Tam vegeta ejus conſtitutio, habitus corporis quadratus, temperamentum ſanguineo-cholericum, victus quoque ratio legibus diætæ conveniens, exercitatio corporis quotidiana, vigorem hujus, omniumque ejus partium obfirmarunt, ut idcirco omnes ac ſinguli, eundem facile ad ſummam usque ſenectutem victurum eſſe, audacter prædicerent. Aſt, quamvis prius in victu & potu ſatis exactum obſervaret moderamen, animi tamen, ex conjugio infelici, perturbationibus crebrioribus poſtmodum obnoxius, Veneris tandem furta nefanda ſectabatur, fideique conjugalis oblitus, alienos ſuſcipiebat amores. Hinc ſedentariam ac ſolitariam agens vitam quandoque etiam Bacho ſacra offerendo, in Veneris fano unice litare jucundum duxit. Hac vivendi ratione longam annorum tranſigebat ſeriem, liber tamen ab omni morborum inſultu. Triennio ſolum ante mortem tuſſitare incipiebat, tuſſicula inani & absque ſputo quocunque permanente, quam etiam idcirco parum curabat, ſed ſaltem catarrhalem aliquem inſultum eſſe ſibi aliisque perſuadebat. Et licet ultra conſuetum catarrhorum tempus illam durare deprehenderet, naturæ tamen unice negotium committebat, nec alio quodam utebatur medicamento, quam Infuſo Theiformi, ex herba veronicæ cum ſaccharo parato, vitium in pectore latitans eodem unice ſuperatum iri, certiſſime credens. Verum tabes iſta, quam ſemel occuparat partem, minime deſerere voluit, quin potius latius ſerpebat, profundius penetrabat, præcipue, cum ad qualemcunque

que mutationem peſſimi hactenus obſervati generis vitæ nullis diſponi potuerit persuaſionibus. Brevi ergo poſt conquerebatur de reſpiratione difficili & imminuta, quam tunc maxime experiebatur, quando ſcalas adſcendebat, locaque altiora petebat. Sed nec tum in gratiam cum ſanitate redire nitens, Medicorum conſiliis auſcultavit, unice corporis naturæque vigori confidens, quamvis dein ſpiritus difficultati, anxietates quandoque moleſtiſſimæ jungerentur, cordisque palpitationes & anguſtiæ ſupervenirent. Tandem accepto ex improviſo nuntio, de morte conjugis non conviventis, ſepoſitis animi perturbationibus, meliora jam ſperans lætioraque cogitans, ac aliam jucundiorem vitæ ſociam ſe accepturum ſibi proponens, paululum melius, non niſi tamen ad tempus ſe ſe habere viſus fuit, nihilo tamen minus veritatem proverbii, hominem proponere, Deum vero diſponere, ſuo quoque exemplo confirmatam experiri, invitus licet, cogebatur. Nam morbus, cum altas admodum jam egiſſet radices, non tam ex voto remittebat, ſed potius quotidie majora & pejora incrementa ſumebat. Meum igitur in hoc valetudinis ſtatu tandem expetiit conſilium, fata prius enarrando, ſymptomatumque ſyndromen cum lacrymis fere deplorando. Prævidebam facile, nihil boni exinde ſperare poſſe, adeoque maluiſſem, ut & alium ſimul in conſortium trahere Medicum ipſi placuiſſet, quod tamen renuebat, fiduciam in me unicam ſolum ponens. Maxime igitur ſuſpectam, primo ſtatim intuitu, deprehendebam ſpiritus difficultatem, dum in ſpecie etiam extra paroxyſmum admodum profunde, cum anhelatione, inſpirabat, in paroxyſmo vero, actus in- & exſpirationis quidem celeriter, ſed non æqualiter, procederet, inſpiratio enim multo profundior ſemper erat & diuturnior, quam exſpiratio, quippe quæ intra momenti ſpatium abſolvebatur. Anxietates autem in paroxyſmo majores quidem

adpa-

adparebant, nunquam tamen penitus intermittebant, quod ex motu oculorum colligere facile poteram. Palpitationes cordis non niſi in paroxysmo aderant, aſt præcordiorum anguſtiæ etiam extra illum ſentiebantur. Pulſus in paroxysmo erat ſumme inæqualis, magnus & celer, extra illum vero debilis. ſimul tamen magis æqualis. Tuſſis indeſinenter fere adfligebat, ſed ſicca & inanis; in paroxysmo autem oboriens, hunc ſopire & profligare videbatur. Urina erat naturali ſimilis; alimenta & potulenta adſumebat, utcunque etiam cum adpetitu; Somnus, quamvis ad illum ſumma proclivitas adeſſet, immo & revera ægrum invaderet, turbabatur tamen ſæpiſſime & quidem maxime citiſſimeque, quando ſupinus in dorſo jacebat, non ita, quando in latere ſiniſtro decumbebat. Ipſe autem paroxysmus maxime ſtipatus ſymptomatibus primo quidem tardius recurrebat, ſed ſucceſſive invaſiones accelerabantur, ita quidem, ut, paucis ante mortem horis exceptis, vix per quadrandis horæ ſpatium quandoque remiſſionem quandam ſervaret. Erumpebant etiam decimo ante mortem die hæmorrhoides cœcæ, quibus hirudines adplicatæ, nihil ſolatii attulerunt, quin immo vires magis magisque atterebantur, ut, his plenarie tandem deſtitutus, lectum invitus continuo premere cogeretur patiens. Tuſſis antea ſicca, jam ſanguinea reddebatur, ita, ut toties, quoties tuſſitaret, copioſus, craſſus nigerque, ſincerus tamen & fluidus, nulloque pure remixtus ejiceretur ſanguis. Succedebat porro tumor pedum œdematoſus, quem intra ſex dies excepit mors. Febris interim nulla obſervabatur, niſi illa, qua moriebatur, die, ubi delirio levi ſtipata erat. Sudabat in paroxysmo tantum, ſed unice in facie & pectore, quamvis durante adhuc integra ſanitate, ad ſudores admodum proclivis fuerit.

Hæc omnia perpendens, vere rationali medico judicio ſimul adhibito, ſincere omnino fateri teneor, me vix unquam

quam eum, quem exponenda nunc ſectio demonſtravit, ſuſpicatum fuiſſe morbum, haud tamen metuens, ob id facinus me aliquod commiſiſſe, quod in artificis cederet ignominiam. Utinam ſaltem omnes cordati Medici exemplum imitarentur meum erroresque commiſſos non reticerent, aut obvelarent; ſed palam & ingenue profiterentur, profecto majorem hinc redundaturam eſſe utilitatem in artem noſtram ſalutarem, omnino ſperandum eſt, quam ex millenis enarratis caſibus practicorum, ad imitationem GABELCHOVERI, TIMAEI a GULDENKLEE pluriumque aliorum hujus farinæ. Hoc animadvertentes quilibet cordati viri eodem modo procedebant, immo optabant, ut quicunque hiſtoriarum medicarum conſignationem ſuſciperet, non ſolum illos caſus publice exponere, quos felix coronabat eventus; ſed quam maxime eos, in quibus errores commiſerunt, aliis haud inviderent, quo exemplis alienis cautiores redderentur, nec tam facile illotis manibus ad medicinæ ſacra provolarent. Habet ſane illa permultos Gordios nodos, quibus extricandis ſæpe nec induſtria, nec ſedulitas, nec ingenii acumen ſufficit; incidit hic ſæpe in ſcyllam Medicus, etiamſi omni adhibito judicio & cautione ſtudioſe evitare voluit charybdim. Eſt in arte medica labyrinthus, ut, qui ſe ex eodem extricare ſine offenſa voluerit, atque Olympum conſcendere, a Jove natus cenſeatur. Divina ars divina quoque ingenia poſcit: Ergo humani quid committere nec Medicus a ſe alienum eſſe ignoret. Fateor itaque ingenue, me hunc morbum unice habuiſſe pro hydrope pericardii cum polypo cordis, in vaſa pulmonalia ſeſe inſinuante, complicato. Nec alter Lynceus quidem aliter judicare potuiſſet, niſi forſitan ſcirrhoſam redditam eſſe ſubſtantiam pulmonum, credidiſſet. Quæ enim Medicus, nuper ex Academiis redux, qui in abſentia mea ſeſe pro malo hoc curando obtrudebat, de

malo hypochondriaco ſomniavit, nullo modo ex prædictis confirmari poſſunt. Eo ipſo igitur, hydropem pericardii cum polypo ſubeſſe ſuſpicatus ſum, facile quoque periculum ſubſequeus prænoſcere potui; Curatio enim hydropis pericardii, uti belle monet Illuſtr. *Frid.* HOFFMANNUS in Diſſ. *de Pericardii Hydrope* §. *XX.* laborioſa, ſi non impoſſibilis eſt. Adhibita etiam auxilia ita erant comparata, ut, ſi non profuerint, nullo etiam modo nocere potuerint. Exhibui enim, prævia ſanguinis ventilatione in pede celebrata, ſal Epſomenſe, ſcopo laxandi, dein lixivia diuretica & ſalia plantarum fixa cum amaris, additis quoque ſuccinatis, & interpoſitis ſic dictis analepticis, quæ tamen magis ab ægroto expetebantur, quam neceſſaria & abſolute proficua a me reputabantur. Sed deceptum me in diagnoſi fuiſſe, poſt mortem inſtituta cadaveris ſectio edocuit, cujus tamen intuitu ſummopere dolui, quod ſub eadem mihi non licuerit, pro curioſitate & utilitate partem adfectam ſufficienter perluſtrare: Firmiter enim perſuaſus ſum, quod illus ope plurima detexiſſem, quæ de aneurismate, ſcirrho & abſceſſu ſanguineo in ſcriptis Medicorum practicam Anatomiam excolentium haud inveniuntnr, ſed incertis adhuc nituntur ſuppoſitis. Quæ autem fugitivo nimis oculo ſub ſectione, ægre ab amicis Illuſtribus defuncti conceſſa, obſervare licuit, jam ſequentibus exponam:

Abdomine aperto viſcera cum canali inteſtinorum, ab omni labe immunia videbantur, excepto pancreate, paulo majore, quam alias comparere ſolet & paululum indurato. Venæ item, per tunicas inteſtini recti diſperſæ, a ſanguine maxime dilatatæ conſpiciebantur. Ad Thoracem autem cum deveniremus, remoto ſterno ſtatim tumorem in ſiniſtro pulmonis lobo obſervavimus, qui ſub attactu durus admodum minusque flaccidus comparebat, vaſa in exteriori

riori tunica, ſtagnantis ſanguinis indicia referebant. Scirrhoſum hunc eſſe ſub initium exiſtimabam; hinc ſecare illum, ſaccum ovalem repræſentantem, volui; ſed incisa tunica exteriore, illico ſanguis copioſus craſſus, nigrique coloris, fluidus tamen cum impetu erupit, unde flaccidus factus hic ſacculus pulmonalis ſecundum longitudinem commodius incidi poterat, pro evacuando reliquo ſanguine in eodem contento, qui tres medias Hungaricas circiter æquabat. Diducta tunica, vaſa tam arterioſa, quam venoſa, in interiora ſacci pulmonalis hiantia, obſervabam. Corde, quod in magnam etiam molem dilatatum erat, per transversum diſſecto, cruore nigro & craſſo repletum deprehendi; de cujus oppletione ipſa quoque vasa ejus coronaria teſtabantur, quæ ſanguine velut infarcta adparebant. Explorabantur dein arteria pulmonalis æque, ac vena ejusdem nominis, in quantum licuit, ſtilo tenui ferreo, facilique negotio eas, in tunicam, ſaccum pulmonalem conſtituentem, progredi obſervabatur. Bronchia, ex aspera arteria prodeuntia, ſacculum pulmonalem pariter ingrediebantur, & ab iis quaſi ſuſtineri videbatur, prædictus ſacculus. Hos Tracheæ ramos dum inflabamus ſiphone incurvato, hiare eos in interiora notabamus. Membrana autem hujus ſacculi pulmonalis densa admodum erat, & triplo craſſior involucro cordis, quod pericardium dicitur. Tentaſſem etiam injectionibus conſtitutionem, progreſſum variosque hiatus & propagines vasorum inveſtigare, sed non licuit curioſitati indulgere, immo, quo curioſiorem me conspiciebant amici Illuſtres, eo magis inſiſtebant, ut a labore ulteriore deſiſterem. Sæpius ergo admonitus tandem obtemperavi, sed indignabundo animo, dum curioſitati meæ satisfacere non licuit, hinc eo minus & mihi vitio vertendum erit, quod cum publico plura ſpecialiora communicare haud queam.

Eſt interim hæc revera obſervatio perquam curioſa & rara, quæ non ſolum curioſum recreaſſet animum, ſed utilitatem quoque ſummam præſtitiſſet, in dijudicandis, puta aneuriſmate, abſceſſu & ſcirrho ſanguineo. Unde, ad quam claſſem referendus ſit adfectus præſens fuſius deſcriptus, æquis rerum æſtimatoribus dijudicandum relinquo, eoque magis, quo minus mihi hac in re ſolus ſatisfacere poſſum, partim ob denegatam ulteriorem inquiſitionem accuratam, partim vero ob Auctorum, prædictos adfectus fuſius in ſcriptis ſuis exponentium, diſſenſum. Interim tamen non prorſus injuſte me facturum arbitratus ſum, ſi *abſceſſus ſanguinei* titulum retinere malui, licet non ignorem quibusdam illum diſplicere. Sufficit tamen me conſentientem habere *Henr.* MEIBOMIUM, de *Abſceſſ. intern. nat. & conſtitut. Sect. I. Memb. II. Artic. II.* unde quidem potiſſimum ex illa ratione abſceſſum talem *ſanguineum* adpellari debere concludo, quod ſanguis in peculiarem quaſi folliculum a reliquo ſeceſſerit, præcipue cum ſciam, neminem abſceſſum ſanguineum adpellaſſe *Scirrhum ſanguineum*, præter Excell. Dn. D. ALBERTI *in Actis Acad. noſtræ Vol. I. Obſ. CCXVI.* Omnes autem reliquos indiſcretim ejusmodi ad abſceſſus retuliſſe, quemadmodum id etiam feciſſe deprehendimus *Arnoldum* BOOTIUM in *Obſ. Med. de adfect. omiſs. Cap. II.* De reliquo ab HIPPOCRATE ſimilem abſceſſum vocari *Venarum ſupervomitum*, auctor eſt experientiſſimus *Marcus Aurel.* SEVERINUS, *de recondit. abſceſſ. nat. Lib. IV. cap. VII.*

)o(

OB-

OBSERVATIO XXXVII.
Dn. D. DANIELIS FISCHERI.
De
Morte ſubitanea ex ruptura rami arteriarum coronariarum.

Subitaneam mortem ordinarie non ſolum fex infima plebis, ſed & illi, qui eruditorum cohorti adnumerari volunt apoplexiæ unice adſcribere ſolent, indeque induci credunt; aſt quam late a vero aberrent, anatomicæ ſectiones eorum corporum, qui ita inopinato & repente e vivis ſublati ſunt, ſatis ſuperque edocent. Apoplexia enim, uti cerebrum ſemper pro ſede & ſubjecto ſuo ſupponit, demonſtrante Illuſtr. *Joh. Godofr.* Nob. Dom. a BERGER *in Diſſ. de Apoplexia*, ſic nullo modo, illos apoplexia ſublatos eſſe, dicere licebit, qui cauſam mortis non in cerebro, ſed aliis, etiam a cerebro maxime diſſitis partibus, ſive viſceribus, fovent & exhibent, uti optime animadvertit *Joh. Jac. WEPFERUS in Obſ. anat. de apoplexia.* Quare non ſine ratione SERAPHINUM, JOUBERTUM, SANCTORIUM, PRIMEROSIUM atque BROWNIUM miratur Illuſt. *Joh. Henr. de HEUCHER in Diſſ. de Erroribus circa cauſas mortis ſubitan.* §. 1. *quod non debita perſtringere ſuſtinuerint cenſura errores illos frequentiſſimos, quos vulgus non modo, ſed Medici quoque prudentes alioqui & circumſpecti, errare ſolent quotidie, quando mortis ſubitæ cauſas, ſi ſtatim ad oculum non pateſcant, tantum non ſemper vel apoplexia, ſyncope, catharrho ſuffocativo, vel a veneno etiam adſumto arceſſunt, vel externam aliquam violentiam, aut medentis Medici errorem incuſant, vel denique Dæmonis præſtigias & illuſiones, aut Numen iratum, juſtum ſcelerum vindicem, ſine omni ſæpius ratione, vel judicio, allegant.* Exemplum ſingula-

 gula-

gularis ejusmodi cauſæ, ſubitaneam mortem inferentis, hoc anno præbuit miles gregarius Cæſareus, qui ſanus exiſtens prandium avide ſumſit, ac poſtea nuces quoque avellanas comedit, cereviſiam etiam inſuper, non tamen adeo largiter hauſit. Surrexit is a menſa & e cubiculo egrediebatur, vix vero januam ſupergreſſus corruit ſubito, nec amplius exſuſcitari potuit. Ut ergo ſectione anotomica in cauſam tragici hujus caſus inquiratur, jubent tam Tribunus cohortis, quam ſupremus militiæ Cæſareæ Præfectus de *Muſchletitz;* vocor hinc, ut neceſſaria débite obſervarem, eandemque dirigerem; Secatur abdomen, omnia vero ſana in illo deprehenduntur; aperitur, ut moris eſt, caput, nihil obſervatur, quod cauſam mortis ſubitæ conſtitueret, unde ad thoracem progredimur, ubi remoto ſterno, pulmones cum corde ſcrutamur, illosque pariter illæſos & optime conſtituos, involucrum autem cordis, ſeu pericardium, præternaturale quid alere deprehendimus. Sanguine enim repletum & diſtenſum illud deprehendebatur admodum fluido & florido. Diſſecatur ergo quoad longitudinem, ut ſcaturientis cruoris fons & origo exactius inveſtigari queat; deprehenditur illa in baſi cordis, rupto nempe ibidem ramo arteriæ coronariæ, ex quo etiam ſanguis adhuc actu effluebat.

(Pleſſa Erfordiam miſſa d. 15. April. 1737.)

OBSER-

OBSERVATIO XXXVIII.

Dn. D. BENEDICTI GVLLMANNI.

Cephalalgia gravis hypochondriaca, febre anomala pertinaciſſima ſtipata, tandemque feliciter expugnata.

Nil magis crucem figre poteſt Medico etiam ſollertiſſimo, quam curatio morborum chronicorum. Quoniam enim ut plurimum conſpirant cum morbo hypochondriaco peſſima illa Lerna malorum, facile hinc judicare licet, quam immenſa ſymptomatum copia exinde proveniat, quæ ſæpius eo usque ingraveſcunt, ut adfectus non tantum ſimplices, verum etiam maxime complicati hinc prodeant, & Medicus ab ordinariis indicationibus jam jam formatis ad aliquod tempus deſiſtere, horumque atrociam, quatenus fieri poteſt, mitigare cogatur. Accedit inſimul rebellis horum morum genius, itemque ægrotantium idioſyncraſia, moroſitas, nimia ſenſibilitas, impatientia, &c. quarum circumſtantiarum intuitu mirandum non eſt, ſi ad plenariam talium morborum expugnationem ſatis longum plerumque temporis ſpatium requiritur. Adſerti hujus veritatem ſequens quoque illuſtrare & confirmare poterit casus.

Vir prænobilis & generosus, annorum 50. temperamenti cholerico - melancholici, vitæ ſedentaræ nimium indulgens, officiis & occupationibus tam publicis, quam privatis, decoratus & onuſtus, ſtrictiſſimum quoque ordinem in omnibus ſuis actionibus obſervans, hucusque bene valuit, ita, ut exceptis levioribus catarrhis, integra ſemper ſanitate fuerit gavisus; ad altiores vero dignitates Senatorios evectus, quæ eundem invitum urgebant, ut interdum libe-

liberiori aëri præter conſuetudinem ſuam ſe exponeret, tandem anno 1735. menſe Februario, febri catarrhali graviori, conjuncto capitis dolore inſigni, corripiebatur, cui tamen tempeſtive medicamentis convenientibus ita occurrebat Medicus ordinarius, ut paucis abhinc ſeptimanis iterum rheda vehi, officiisque ſuis præeſſe potuerit; viribus autem nimium quantum fidens, Medicique conſilium hac vice, non adeo ſtricte obſervans, ſed auræ frigidiori & humidæ liberius ſe exponens, ex Scylla in Charybdin incidit, febre iſta, quam vix ſuperaverat, magna cum vehementia recrudeſcente. Statim ergo priora quidem in uſum iterum vocabantur medicamenta, aſt ſine ſucceſſu exoptato; ſiquidem vires, nondum plenarie reſtitutæ, nunc maxime proſtratæ adparebant cum ſumma toni in partibus fibroſis debilitatione; augebatur etiam in dies dolor capitis, præprimis in ſyncipite, febrisque nullum nunc typum ſervans, plane anomala reddebatur, cujus paroxysmi nunc matutinis, nunc pomeridianis, nunc veſpertinis horis recurrebant, ut ægrotus hinc, ſuaſu amicorum, alium adhuc Medicum in conſilium vocari permiſerit, qui expoſita morbi hiſtoria, penſitatisque omnibus ejus circumſtantiis, prioris Medici ſententiæ accedit, morbum ipſum non tam periculoſum, quam diuturnum, & a ſeri acrimonia, viscido involuta, ex tranſpiratione cohibita dependente, ortum eſſe pronuncians. Continuabantur ergo medicamenta reſolventia, temperantia, diapnoica & antifebrilia, iisque ſaltem emulſio leniens & ſedativa, veſpertinis horis ſumenda, addebatur, ex cujus usu per totam noctem placide dormivit, & absque doloribus evigilavit, perſiſtente interim urina in eadem qualitate, quæ alias febribus hisce ſolennis eſt. Cum vero moleſtiſſimus ille capitis dolor majori ſemper cum vehementia rediret, ad eum mitigandum, & quadantenus imminuendam plethoram, venæsectione revulſoria in pede inſtituebatur,

&

& pulveres ex margaritis, cinnab. nat. præpar. cum nitro præſcribebantur, hacque ratione, licet non plenaria ceſſatio, notabilis tamen illius remiſſio obtinebatur; præterea, ob motuum ſegnitiem humorumque lentorem, veſicatoria pone aures adplicabantur, & ad infringendam magis viſciditatem pulveres incidentes ex ſale abſynth. nitro antimoniat. cinnab. nat. &c. priorum in locum ſubſtituebantur, absque tamen ullo exinde eveniente levamine, ſiquidem inprimis dolores indeſinenter continuabant, ſomnumque prorſus impediebant, ut idcirco etiam urgente ſic neceſſitate emulſiones ex ſem. papav. albi paratæ in usum vocari debuerint, conjuncto ſimul, præter reliqua hactenus recenſita remedia, decocto pro potu ordinario, ex radicibus reſolventibus, itemque infuso Theeformi, ex ſpeciebus cephalico tonicis parato, a quorum tamen usu æger quam maxime abhorrebat; ſiquidem in genere parciſſime potulenta adſumebat, quamquam Medici eadem ſæpius immutarent, atque ad genium guſtumque ipſius accommodare adlaborarent; ſummamque neceſſitatem & utilitatem multis argumentis demonſtrarent, de quorum veritate etiam convictum ſe eſſe ægrotus profitebatur, vim tamen ſibi propterea minime inferre poſſe, conſtanter adſerebat. Facile hinc colligi poterit, quantum illa extraordinaria abſtinentia a potu curationem ipſam retardaverit, omnes ſcilicet ſe- & excretiones impediendo, alvumque magis adhuc ſegniorem reddendo, utpote quæ alias in ſtatu naturali etiam ad continuas inclinabat obſtructiones, ut idcirco ſingulis ternis vel quaternis diebus modo pilulis polychreſtis Halenſ. modo manna, modo etiam rhabarbaro, vel clyſtere ſcybalorum dejectio promovenda fuerit. Accedebat porro & hoc, quod natura ægrotantis facillime medicamentis adsuesceret, ſicque irritum eorum effectum redderet, quo tamen non obſtante Medici ſuis indicationibus inſiſtebant, ſicque aliquot hebdomadas tranſige-

bant absque ullo laudabili effectu; immo exasperabantur potius dolores capitis, & febris illa erratica, ob paroxysmorum vehementiam, & diuturnitatem, vires Generoſi Domini magis magisque abſumebat, ſicque neceſſitas iterum poſtulabat novam medicamentorum immutationem, & magis antifebrilia atque tonicorum ſubſtitutionem. Præscribebantur itaque pulveres ex conchis præparatis, antimon. diaphoret. pulv. cort. cascarill. &c. interpoſita tinct. vitr. mart. Ludov. quibus etiam nonnihil alleviari videbantur acceſſus febriles, ſiquidem licet urina ſemper notabilem copiam roſei ſedimenti deponeret, pulsus tamen remiſſior & tardior adparebat. Multum interim adhuc negotii faciebat pertinax illa alvi conſtipatio, febrem in primis adaugens & pertinaciorem reddens, ob retentionem nempe viscidæ illius & bilioſæ ſaburræ, pro quo incommodo removendo Aquæ Sedlicenses leniter calefactæ, bis de die in lecto ſumendæ, ordinabantur, quæ tamen ita ſimpliciter vel ſolitarie ſumtæ, nullum prorsus, addito vero ſale Egrano, aliqualem effectum, minime vero deſideratum producebant, quare clyſteres ſubjungebantur, qui etiam inſignem ſcybalorum quantitatem ſubducebant notabili cum levamine, omniumque ſymptomatum remiſſione. Spem igitur certam concipiens ægrotus de ulteriori felici ſucceſſu, ſedulo præscripta adsumebat medicamenta; aſt paucis interpoſitis diebus priſtina iterum observabatur tragœdia: Dolores enim ſyncipitis obtuſi recrudescebant, & febris cum ſuis irregularibus paroxysmis, ſomnum non ſolum intercipientibus, viresque consumentibus, verum etiam aliqualem ſpasmum in collo & cervice, qui deglutitionis difficultatem ſimul inferebat, excitantibus, denuo invalescebat, quæ tamen pariter usu mixturæ cujusdam analepticæ & antiſpasmodicæ, itemque adplicatione emplaſtri de betonica, cum balsamo rutæ, in tantum mitigabantur, ut æger noctem unam alteramve placide

transe-

tranſegerit. Quoniam vero circumſtantiæ omnes ſufficienter demonſtrabant, quod defectus potus ordinarii morbum hunc in ſe jam ſatis rebellem magis adhuc in pertinacia ſua foveret, denuo hinc monebatur æger, ut reluctante licet natura, tentaret, annon paulo liberalius bibere valeret, hunc in finem aquam ſimplicem, cum pauxillo vino Hiſpanico mixtam, Medici concedebant, quod potulenti genus per aliquot dies quidem libentius & in majori quantitate adſumebat, mox vero pariter nauſeabat, quare aquas Selteranas, cum vino Neccarino temperatas, ſubſtituebant, quas etiam facilius & largius perferre potuit, & exinde notabilem plurimorum ſymptomatum mitigationem obtinuit. Ad cohibendam dein moleſtam illam febrem erraticam cortex Peruvianus cum conſerva roſar. rubr. in forma boli exhibebatur, quem ægre quidem deglutivit, nullum vero conſtans & evidens levamen inde expertus æger, tandem omnem medicamentorum uſum, ad minimum per tempus aliquod, omittere decrevit, excepto ſaltem Specif. cephalico Michaël. cui etiam externum quoddam adhuc junxit remedium, cucupham nempe ſingularem, ab Amicis ſummis laudibus celebratam, a Domino *Cordier*, Lutetiis Pariſiorum inventam, ac ſub titulo *Peaux divine* (göttliche Wunder-Haut) undique divenditam Regioque Privilegio donatam. Conceſſimus quidem hujus uſum Generoſo ægro, addito tamen prognoſtico, per experientiam dein confirmato, quod nullus ſalutaris inde expectandus ſit effectus. Poſtquam enim per longum ſatis temporis ſpatium hoc martyrii genus ſuſtinuit, (ſiquidem totum caput, novacula prius abraſis capillis, pannis calidis ſæpius fovebatur, ſpiritu vini rectificato lavabatur, ſuperimponendo dein prædictam cucupham,) loco exſpectati levaminis, ſub frequentiſſima horum omnium reiteratione omnia in pejus vergere deprehendebantur. Miſſo ergo vano hocce arcano, propitiores au-

res nobis iterum præbuit, inprimis quoniam, uti ordinarie in hypochondriacis ſubjectis contingere ſolet, plura adhuc alia ſymptomata indies exoriebantur & prioribus jungebantur. Acceſſit enim catarrhus perquam moleſtus, cum vehementi tuſſi, ægrum noſtrum graviſſime adfligente, capitisque dolores admodum exacerbante, quam tamen, adhibitis lenioribus laxantibus, demulcentibus & temperantibus, feliciter iterum compeſcere licuit. Detruncato & hoc Hydræ capite, omnem lapidem movebamus, ut febris illa valde erratica & monſtroſa, cum fortiſſimis ſuis quandoque recurrentibus paroxyſmis, pariter profligaretur; & quoniam ab uſu corticis peruviani, in formam boli cum conſerv. roſar. redacti, prorſus abhorrebat, ideo eundem in pilularum forma præſcripſimus, quas bis de die ſumebat, interpoſito quandoque leni laxante, quam methodum etiam, ad inſtantiam noſtram per aliquod tempus ſedulo obſervabat, licet ipſi adfectus videretur inexpugnabilis, ob continuo recurrentes paroxyſmos, quos tamen a priſtina ſua vehementia quadantenus receſſiſſe tam pulſus quam urina teſtantur. Adpropinquante menſe Junio, utpote illo tempore, quo generoſus noſter æger acidulis Egranis ſingulis annis quondam uti ſuevit, easdem nunc quoque eidem, præmiſſa præparatione, concedendas eſſe judicavimus, ita tamen ut leviter calefactas, nunc in lecto, nunc extra eundem ſumeret, quod etiam, obſervata ſimul debita diæta, optime ſucceſſit, ſub variis tamen intervenientibus incommodis, moleſta ſcilicet tuſſi, paroxyſmis ordinariis febrilibus, alui pertinaci obſtructione & lipothymiis quandoque conjunctis, unde etiam animum prorſus deſpondebat, & ob morbi ſingularem pertinaciam omnem reconvaleſcentiæ ſpem abjiciebat, quam tamen omnibus adhuc viribus ſuffulcire adnitebamur, noſtrisque perſuaſionibus tandem obtinebamus, ut dimidiam partem ordinariæ quantitatis dictarum acidula-

dularum, nempe 18. ampullas majores, ſeu ita dicta viatoria vasa, evacuaret, hocque facto animadvertens, adfectum ſenſim ſenſimque decreſcere & mitigari, ultro nobis aperiret, ſe etiam ad adſumtionem ſuperſtititis portionis paratum eſſe, ſi id conſultum nobis videretur. Hanc animosam & heroicam declarationem, vix antea expectatam, ambabus quaſi manibus læti amplectabamur, noſtro ſimul conſensu eam confirmantes, præſertim quoniam nullum contraindicans adparebat, adfectus plane extraordinarius erat, ipse Generoſus æger maximam ſpem in acidulis his collocabat. Readſumebat itaque earum uſum ſumma cum voluptate, & continuabat per plures dies, licet febris in totum non cederet, ſed per vices quandoque recurreret, cum conſuetis doloribus obtuſis capitis, pulſu tamen in dies ad meliorem ſtatum & gradum vergente, & ſaltem urina adhuc interdum variante, indolemque hypochondriacorum referente, unde valde indignabundus iterum redditus æger acidulis quoque valedixit, & tantum matutinis horis Eſſent. dulc. Halensem, lectum vero conſcendens Specif. cephal. jam nominatum adsumit. Tandem cum observamus Gerosum Dominum valde inſtabilem eſſe, & ad conſumtionem hecticam quam maxime inclinare, curam lactis aſinini ipſi proposuimus, quam etiam, multis tandem convictus argumentis, admiſit, calido ejus uſu initium faciens; cum vero illud ſolitarie & purum varia incommoda poſt adſumtionem excitaret, quæ non eveniebant, ſi cum decocto fabarum Coffée remixtum erat, utique dein ſub hac forma illud, in refractario iſto malo, inviti licet, concedere cogebamur, ſicque tandem, dum per aliquot hebdomadas ita continuabat, (adfectus enim usque ad menſem Auguſtum perdurabat,) per Dei gratiam res eo devenit, ut febris, licet non in totum ceſſaret, tamen quoad gradum vehementiæ priſtinæ eximiæ mitigata adpareret, in-

 ſu-

ſuperque ipſe ægrotus omnia in meliorem vergere ſtatum animadverteret, ſiquidem adpetitus in dies augebatur, nutritio & adpoſitio debite iterum ſuccedebat, animus hilarior, color faciei magis vividus, & ſomnus tranquillior reddebatur, immo & pulsus cum urina nihil amplius præternaturale monſtrabant, quare etiam curationi colophonem denique impoſuimus cum leni laxante, & ſubjuncta huic eſſentia amara atque tonica, pro viſcerum partiumque fibroſarum roboratione obtinenda. Ob ſegnitiem vero alvi hactenus quaſi habitualem, uſum Nicotianæ mitioris, matutinis horis, fumum nempe ejus, more ſolito, per fiſtulam ducendo, optimo cum ſucceſſu, injunximus, ſiquidem redeunte & libere dein ſuccedente alvina excretione, prorſus ab hoc diro & refractario malo liberatus, & perfectæ ſanitati reſtitutus fuit.

OBSERVATIO XXXIX.

Dn. D. BENEDICTI GULLMANNI,

Clauſura ani feliciter curata.

Puerpera 30. annorum, fœtum maſculinum feliciter enixa, poſt conſuetam ejus repurgationem in balneo, cum obſtetrice clauſuram ani in eodem animadvertit. Magno terrore hinc perculſa Medici & Chirurgi auxilium anxie implorat, qui, accedentes, remque penitius examinantes, non tam membranam quandam, uti Auctores plerique referunt, quam potius ſatis craſſam concretionem carnoſam, ordinaria inciſione absque vitæ periculo minime removendam, inveniunt; hinc cauterio potentiali, partibus reliquis ordinariis undique probe antea munitis, debite adplicato, & per aliquot horarum ſpatium ibidem relicto, tandem ſcalpello ſubtiliori, ſeu phlebotomo, plenariam reſera-

ſerationem tentavimus, proinde ſimul rationem habentes ſphincteris ani, ne quacunque ratione læderetur. Peracta ſic feliciter hac operatione, turundam, vitello ovi inunctam immiſimus, cujus ope, paucorum dierum intervallo, plenaria obtinebatur conſolidatio.

(Auguſta Vindelicorum Erfordiam miſſa d. 16. April 1737.)

OBSERVATIO XL.

Dn. D. FERDINANDI JACOBI BAIERI.

De

Fungo verrucoſo, per ſectionem feliciter ablato.

Virgo athletici corporis habitus, e Palatinatu ſuperiori, viginti ſex annorum, ante luſtrum circiter in hypochondrio ſiniſtro, ob furunculum ibidem erumpentem, moleſtiam aliquam percipiebat, cui empiricus, e triviali balneatorum grege, admodum rudis, emollientia ſtatim & maturantia adplicabat, & dein, tumore magis ſic aucto & elevato, nec ſuppuratione adhuc rite abſoluta phlebotomum ſatis præpoſtere paſſim inflixit. Cum igitur parum cocti puris ſtillarent levia vulnuſcula, fibræque cutaneæ turpiter hiarent, ob ſaniem impetuoſe ad dilaceratos porulos ruentem, fœda ſubinde repullulavit verrucarum progenies. Jam ſexui ſequiori proprium eſſe novimus, ſtrictis veſtiri thoracibus, qui comprimendo fibrillas maxime debilitant, ut dimoveantur ex ordine, & quaſi cuniculos agant ſucci vitales. Quapropter deviante humido nutribili, & diſtorquente magis magisque filamenta fibrosa, in unicam facile monſtroſam protuberantiam verrucæ degenerarunt

runt. Tandem adflictæ non amplius integrum erat, coactam alere corporis gracilitatem, meumque deſiderabat conſilium, firmiter perſuaſa, præſtare remedium experiri anceps, quam nullum. Rogatus exploravi locum, mobilemque deprehendi fungum, & in convexa ſuperficie mire ſulcatum, prout *Fig. 1. Tab. II.* luculenter oſtendit. Interea probe mihi cognitum erat atque perſpectum, non adeo profundas egiſſe radices malum, illamque ἀφαιρέσεως methodum tutiſſimam eſſe, quæ ſimul ac ſemel novacula perficitur, præſertim cum vaſa ſanguifera epigaſtrica & muſcularia heic obvia, ob exilitatem ſuam, lethalis hæmorrhagiæ metum tollerent. Dies operationi ſacer fuit ſextus Iduum Junii anni nuper elapſi. Dextram porrexit Vir ſpectatæ fidei atque experientiæ, *Jeſaias Gottlob Jahn*, Chirurgus Norimbergenſis integerrimus, neglectaque prorſus ligatura, circa baſin excreſcentiæ, meo quidem conſilio, funditus ſeparavit, quidquid monſtri aluerat ægra, pondere ſex uncias excedens, quod *Fig. 2.* cum inverſa parte cutis connexa, demonſtrat. Imponebamus prompte crepitum lupi cum ſpiritu matricali, Eſſentia Balſami peruviani & Myrrhæ ſine alcali parata, ſaturatum, & faſcias adplicabamus, ut eſt artis. Mirum quantum occalluere arteriarum & venarum oſtiola, certo quippe effectu genuini ſpiritus vini rectificatiſſimi, cum traumaticis balſamicis juncti, cujus præconem merito celebramus Illuſtr. BOHNIUM, in obſervatione eleganti (*) *de efficaci virtute Spiritus vini externa, ſiſtendi ſanguinem.* Exulent hinc cauteria actualia, quæ, adglutinata plumaceolis eſchara, enormem hæmorrhagiam toties ſemper iterum excitant, quoties deligatio neceſſaria repetenda venit. Proin ego per triduum integram reliqui faſciarum compagem, ægramque ſitu erecto collocari juſſi in ſel-

(*) vid. *Act. Erudit. Lipſ. A. MDCLXXIII. pag. 153.*

ſellam pelliceam, mollibus ubique ſtragulis circumveſtitam. Non minus etiam tam ad præcavendam vulnerariam febrem, quam mitiganda reliqua ſymptomata, convenientia interna remedia, indicationibus reſpondentia, præſcribebantur, iisque per Dei gratiam peſſima quælibet, alias metuenda conſectaria, feliciter avertebantur. Reſtat nunc breviter commemorare, quomodo ſpeciatim curatio vulneris inſtituta & felicem ad finem tandem deducta fuerit. Per totum ſcilicet decurſum adplicavimus, mediante linteo carpto, liquorem ſupra dictum balsamicum; maximam vero opem præſtitit Emplaſtrum ſtypticum Parentis mei p. m. quod præcipuam debet energiam oleo Tartari fœtido & balſamo peruviano. Ceterum epulotica, pulveris forma inſperſa, omnem abſolvebant paginam, ut ſollicita hactenus ægra ſub initium octavæ hebdomadis ad patrios lares rediret incolumis, certoque convicta nihil eorum recrudeſcere, quæ conſanuiſſe videbantur.

(Norimberga Erfordiam miſſa
d. 24. April. 1737.)

OBSERVATIO XLI.

Dn. D. JOANN. ADAMI RAYMANNI.

De

Moroſi paralyſi linguæ familiari.

Quam facile *Doctores* illi *Librarii*, ab HARVEO ita dicti, qui ſcilicet ex aliorum ſapiunt Commentariis, & adſentiri magis, quam indagare conſueverunt, paralyſin veram, in cathedris & charta curare ſolent, tam ægre illam in lecto profligari quotidie experimur. Licet enim aliquando partes reſolutæ ætatis potius & naturæ ro-

bore, quam horum artisque miniſterio, ad aliquam redeant integritatem, perennare tamen adſolet, præter novi recurſus, ſeu recidivæ citioris vel tardioris metum, indelebilis ſiderationis perpeſſæ, in ſenſibus internis ad minimum, character. Vindicant autem ſibi peculiari quadam proprietate labem memoriæ, hincque oriundas judicii & rationis ecclipses, eæ potiſſimum Hemiplegiæ, quæ *linguam* ſimul graviter adficiunt, nec eam facile ad officium redire ſinunt: Quod cum hactenus ſcholæ Medicorum pro dignitate rei vix commendáverint, hinc placuit paucis de *Moroſi* tali, pro illuſtranda & obfirmanda veritate hac practica, commentari.

Rectoris olim Delphenſis meminit FORESTUS *Obſerv. 86. Libr. X.* cui dum poſt Apoplexiæ paroxysmum, multis annis lingua impeditior ita perſtitiſſet, ut cum difficultate maxima & balbutie loqueretur, adeo defecit memoria, ut nominis proprii immemor & melancholicus inſuper evaſerit, talisque permanſerit, licet, quod certe ridiculum eſt, moroſin hanc melancholicam FORESTUS cum *ſpeciebus lætitiæ* GALENO falſo adſcriptis, percurare ſuſceperit. Idem fere fatum expertus eſt hemiplecticus, de quo SCHMIDIUS in *Ephemer. Nat. Cur. Dec I. Ann. V. Obſ. 154.* refert, quod, licet facta in latus dextrum apoplexiæ metaſtaſi, uſum linguæ aliquem iterum obtinuiſſet, ſenſa tamen animi, ob mentis absque dubio impotentiam, dicendo exprimere vix potuerit, immo ſuperata inſuper morbi, cum convulſionibus alternantis, atrocia, adeo litterarum ignarus extitit, ut nullas noſceret, multo minus eas pingere, ſicque verba componere valeret; nec etiam ulla diligentia, vel ſtudio ad cognitionem harum amplius reduci potuit. Felicior hac in parte tamen fuit Lapicida, cujus ibidem mentionem injicit, ſicut & fœmina nobilis, cujus morbi hiſtoriam nunc ſum communicaturus.

Hæc cum jam aliquoties mater facta fuiſſet, licet 24. annos ſaltem transegerit, in dextro brachio, proxima partui exiſtens, eryſipelas efflorèſcere ita conſtanter obſervabat, ut toties iterata experientia edocta, imminentem jamjam partus terminum vel exinde certiſſime prænoſceret; anno autem 1731. rurſus uterum gerens, conſuetam hanc alias efflorescentiam, neſcio qua de cauſa, non experta, triduo ante partum, menſe Aprili, apoplectica derepente concidit, & licet inſtituta illico largiori ſanguinis depletione, ad ſe rediiſſet, ſuperſtes tamen manſit dextri, prout paſſim fieri adſolet, lateris, cum aphonia, reſolutio. Elapſo triduo, ſuccedente partu maturo lochiisque legitime manantibus, rediit ſucceſſive, cum ſenſu, deperditus harum partium motus, linguaque in dies melius balbutiebat, exactisque puerperii diebus, membrorum ſuorum aliquem recepit uſum, brachium tamen, quod olim eryſipelas occupare conſueverat, præ pede dextro magis impotens manebat. Fuit hæc fœmina natura quidem ingenii tardioris & obtuſioris, linguaque aliquantum balbutiens, ſed ſuperſtite poſt morbum hunc difficultate linguæ, congenita majori, tanta eam memoriæ mentisque impotentia occupavit, ut non ſaltem intempeſtive & præter rationem ſubinde in cachinnos effuſiſſimos ſolveretur, ſed etiam nullas ſciret litteras, neque easdem colligere & in ſyllabas ordinare potuerit. Ubi tamen muliebria redirent & ſanguine per menſes repurgaretur uterus, intercedente medicatione convenienti, ſucceſſit non ſolum promptior elocutio, ſed vis etiam judicii ſenſim, memoria inſuper redeunte, emicuit, ita, ut, cum noſtro ex consilio in prima illa litteratura, per quam pueris elementa traduntur, & per quæ illi prima litterarum ingrediuntur ſtudia, ſe indies exerceret, non modo litteras noſcere, ſyllabas pingere, dictionesque formare rurſus didicerit, ſed per exercitium hoc linguæ, uſum ejusdem facilem

 & ex-

& expeditum, memoriæ ingeniique reparato vigore, ſimul feliciter receperit. Vertente anno, licet antiqui pro more muſſitarent dolores, adhibita præſervatoria venæſectione & cura convenienti, immunis non ſolum a novo inſultu perſtitit, ſed priſtinum inſuper membrorum robur ex integro fere recepit, tribusque iam puerperiis, non neglectis ſeptimo & nono geſtationis menſe venæſectionibus, feliciter defuncta, adhuc dum ſaniſſima degit.

Sicut ſcilicet in omnibus morbis, quæ abſcedere nata ſunt, bona ſunt, ſi infra morbum fiant, ſi ex ſuperioribus partibus ad inferiora demittantur; præſertim vero optima ſunt, quæ infra ventrem maxime & quam remotiſſime abſcedunt, auctore HIPPOCRATE *2. Epidem, 1.* ita etiam optandum eſt, ut in apoplexia eveniant abſceſſus in partibus, a capite, ceu ſede morbi, quam maxime remotis: in vicinia enim oborti pernicioſi eſſe ſolent, quo nomine parotides etiam ſuſpectæ ſunt, juxta *Coac. 202.* & hinc reſolutiones artuum ſolitariæ facilius, quam linguæ ſimul paralyſi comitatæ, reſtitui poſſunt. Porro, ſicut epilepſia habitualis omnem, HIPPOCRATIS & noſtra experientia ſimul, eludit artis vim, ſi mens ſimul male adfecta ſit, adeoque originem ex capite habeat; ita cum linguæ permanens reſolutio depoſitionem materiæ in nervorum principio factam, nec αὐτοκρατία & activitate naturæ in loca remotiora, & hinc tutiora, translatam eſſe demonſtret, proindeque memoriæ pariter ac mentis impotentiam utplurimum conjunctam habeat, raro etiam ad integritatem & ſanitatem pervenit, ſed plerumque ægri tales, obſervante jam CELSO, amiſſa memoria miſeram trahunt vitam. Adeo ſalutare ergo eſt in omnibus morbis, docente HIPPOCRATE, mente conſtare.

Verum non graviores ſaltem, quas hactenus luſtravimus, ſed leviores etiam hemiplexiæ, uti ſcilicet præter linguæ ſaltem

tem hæſitantiam & impotentiam, plus minusve majorem, artus reliqui nulla adficiuntur reſolutione, ſimiles poſt ſe trahunt memoriæ mentisque dejectiones; qua de re, quantum quidem ego ſcio, primus ſcholas ſerio monuit Illuſtr. b. m. STAHLIVS tam in Pathologia ſua, quam noviſſime in *Silenis Alcibiadis, ſ. Commentario ad ſatyram Harveanam, cap. 32.* Obſervavimus hoc in vicino quodam Eccleſiaſte, ſeu parocho, qui vir procerus, & ſiccioris corporis habitus, ubi vix ſex luſtra vivendo exegit, vires vero ingenii vehementi eaque adſidua animi ad ſtudia adplicatione, multum attriviſſet, & inſuper minus ſecundam ex Junone ſua experiundo fortunam, tacitas pectore coqueret curas, anno 1734 menſe Octobri, prægreſſis vertiginoſis capitis adfectionibus, inciderat in ἀναυδίαν repentinam, quæ admiſſa venæſectione in impotentiam & hæſitantiam degeneravit linguæ, ita ut non niſi tarde & cum difficultate, nec ſatis articulate, verba proferre & eloqui potuerit. Primis diebus ἀπύρετος fuit, verum in ſomnum tanta ferebatur propenſione, ut ab hoc frictionibus pedum cum excutia arceri debuerit; dein quarto morbi die ex febre incaleſcere incepit, ſtatasque caloris, circa nocturnas horas, exacerbationes indies vehementiores, experiebatur, nec jam amplius ſomniculoſus, ſed inſomnis potius, & tota nocte pervigil fuit. Contemperatis vero ſeptimo die humoribus, & coctionis in urina, quæ hactenus cruda & ſubjugalis fuit, adparentibus indiciis, fœtidus prorupit ſudor, qui ſequentibus diebus adeo copioſus evaſit, ut totus ſomni tempore eodem quaſi diffluens, ſtragulaque exinde prorſus madida redderentur. Et hac quidem eccriſi ulterior humorum ad caput congeſtio diſcuſſa, febrisque judicata fuit, ſed linguæ continuavit debilitas, evidenti argumento, naturam quidem hac febre abſceſſum infra morbum perficere molitam eſſe, ſed negotium hoc non abſolviſſe, unde etiam pes cum manu ſiniſtra robur ſuum

que ſuum amiſerant, ita ut officio ſuo debite ſatisfacere haud potuerint. Abinc memoriam judiciumque magis magisque vacillare, ægrum morosum evadere metuque mortis inani angi, jam ſibi perſuadere, pulsum, falso licet, ſubſtitiſſe, jam ceſſare reſpirationem, extremaque ſic ſibi imminere, animadvertebat; & licet accedente vernali tempore huc, pro ſubeunda faciliori curatione mali, delatus, quidquid ex arte fieri potuit & debuit, admiſiſſet, contumax tamen manſit morbus, absque ulla mutatione, quin potius æger, bene ceterum cibi adpetens, indies in majorem ruebat fatuitatem & moroſin, dumque ſic muneri ſuo fungendo impar evaderet, in *defectuoſorum*, ut vocant, *Parochorum Conventum*, qui *Agriæ* proſtat, delatus, miſeram adhuc ibidem trahit vitam. Similem fere casum refert doctiſſimus ERNDELIVS, Archiater Polonicus, in *Warsovia ſua illuſtrata p. 219*, ubi quidem *lipothymiam fortem* morbum illum vocat, qui, pace viri optimi, verius *apoplecticus inſuitus* dici potuit & debuit.

In recenti insuper nobis hæret memoria vir Illuſtris, fama meritis & ingenio hic loci clarus, qui ſeptuagenario major elapſo anno fatis ceſſit. Hic hereditariam diſpoſitionem ad apoplexiam habuit, & poſtquam bis repentina hæſitantia & balbutie linguæ graviori, absque ulla reliquarum partium paralyſi correptus fuiſſet, in tantam ſucceſſive deſipientiam incidit, ut repuerascere revera videtur: omnium incuriosus, rem familiarem penitus negligebat, adeoque obliviosus evaſit, ut liberos ſuos vix dignoſcere valuerit, inſuperque omnem adeo depoſuit verecundiam, ut ea quoque absque verecundia committeret, quæ pueris alias improbantur, extremis vitæ ſuæ temporibus, homo olim affabilis, comis & facundus, adeo moroſus, & difficilis evaſit, ut vix quispiam ipſi ſatisfacere potuerit. De reliquo ciborum non faſtidiosus, ſed avidiſſimus fuit, inſuperque adeo vinivorax, ut, niſi ipſi pia fraude, dum pocula ſibi admini-

miniſtrari juberet, vini loco aqua pura, quam guſtu ab illo discernere non amplius valebat, porrecta fuiſſet, continuo inebriatus vixiſſet. Exactis tandem in his calamitatibus vitæ miſeræ quatuor annis, deficientibus ſenſim, ex marasmo ſenili, viribus, continuo quaſi ſomnolentus, placide exſpiravit.

Cum ergo adeo fatalis ſit linguæ paralyſis, Medicorum idcirco maxime intereſt, ſpasmodicas linguæ impotentias & aphonias convulſivas, tam idiopathicas, quam ſymptomaticas recte ab his paralyticis diſtinguere; uterque enim ſicut origine, ita & prognoſi, eventu & curationis facilitate, aut difficultate, multum differunt. Suppeditant vero diſcrimen tum indoles morborum, tum linguæ conditio: Si enim hæc nec ſenſu, nec motu deſtituta fuerit, nec in ſuperficie ſua colorem, nec etiam ſuæ poſitionis ſchema, ut *Cælius* AVRELIANVS loquitur, mutaverit, convulſivum eſt malum, & contra. Adde, quod in ſpasmodica aphonia ipſi ægri ſtricturas linguæ perſentiscant, & retractiones ejus viſui ſtatim obviæ ſunt.

(Eperieſo Erfordiam miſſa d. 30. April. 1737.)

OBSERVATIO XLII.

Dn. D. PAVLI HENR. GERARDI MOEHRINGII.

De

Paralyſi dextri lumbi ac femoris.

Vir juvenis rhedarius, viginti & aliquot annos habens, habitus pituitoſi, alias fortis & ruſticani, quum ann. 1732. menſ. Octobr. aëre humido, pluvioſo ac frigido,

do, ventisque valde commoto, multas per horas veheretur, domum redux, graviſſimos in lumbari dextri lateris regione, ac circa femoris oſſis articulationem, punctorios dolores ſentiebat, qui ab ea regione, qua musculorum quorundam adfectorum ortus & inſertio eſt, potiſſimum incipiebat. Flectere neque lumbos, neque femur antrorsum poterat. Unde in aprico erat, musculos pſoam, (a) quibusdam *magnum* adpellatum, ac iliacum, (b) & ex parte pectineum, (c) ſive lividum, atque rectum, (d) ſeu gracilem anteriorem, pati, præcipue autem nervorum lumbarium primum par ejusque anteriorem & internum ramum, (e) porro pars ſecundum (f) ac tertium (g) adhæc nervum obturatorem (h) nervique tandem cruralis aliquos ramulos ſuperiores (i) adfligi, ac proinde origines illorum, e ſpinali

a) *WINSLOW Expoſit. anatomique Tom. II. p. 115. ſq. num. 3'4 — 368. & pag 364. num. 979. edit. Amſtel. de A. 1732.* fig. vid. apud *EVSTACHIVM Tab. XXXVIII. VESALIVM T. VII f. VIII.* o. conf. *KVLMI Tab. Anat. edit. latin. Amſt. 1732. Tab. XXVIII. fig. 2. num. 61.*

b) *WINSLOW l. c. p. 116. num. 369 — 373. & pag. 364. num. 980. fig. vid. EVSTACHIVS T. XXVIII. XXXII. XXXIII. KVLMVS T. XXVIII. fig. 2. num. 62.*

c) *WINSLOW l. c. p. 117. num. 374 — 376. & pag. 364. num. 981. fig.* vid. *EVSTACHIVS T. XXVIII. XXXII. XXXVIII. KVLMVS Tab. XXVIII. fig. 3. num. 68.*

d) *WINSLOW l. c. p. 131. num. 429 — 433. & pag. 372. num. 1000.* fig. vid. *EVSTACHIVS T. XXVIII. XXXII. KVLMVS T. XXVIII. fig. 2. num. 76.*

e) *WINSLOW Tom. III. pag. 201. num. 273.*

f) *Idem ibid. p. 203. num. 279. 284.*

g) *Idem ibid. p. 205. num. 287. 288.*

h) *Idem ibid. p. 206. num. 294.*

i) *Idem ibid. p. 210. num. 313.*

nali medulla exeuntium, (k) ceu veram partem morboſam jungendas eſſe.

Conſuluerat varios tum temporis Medicos, qui interne variorum agmine ſudoriferorum, & externe congerie linimentorum ac unguentorum, non parti primario adfectæ, ſed femoris dolentis poſticæ parti adplicandorum, ægrum ſanare adlaboraverant, ſed omnia irrito conatu totam per hiemem in auxilium vocata erant.

Adpropinquante tandem æſtate anni 1733. ſua ſponte dolore ceſſante, æger bene jam dorſum incurvare, ac femur dextrum elevare poterat. Sed menſe iterum Octobri, ſub autumnali aëris humida frigidaque temperie dolor priſtinum occupabat locum, iisdemq; vexationibus increbescebat. Auxilium *d. 12. Novembr.* a me petebat, alvum ſimul ab aliquot diebus clauſam referens. Ut igitur primas ab abundanti pituita liberarem vias, hunc præſcribebam pulverem laxantem: *Rec. Rhei opt. ℈ij. Tart. vitriolat. Tart. ſolubil. ana gr. xiij.* M. f. pollin. inſtar, D. ad chart. Ait hoc adſumto, una tantum vice alvum apertam experiebatur. Feces vero poſtea naturaliter excernenti nihil de novo dabam.

D. 16. Nov. redeunti, externe ſequentem liquorem ſpirituoſum commendabam: *Rec. Aqu. apopl. cephal. Carol. V. ana unc. j. Spir. Lumbr. terreſtr. volat. Spir. ſal. ammoniac. ana drachm. j. Ol. Menth. ſtill. Rorismar. ana gtt. X. M. D.* Cui quidem quo meliorem effectum conciliarem, auctor ægroto eram, ut liquore hocce calido, leni prius frictione cum linteis calidis inſtituta primario læſam partem (l) quovis mane ac veſperi fricaret.

k) *WILLISIVS Nerv. deſcript. T. XII. H. h. J. i. KVLMVS T. VIII. a num. 19. ad 26. circiter.*

l) *Regionem ſcilicet ſpinæ dorſi, ex qua nervi dicti prodeunt,* vid. *KVLMVS T. II. litt. m. conf. antec. not. k.*

D. 21. Nov. dolorem quodammodo ſiſti, ac frigus quaſi illud, quod antea in parte dolente perceperat, evaneſcere læ-tus enarrabat. Igitur ſpiritum, paucis ad accelerandam curationem, additis, renovari jubebam. *Rec. Aqu. apoplect. cephal. Carol. V. ana unc. unam ſem. ſpir. lumbr. terreſtr. volat. Formic. ſal. ammoniac. ana drachm. unam, Ol. Menth. Roſmarin. ana gutt. XV.* M. D. ut antea uſurpandus. Hac medicaminis portione poſt paucos alios dies una adhuc vice repetita, ſine ullo ab eo tempore doloris frigidi & atoniæ ſenſu incedere nunc poteſt.

Ergo remedia, per ſe licet bona, ſi fonti morborum non adplicentur, nullius evadunt utilitatis, quid? quod in rheumatiſmis, ſimilibusque acribus humorum ad certa membra defluxionibus, morbum potius exaſperant, quam imminuunt. Ergo paralyſis hæc particularis, diuturna quidem tamen imperfecta dicenda venit, motu quidem muſculorum vere abolito, ſenſu nihilominus doloris frigidi ſuperſtite. Ergo morbi ortus ab humido frigore aëris, cui ægrotans noſter frequentius ſeſe exponere debuerat, derivandus eſt, quo facto, circa nervorum ſuperius commemoratorum e ſpinali medulla originem, muſculis ſimul ab humiditate illa laxatis, ſeroſa lentaque pituita collecta, fibras illorum tenuesque ad muſculos reſolutos deſcendentes faſciculos ramoſos compreſſit, ac enarrata excitavit phænomena.

OBSER-

OBSERVATIO XLIII.

Dn. D. PAVL. HENR. GERARDI MOERINGII.

Paralyſis manus dextræ.

Quam remediorum externorum adplicationem, ad muſculorum nervorumque adflictorum originem, veteres ſapienter ſuaſerunt, recentiorum ſana confirmavit imitatio, neque minus ſuperior obſervatio non nihil, niſi fallor, illuſtravit, infelix autem quorundam ſuperficietenus doctorum, aut tumultuario procedentium ordine practicorum cohors, triſti ſuo contrarioque eventu ſatis ſuperque comprobavit, eam alio inſuper eoque luculento exemplo corroborare liceat. Utinam rudes in doctrina, temerarii hinc in clinicis ſuſcipiendis conſiliis facti, hujusmodi longo rerum uſu, multifariaque & prudenti experientia ſtabilitis caſibus tandem erudirentur, ut circumſpecta anatomes, ad ægrotum corpus, inſtituta adplicatione præeunte, morborum origines atque cauſſas felicius detegerent, detectaque cauta ſimplicium quidem, nec valde compoſitorum & coacervatorum medicaminum congerie, ſed brevi ſua atqua concentrata mole efficaciter operantium, oblatione in fugam conjicerent.

Majo menſe 1736. Sutor quidam quadragenarius, lacertosus, magnis gaudens vaſis ſanguiferis, lectum ſanus veſperi petit, beneque ac placide dormit; aſt ſequenti mane expergefactus, dextram attollere manum nequit. Summe anxium hinc redditum mox de quærendo conſilio, quid agendum videretur, ut ſublatus in adflicto carpo ſenſus & motus, quam primum fieri poſſet, inſtauraretur, ſubit cogitatio. Accerſito igitur chirurgo, variis in ſpiritibus ac em-

plaſtris, reſolutæ parti infricandis atque imponendis, ſolatium ponitur. Sed elapſo integro octidui ſpatio rebus minus proſpere geſtis, nec quidquam viribus læſi membri revocatis, moræ ac doloris impatiens, ad me, opis implorandæ cauſſa, venire properat.

Conſpiciebam unguentis ac emplaſtris totum carpum ulnæque partem conſpurcatam, cutisque ſpiracula ſordido hoc illitu velut conglutinata. Examinato præterea ægroti ſtatu, calorem extremæ quidem manus pauliſper conſervatum, ſed a cruore velut ſtagnante eandem ac ſeorſim digitos atrolividos redditos, ſenſum adhæc adeo ademtum, ut ex acus punctione leviore nil plane perciperet, motumque tandem penitus ſuppreſſum videbam. Digitis ab alia manu expanſis, ipſaque reſoluta manu ad carpum usque elevante, priſtinum ſingula ſtatim in ſitum collabebantur. Ceterum ſanus ad ſpeciem erat, adpetebat, digerebat, excludebat bene.

Hisce cognitis, confeſtim venam in flexura cubiti dextri, in latere ſcilicet morboſo, ſecari, multumque ſanguinis emitti, ac inter mittendum paralyticam manum, celeriter probe calefactis linteaminibus confricari jubebam.

Sequenti mane d. 17. Maji cruor heſterna luce miſſus, nigricans, ſpiſſus, ſine ſero, ac conſiſtentiæ ubique æqualis erat, parum tactus manui acceſſerat, digitorumque primam phalangem paululum incurvare poterat; nulla tamen neque pollicis vel leviſſima commotio, neque reliquæ manus ad carpum usque vel minima elevatio. *Rec. Rad. Jal. Scrup. ij. Mercur. dulc. ex anat. doſi ſublimati & currentis ppt. gr. XII. Syr. Roſ. ſolut. drachm. VI. M.* Capiat ſtatim, ad ſeroſam primarum viarum colluviem excernendam. Rec. *Vngu. martiat. unc. j. Petrol. Ol. ſpic. ana drachm. j. ſem. Ol. Kikokunemal. drachm. j. Ol. Roriſmar. drachm. ſem. pulv. Euphorb. gr. VI. M.* inungatur bis in die dextrum colli latus, ſpinam dorſi verſus,

ſus, calido linimento, fricato paulo ante loco hocce linteis calidis. Manum præterea paralyticam ad cubitum usque ſæpius cruori calido, quam primum e bove aliove animali effluxiſſet, intingeret, ſanaque morboſam leniter per aliquod temporis intervallum adfricaret, ſuadebam: Canes enim, quorum viventium diſſectorum abdomini manum immittere potuiſſet, præſto haud erant.

D. 22. Maji cubito manuique reſolutæ aliquot cucurbitulas multa cum flamma imponendas, profundaque facta inciſione, largiter extracto ſanguine, ſcarificandas curabam. Ac reliquo etiam ſanguini, ut majorem fluiditatem conciliarem, lene hoc diaphoreticum infuſum, de quo omni mane 5. aut 6. ſcutellas calide hauriret, præſcribebam: *Rec. Rad. chin. Sarsaparill. ana unc. ſem. Lign. Guajac. drachm. iij. Cort. Aurant. drachm. ij. Agaric. drachm. iij.* inc. gr. m. D. ad Chart. Guajaci vires majores, quam quæ fervida aqua elici poſſent, nolebam; quod eorum in gratiam dictum eſto, quibus forte in mentem veniet, me ligni Guajaci vires ſeorſim facta decoctione extrahere debuiſſe. Ceterum ea jam erat noſtri conditio, ut elevata manus non tam ſubito, ac antea factum fuerat, collaberetur, nec digiti expanſi tam repente incurvarentur, proprioque inſuper marte digitos aliquantum, pollicem parum, movere poterat. Neque color manus paralyticæ amplius ex livido nigricans, ſed albeſcens evadebat.

D. 29. Maji ſe calidum ſanguinem tot vicibus a lanionibus accipere nequire, quot opus eſſet referebat. Per intervalla igitur ut *decocto Julorum Myrti Brabanticæ recentium* ſatis forti, loco cruoris uteretur, præcipiebam. Quibus tandem fiebat, ut octidui ſpatio manum ad crepidarium cultrum, cujus ope corii pars ad novos adaptandos calceos reſecatur, ſuſtinendum adhibere poſſet. Elapſis vero duo-

 bus

bus aliis adhuc menſibus ſponte huic, quæ alteri inerat, manui idem robur accedebat.

OBSERVATIO XLIV.

Dn. D. PAULI HENR. GERARD. MOEHRINGII.

Lutræ maris ſyſtema bilioſum.

Propriæ utilitatis ergo nuper Lutram maſculum diſſecanti, bilioſum mihi ſyſtema dignum, quod deſcriptum adnotaretur, viſum eſt. Delineavi propterea, rudi penicillo, magnitudine viva, vias bilis, nonnullaque alia infimi ventris membra, ut partium connexio eo melins patefieret. Exhibetur *Fig. 1. Tab. III. lit. a.* diverticulum bilis magnum, atque heic loci diſſectum, ut, cavitate interiore oculis obvia reddita, conſpici bilaria oſcula queant. Idem tamen in ſitu naturali, inteſtino duodeno exterius ſuperincumbens, *Fig. 3. Tab. IV. a* comparet. In cavitate diverticuli *Tab. III. Fig. 1. a.* viſui ſe offerunt 1.) oſculum ductus cholodochi b. adeo cum ceteris mox recenſendis exiguum, ut vix ſetam porcinam admittat, 2.) peculiaribus autem præterea ductus hepatici, *e. e. e. e.* inſulas *f. f.* formantes, oſculis c. c. c. c. gaudent, in idem diverticulum bilem hepaticam effundentes. Neque 3.) reticendus erit egreſſus pancreatici in commune hoc receptaculum ductus, oſculo in k. ipſo nimirum in margine diverticuli paululum protuberante. Communi igitur cuncta hæc oſcula itinere, uno hiatu, duodeni tunicas perforante, prædita ſunt, ut commiſti inter ſeſe diverſi humores, bilis fellea, bilis hepatica, ac lympha pancreatica communi breviſſimoque canali in diſſectum heic duodenum *p. p.* depicto loco, defluant. Ipſum vero pancreas ob partium multitudinem exprimere non potui,

tui, metuens, ne ſitus naturalis læderetur. Neque peculiare quid hoc ſed eodem, ceu in reliquis plurimis quadrupedibus, modo, ventriculo ac inteſtinis, duodeno atque jejuno, adpendet. Cholodochi ductus, binos hepaticos canales recipientis, naturalis longitudo, &c. in d. videre licet. Exoritur hic e ductu cyſtico & collo g. veſicæ felleæ *h. i.* cujus poſterioris figuram quodammodo ventriculum humanum præ ſe ferre arbitror, ſi nempe h. fundum i eminentiam, quæ œſophagum in homine excipit, g. autem ortum duodeni humani ex ventriculo denotare velimus. An autem felleæ collum veſicæ, mox deſcriptum, valvula, aliis in animantibus obſervata, peculiari gaudeat, temporis penuria excluſus, detegere nondum potui. Adhæret vulgari more fellis ciſtula jecinoris concavæ parti, octo lobis hoc in amphibio gaudentis, quorum aliqui litteris *l. l. l.* notata ſunt. Magnitudine ſua memorabili hepar totum ventriculum obtegit, adeoque non dextrum modo, ſed ſiniſtrum quoque hypochondrium unacum aliis viſceribus occupat. Adhæc autem ſeorſim inferius partem renis dextri *y.* venæ partem cavæ *s. s.* venam *r.* ad renem ſuccenturiatum ſiniſtrum *q.* tendentem, venam emulgentem *t.* & venam ſpermaticam *z.* ſiniſtras, neque minus portionem pinguedinis *u.* emulgentem ſiniſtram obtegentis, dum reni ſiniſtro, in *x.* ſito, inſeritur, depingere lubuit. Quibus omnibus ventriculum membranaceum *m. m.* cujus tunicæ exterior craſſis fibris, longitudinem decurrentibus, donata eſt; ſub *n.* œſophagum recipientem, & in *o.* ad duodenum *p.* adſurgentem, ſubjungo. Figura tandem 3. Tab IV. duodeni portionem, perpendiculari, oblique licet heic occurrat, via deſcendentis ſiſtit, ut externa diverticuli bilis facies adpareat, figura & magnitudine naturali: *a* eſt diverticulum bilis; *b.* ductus cholodochus; *c.* ductus quidem hepaticus; *d.* duodenum. Addo, in thorace nihil ſingularis fabricæ

reper-

repertum eſſe, præter quam quod pulmo ſex lobos haberet, e quibus infimus in dextra thoracis cavitate, & medius in cavo ſiniſtro reliquos magnitudine ſuperabant. Lien demum valde longus, & arctis quoad latitudinem limitibus, ſimilitudine linguam hujus amphibii exſcribens, circumſcriptus erat, neque dorſo incumbebat, ſed in hypochondrio ſiniſtro cum rene connexus. Reliqua, quæ de ſtructura harum partium exponere potuiſſem, cum aliis animantibus conveniunt, ideoque brevitati potius ſtudere, quam multum dudum cognita, lectoris cum tædio, recoquere malui. Liceat tamen hæc corollaria pariter, ac quæſtiones judicio periti ſubjicere.

An jecur totum ideo ventriculum cingit, ut glutinoſi piſces devorati eo melius, jecinoris calore blando, roſcido, adſiduo, foti, queant reſolvi? an idcirco tam multiplex bili utrique patet ad duodenum aditus, ut ex craſſo ſanguine elaborata craſſior bilis facilius plures per vias ad diverticulum deſtillare poſſit, uno forte altrove meatu quacunque ex cauſa impervio facta? an inſulæ, hepaticorum ope ductuum formatæ, ex obtuso ſphærico in concurſu ſuo ad acutum angulum continguæ fiunt, ut eo fortior ac citatior globulorum bilariorum preſſio & attenuatio deorſum fiat? leges fluidorum docere id videntur. An diverticuli folliculus muſculoſus tam amplus eſt, ſimulque pancreaticam lympham recipit, ut diverſi liquores aptum liquiditatis & acrimoniæ bilioſæ gradum obtineant? Forte plures hepatici ductus uni ductui cholodocho reſpondent, quo bilis cyſtica, ope fellis per ductus cyſticos jugiter adfluentis, jam diluta, magis adhuc attenuetur, nimiaque ejus acrimonia temperetur. Requirere tamen ingeſta glutinoſa videntur magnam bilis copiam, ne hæc acorem, &c. in alimentorum canale contrahant. Motus diverticuli bilis eo major eſt, quo firmius illud duodeno adcretum eſt, indeque eundem motum

peri-

periſtalticum communem patitur. Hinc triplex ad bilem in duodenum derivandam motuum concurſus: 1.) motus periſtalticus inteſtinorum; 2.) motus proprius fibrarum motricium duodeni; & 3.) motus proprius fibrarum diverticuli. Adjuvantia ſunt calor omenti, venæ cavæ, hepatis, renis dextri, ob id forte ſimul ſiniſtro ſuperiorem ſitum habentis, &c. An ren ſuccenturiatus tam magnus, tam ampla cavitate totque vaſis conſpicuis æque ac tomentoſis præditus, ut ſanguis, ex emulgente in cavam tranſiens, liquore in eodem collecto donatus, pabulum ad faciliorem in jecinore ſecernendam bilem adferat? ideone lotium paulo ante in renibus ſeceſſit, ut ſal hic bili elaborandæ minus noceat? forteque liquor oleoſus ſuccenturiatorum renum vices lotii in venoſo ſanguine ſupplet, hujusque liquidi defectum reſtituit. Disquirite peritiores!

OBSERVATIO XLV.

Dn. D. PAULI HENR. GERARDI MOEHRINGII.

Lutræ maris ſyſtema urinoſum & ſpermaticum.

Ex cavæ trunco *a. a. Fig. 1. Tab. IV.* abdomen tranſeunte, ad utrumque latus duæ venæ emulgentes *b. c.* dimittuntur, quarum ſiniſtra *c.* multo longior dextra *b.* extra renis ſui corpus, paulo ante ingreſſum in eundem, notabiliter bifurcatur, *d. d.* abſcondita tamen ſub pinguedine *e.* inferius, tergum verſus, reni ſiniſtro infigitur. Superne emulgentis venæ ſiniſtræ, prope hujus e cava ortum, vena atrabilaria *f.* ad renem ſuccenturiatum, ſive capſulam atrabilariam ſiniſtram *g.* tendens, propago evadit. In dextro latere capſulam hancce non depinxi, quia eundem cum

hac ſitum & figuram nacta eſt. Dimidia fere ſui parte capſula ſub rene, ipſi incumbente, abſconditur. Ceterum naturalis ejusdem externaque figura melius comparet in *Tab. III.* de ſyſtemate Lutræ bilioso, *fig. 1. q.* ubi vasa, ejusdem ſuperficiem reticulari textura percurrentia, conſpici poſſunt. Colore gaudet pallide carneo, ſive, ut melius me explicem, colore pulmonis haud abſimili, diſſecta, liquorem aliquantum oleoſum, coloris e flavo brunni, bili hepaticæ congruum, fundit. Incumbentes hiſce capsulis utroque in latere renes, litteris *h.* & *i.* inſigniti, pluribus lobis diſtinguuntur. In primis autem dexter *h.* ſecus ac in homine, multo ſuperius ſiniſtro collocatus eſt, fere totus in hypochondrio dextro, ſub duodeno hæret, lobisque quatuordecim gaudet, quorum aliqui *k. k. k.* multa pinguedine obſiti *l. l. l.* viſui ſe offerunt. Siniſtri vero *i.* in duodecim tantum lobos *m. m. m.* ſimiliter pinguedine multa *n. n. n.* obtectos, diviſi, ſitus inferior, dextroque longior, in regione ſiniſtra umbilicali eſt. Ex utroque renis lobo cuilibet proprius ureter procedit, qui omnes lotium ad pelvim communem renalem deducentes, originem communi ureteri, extra renes foras protenſo, præbent. Sed & horum cuivis ſingulare iter eſt: namque dexter *o* perpendiculari curſu duos inter lobos, e dextro rene egreſſus, in via fere media verſus cavam incurvatur, iterumque poſthac paululum deflexus, extrorſum ad ilium dextrum excurrit, ibique ſub vaſa ſpermatica in *S* inclinato denuo itinere, deſcendens, non tamen ſpermaticorum vaginæ inclusus ad inſertionem in veſica urinaria, inferius adnotandam, progreditur. Longe vero alium ſiniſtro ureteri *p.* tramitem exſiſtere, figuram inſpicienti patet. Hic enim deſcripta ratione ê renne ſiniſtro prodiens, via ſtatim obliqua, aortam verſus, inclinatur, mox ſub vaſis ſpermaticis ſiniſtri lateris *s. s.* procedit ſuper aortæ ramos *λ. s. s.* decurrit, curvamque in *q.* ſub

ſub vaſe deferente *σ.* inflexus, efficiens lineam veſicæ, modo mox tradendo, inſeritur. Ipſius tandem veſicæ urinariæ pars *r.* quanta ſuper os pubis e pelvi prominet, ligamento ſuſpenſorio *s.* firmata, externe & ſuperne, fibris longitudinalibus diſtinctis, leviter & copioſe ſulcata, ſub ſe inteſtinum rectum, a me heic e ſitu ſuo remotum *t.* recondit, & per urethram, inferius indigitandam, lotium e pene *13.* dimittit.

Syſtema ſpermaticum hoc modo ſe habet: Ex aortæ trunco *α* egrediebantur arteriæ ſpermaticæ *1.* & *2.* & quidem dextra *1.* infra ſiniſtram exorta, longiorem hac tamen viam ante abſolvebat, quam venæ ſpermaticæ dextræ *3.* ex ipſius cavæ trunco *a.* oriundæ, communi inveſtitæ vagina, adſociebatur *β.* ſiniſtra e contrario arteria ſpermatica *2.* nondum pollicis lati ſpatium itinere emenſa venæ ſpermaticæ ſiniſtræ 4. e vena emulgente ſiniſtra *c.* propullulati, conjungebatur *γ.* Reliquam autem viam, quam perſequuntur, ſiniſtro tantum in latere depinxi, quoniam utrique eadem progrediendi ratio erat. Paululum igitur ſiniſtri lateris vaſa ſpermatica communi vagina veſtita *ſ.* in progreſſu ſuo ab aorta recurvabantur, ureterem poſtea ſiniſtrum in *ε.* ſupermeabant, acceptoque deinceps vaſe deferente *6.* inferius ſimiliter ſuper ureterem progreſſo, ſibi invicem coadunata, in *ξ.* teſtibus *7. 7.* eorumque epididymidibus *8. 8.* adpropinquabant. Vaſa autem deferentia, quorum ſiniſtrum 6. adparet, recepto forſan prius liquore lymphali, e glandula quadam inſigni *9.* utrinque femori *10. 10.* quod intra abdomen, communium ope integumentorum, comprehenſum erat, ſuperincumbente, per proprium canalem *11.* ad vas deferens advecto, ſub veſica recondebantur. Dicta vero glandula, ſive glomer maximam partem arterioſum, ſuperius ſiniſtrorſum valido nervoſo faſciculo

 12. ad-

12. adligata erat, multaque pinguedine, & variis tunicis ac membranis, hic ſeparatis, ſic obtegebatur. Tandem ſub *13.* penis oſſeus, deorſum reflexus, vagina ſua incluſus, præputio 4. prædicus, indicatur, cujus dein *Tab. III. Fig. 2. a.* latus concavum, ac abdomini proximum, a præputio denudatum, ſit b. autem ejusdem caput convexum, bifidum conſpicitur. Reſtat, ut paucis aortæ propagines quasdam indicem: eſt arteria meſenterica inferior; iliaca dextra; λ iliaca ſiniſtra; hypogaſtrica dextra, in binos ramos *r.* . diviſa; tandem arteria hypogaſtrica ſiniſtra, duobus quoque ſurculis . . gaudens. *Fig. 2. Tab. III.* quædam membra, a poſtica, ſeu qua parte fundum pelvis ſpectant naturali magnitudine depicta, viſui objiciuntur. Veſica nempe urinaria *a.* in toto averſo latere, ubi quoad dimidiam partem oſſi pubis adnectitur, copioſis, iisque craſſis villis arterioſis nimirum minimis tomentoſisque extremitatibus donata eſt, ita ut fere villoſam alimentorum canalis tunicam adæquet. Quorum plexus villorum, ubicunque diſtributi, quos lineis iſtis ſulcatis ac curvis, & tranverſis, in figura exprimere ſtudui integrum hoc veſicæ latus perreptant. Forſitan liquorem ſubtilem, ſeroſum, diluendæ & temperandæ urinæ adfundunt. In poſtica porro cervicis parte bini ureteres *b. b.* abſciſſi conſpiciuntur, ut eorum in veſicam introitus eluceſcat, qui ſub ligamento folliculi ſeminalis ſuſpenſorio *c.* valido, fibris arcuatis transverſalibus, veſicæ cervicem percurrente, reconduntur. Huic vero ligamento ſuſpenſus hæret folliculus, mihi *ſeminalis* dictus *d.* quoniam *veſicularum*, noſtro in amphibio, *ſeminalium* obtinere nomen nequit, craſſus & laxus ſacculus, qui diffuſus liquorem ſeminalem pellucidum, tenuem, ex albido cinereum fundebat. Utrimque hic folliculus adſurgens, vaſa deferentia *e. e.* ſeminalem liquorem ad folliculum dictum advehentia, excipit. Ac

hujus

hujus quidem folliculi, valida fabrica muſculoſa gaudentis, ope, liquor ſeminalis jugi agitatione & compreſſione conquaſſatur, atque ulteriorem ad progreſſum ita adaptatur, ut per canalem penis incipientis *f.* protrusus, liquore proſtratæ *g.* itidem folliculi heic loci arterioſo-musculoſi, attenuatus, ad exitum usque urethræ eo vividiori actione foras propelli poſſit. In *h. h.* autem canalem iſtum penis diſſecui, ut cavitates binæ, ſepto quaſi intermedio, quæ ipſa urethra *i.* eſt, munitæ, totoque ſuo decursu cavo, fibris capillaribus, exilliſſimis, reticularibus, tenſis ac valde elaſticis, ad ſeminis continuam filtrationem & propreſſionem creatis, præditæ, aliquo modo oculis obverterentur.

(*Jevera in Friſiis Erfordiam miſſæ d. 17. Maij 1737.*)

OBSERVATIO XLVI.

Dn. D. GEORG. HENRICI BEHR.

De

Paſſione iliaca, ex nimio eſu amarillorum una cum lapillis.

Vidua quædam honeſta, ordinis civilis, temperamenti cholerico melancholici, quadraginta duorum & quod excurrit annorum, die 16. Julii A. 1736, poſt prandium, largiter jam adſumtum, magna adhuc aviditate devorabat integram amarillorum libram, & quidem ita imprudenter, ut etiam oſſicula, in iisdem contenta, ſimul deglutiret. Poſtero abhinc die, circa horam pomeridianam quartam, doloribus colicis, punctoriis atque lancinantibus exquiſitiſſimis corripiebatur, iisdemque adeo crudeliter torquebatur, ut vix ſpiritum trahere potuerit. Febricula quoque cum ſi-

ti anxia & inexplebili accedebat, quæ per totam perdurabat noctem; cumque die inſequenti abdomen ægrotæ magis magisque diſtenderetur, adſtantes eidem clysma domeſticum adplicare curarunt, quod vero absque ullo effectu, una cum poſtridie ſubjuncto in inteſtinis ſubſtitit. Hinc, non ſine causa perterriti, meum quinto a comeſtione die auxilium implorant. Adveniens, ægram in perquam ancipiti & periculoſo conſpiciebam ſtatu; alvi enim adſtrictio pertinax atque doloroſa non tantum aderat, ſed & a flatibus incarceratis mira abdominis expanſio juncta erat, unacum graviſſimis præcordiorum anxietatibus, cardialgiis, ructibusque frequentioribus. Idcirco non tantum varia ſtatim interna demulcentia, nitroſa atque lubricantia præſcripſi, & clyſteres aliquot emollientes atque carminativos reiterari, ventremque tumidum ſequenti unguento calide perliniri juſſi: Rec. Unguent. Alth. Popul. ana unc. ſem. Ol. Matricar. drachm. unam Ol. deſtill. Carv. Fœnic. ana ſcrup. ſem. Anis. gt. iv. M. D. ad Oll. S. zertheilende Salbe, öffters warm zu gebrauchen. Aſt & hæc omnia incaſſum adhibebantur: Clyſteres enim, ea in forma, in qua injecti erant, rurſus egrediebantur, absque ulla fecum alvinarum permixtione; immo febris complicata de die indiem adaugebatur, ventriculique contenta, conatibus vomendi per integrum fere diem prægreſſis, die demum nono actu evomebantur, quare ægra pariter ac ipſi adſtantes mortem jam fores pulſare, non ſine ratione, credebant. Sed præter ſpem & opinionem tandem, clysmate illo ſicco, e fumo ſcil. Tabaci, in anum immiſſo, cujus mentionem cum *Olao BORRICHIO Cent. IV. Ep. 92. ad Bartholinum*, etiam Medici *Uratislavienſes in Hiſt. Morb. A. 1702.* faciunt, virtutesque ejusdem multis laudibus extollunt; ſimulque aliquoties reiterato Laxante ſequenti: Rec. Mann. Calabr. Ol. Amygd. dulc. rec. expreſſ. ana unc. duas Syrup. Violar. drachm. duas, Sperm. Cet. recent.

recent. ſcrup. duos. M. D. ad Vitr. S. **Oefnende Mixtur, in warmer Fleiſch-Brühe auf einmal zu nehmen;** dira hæcce conſtipatio iliaca feliciter reſerata, ægraque ab omnibus jamjam pro deplorata habita, priſtinæ ſanitati reſtituta fuit.

Scholion.

Quod *corruptio ciborum multorum ac multigenerum, minusque conſuetorum, & alia ſuper aliam cruditas,* Iliacam paſſionem ſæpius inducat, dudum jam ARETÆVS *Lib. 2. de cauſ. & ſign. acutor. morb.* monuit; quod vero ſpeciatim nimia ingurgitatio tam fructuum horæorum, præcipue auſteriorum & acidorum, quam etiam eſculentorum, itemque rerum quarumcunque ſolidiorum & craſſiorum, modo infarciendo & conſtringendo etiam ſimpliciter obturando inteſtinum ilium, fecibusque alvinis tranſitum ad connexum colon denegando & præcludendo, pariter cauſam maxime frequentem hujus mali conſtituat, experientia dudum jam docuit. Sic, elapſo ultimo autumno ad virum quadragenarium, ſatis ceteroquin robuſtum optime valentem, in primis autem ciborum avidiſſimum & maxime voracem, vocatus, eundem in ſeptimum usque diem pertinaciſſima alvi adſtrictione, cum doloribus graviſſimis & continuis colicis ructibus ſtercoraceum odorem ſpirantibus, frequentiſſimisque vomituritionibus, adflictum deprehendi, nullam tamen aliam occaſionalem cauſam tam ab ægro ipſo, quam uxore & liberis, indagare potui, præterquam quod ante quatuordecim circiter dies,, durante vindemia, haud levem uvarum quantitatem, unacum acinis & folliculis, devoraverit, & non minorem portionem panis denſioris caſtrenſis, qui militibus alias diſtribuitur, ſuperingurgitaverit. Quoniam ergo nulla adhuc indicia præſentis, aut ſaltem imminuentis cujusdam inflammationis occurrebant, inſimul-

mulque ægrum varia jamjam purgantia, lubricantia, lenientia & diluentia adſumſiſſe, pluresque inſuper clyſteres, tum emollientes, tum ſtimulantes, absque ullo ſubſequuto effectu, injectos fuiſſe, percipiebam; idcirco ad extremum illud intrepide confugiebam remedium, Mercurium nempe probe depuratum, cujus uncias quindecim cum Olei Amygd. dulc. recent. quatuor. unciis, ſucceſſive exhibui, ſubjuncto leni motu deambulatorio, quoad nempe vires & dolores ægrotantis eundem permittebant, ſicque tandem intra duodecim horarum ſpatium alvus feliciter ſolvebatur, prodeunte, partitis vicibus, ſatis notabili copia ſcybalorum compactiorum & induratorum, ex meris fere vinaceis conſtantium, unde tandem continuato abſtergentium & lubricantium uſu, excrementisque magis naturalibus adparentibus, reliqua admodum ſontica ſymptomata, per Dei gratiam, penitus evanescebant. Similiter quoque paſſionem ilicam tam ex Ribium, quam Pyrorum nimio eſu obortam, adnotavit GRUBELIVS *in Ephemer. Nat. Cur. Dec. III. Ann. IV. Obſ. 95. & 96.* Per Cotoneorum nimiam adſumtionem, itemque Caſtanearum crudarum devorationem inductam ſiſtit *ZACVTVS Lib. 2. Prax. Hiſtoriar. C. 2. Obſ. 2. p. 86. & Obſ. 27. p. 154.* quorſum etiam pertinet *paſſio iliaca aurea* a KHERNIO *Cent. I. & II. Obſ. 154. Ephemer. Nat. Cur.* deſcripta, & a degluticis 48. nummis aureis provocata, quorum quinque lapidis ad inſtar interpoſita materia viscida tartarea concreti, finem inteſtini ilei ita obturarunt, ut infuſa aqua tantum per modum ſtillicidii tranſudaverit.

(A. E. BUCHNERVS.)

OBSER-

OBSERVATIO XLVII.

Dn. D. GEORG. HENR. BEHR.

De
Viro, brachiis ac manibus penitus deſtituto, varia tamen pedibus ſuis peragente.

Non pauca ſane paſſim de monſtroſis hominibus, quibus brachia manusque defuerunt, adnotata deprehenduntur exempla, v. g. apud *Ambroſium PARÆVM in chirurg. Libr. XXIV. Cap. VI. p. m. 839. Fortun. LICETVM de Monſtris Libr. II. Cap. 2. & 7. p. m. 55. & 71. Phil. CAMERARIVM oper. ſubciſiv. Cent. I. p. m. 161. Gottofr. OLEARIVM in Halygraphia ſua topo-chronologica, p. m. 270. Fel. PLATERVM in Obſ. Libr. III. Obſ. 556. Caſp. BAVHINVM de Hermaphrod. Lib. I. Cap. VIII. p. m. 87. Joh. RHODIVM in Obſ. Med. Cent. III. Obſ. 60. Phil. Jac. SACHSIVM in Gammarologia ſua p. 478. Martin. ZEILERVM in Epiſt. Cent. IV. Ep. 100. Paul. ZACCHIAM Quæſt. Med. Legal. Lib. VIII. T. 1. Qu. IX. §. 6. Thom. BARTHOLINVM Cent. II. Hiſtor. 44. p. 242. Nic. TVLPIVM Obſ. Med. Lib. III. Obſ. 54. p. 269. Ol. WORMIVM in Muſ. Libr. IV. Cap. 1. 2. fol. 387. Godofr. VOIGT* in ſeinem phyſicaliſchen Zeit-Vertreib, *p. 267. Joh. Sebaſt. GVTH* in ſeiner Meining. Chronick, *p. m. 382. Joh. HEROLDVM* in ſeinem Wunder-Buch, *fol. 478. ſeq.* aliosque plures. Singulæ autem horum Auctorum obſervationes, cum ad priora duntaxat ſecula ſpectent, nullusque modernorum, quantum mihi quidem conſtat, conſimilem noſtris temporis produxerit, litterisque conſignaverit, ideo nunc ſequentem illis addere placet.

Anno elapſo, tempore nundinarum æſtivarum, Argentinam noſtram acceſſit Johannes Wyniſtorff, natione Helvetus, in pago quodam Cantonis Bernenſis, Oberburg dicto, progenitus. Hic, uti ipſe mihi retulit ante triginta ſex annos, patre & matre perfecte alias & naturaliter, quoad omnia membra formatis, monſtroſo brachiisque carente corpore ex materno egreſſus eſt utero, cum tamen ipſa genitrix nunquam ſimile monſtrum in natura, vel pictura, viderit, aut de ullo quodam quidquam audiverit, cogitaverit, indeque obſtupuerit, quod certe notatu eſt digniſſimum. De reliquo mutilatus hic homo *Tab. III. Fig. 3.* expreſſus, qui ſolummodo in humero dextro informem atque articulationibus deſtitutum digitum *a.* propendentem, ſub tunica ordinarie reconditum, inque humero ſiniſtro *b.* tuberculum quoddam irregulare leviter prominens monſtrat, a benefica natura, hujusmodi defectus & errores plerumque alia quadam liberalitate munifica compenſante, eam nactus eſt dexteritatem, ut non ſolum ipſemet, a prima jam infantia, cibum omnem potumque propriis pedibus adſumere potuerit, ſed & his ipſis, eorumque digitis ſumme flexibilibus, varia adhuc alia negotia peragere didicerit. Sic enim 1) quemcunque obviam venientem detractione pilei comiter ſalutat. 2) Organum pneumatico-gyratorium *c* ſcite pulſat. 3) Filum per anguſtum acus foramen *d.* expedite trajicit. 4) Arctiſſimum illud nodi genus, textorium nempe, vulgo Weber-Knopf dictum, quam firmiſſime conſtringit. 5) Forfice mediocri *e* varia, chartas videlicet, pannos, &c. prompte diſcidit. 6) Panem, carnem, aliaque eſculenta craſſiora compoſite diſſecat, potulenta vero concinne & infundit, & ebibit. 7) Teſſeris atque paginis luſoriis *f.* exacte ludit. 8) Sclopetum manuale *g*) pulvere nitrato appoſite refercit ac ſtipat, idemque repente dein emittit. 9) Inſtrumentum quoddam fatigatorio-ludificum, ab eo Vexier-

Ring

Ring nominatum *h.* artificioſiſſime ac celerrime & enodat, & implicat, tandemque 10) iisdem pedum digitis tam calamum ſcriptorium *i* quam chartæ plagulam *k.* convenienter arripit, litterasque haud informes eidem inſcribit. Curioſiſſimum inſuper & hoc eſt, (quod mihi vero alii de hoc mutilato Wyniſtorffio retulerunt,) ipſum jam jam filiolum ex anicula quadam generaſſe, omnibus ac ſingulis artubus perfecte præditum, hincque patri ſuo, quoad monſtroſitatem, prorſus diſſimilem.

(*Argentorato Erfordiam miſſa d. 20. Maji 1737.*)

Scholion.

Præter ſupra adlegata exempla, aliud quoque huic ſimillimum, de alio quodam Heluetio, brachiis manco, cuncta tamen manuum officia pedibus peragente, proſtat in *Joh. HELLWIGII Obſervat. Phyſ. med. Obſerv. 12. p. 32.* pluraque hujus commatis inſimul in Scholiis, tam a Celeberr. Auctore quam ab Illuſtr. b. m. SCROECKIO, Obſervationi iſti ſubjunctis, recenſita deprehenduntur, quibus etiam illud a LENTILIO, *Decur. III. Ann. V. & VI. Ephemer. Nat. Cur. Append. p. 98.* itemque recentiſſimum, ab Excell. Dn. D. ALBRECHT, ſuperius *Obſerv. XXII. p. 93* hujus voluminis adductum, jungi merentur, cumque huic ultimo prorſus analogum quoddam forte fortuna, paulo tamen ſerius, poſtquam nempe typis jam exſcripta fuit prædicta Obſervatio, in ἀρχείῳ noſtro, inter alia, reconditum offenderim, hac ad minimum occaſione illud adnectere placet. Conſignatum autem eſt a pie defuncto Dn. D. *Matthæo BLAAW*, Medicinæ olim Profeſſore in Academia *Friburgenſi*, his verbis: „Monſtroſorum partuum etſi in ſcriptis antiquiorum „& neotericorum Medicorum, immo in ipſis Ephemeridibus

„ Academiæ noſtræ, hiſtoriæ & obſervationes quam pluri-
„ mæ proſtent, quia tamen varie natura ludit, ideo ad mini-
„ mum graviores, ab eadem in conformationis actu com-
„ miſſi errores, poſteritati relinquendi erunt, quibus pro-
„ pterea ſequentem quoque adnumerare licebit caſum no-
„ tatu non prorſus indignum.

„ Anno 1688. die 22. Aprilis, uxor *Joannis Buen*, Cau-
„ ponarii in pago *Althaimb*, puellam vere monſtroſam in lu-
„ cem edidit, extremitatibus nempe corporis, tum ſuperio-
„ ribus, quam inferioribus, prorſus deſtitutam, adeoque *vi-
„ ventem Truncum humanum* exacte referentem. Superius
„ quidem, ubi alias brachia, cum clavicularum & ſcapularum
„ oſſibus ſunt connexa, in utroque latere exigua oſſis hume-
„ ri portio prominebat, ſola cute inveſtita, (vid. *Fig. 1. Tab.
„ V. a. a.*) inferius autem, ubi femora prodire ſolent, *b. b.* to-
„ tum corpus finiebatur, ita ut ultimam ejus partem extre-
„ mamque regionem conſtituerent nates & os coxendicis, in
„ ipſa autem cute extrema, antrorſum duæ prominerent pa-
„ pillæ, iis ſimillimæ, quæ ordinarie in mammis conſpiciuntur.
„ Proinde etiam in pectore notabilis occurrebat deformitas,
„ dum antrorſum & retrorſum gibboſa erat puella, cum no-
„ tabili coſtarum utrinque prominentia, *c.* neque etiam pa-
„ pillæ ordinarium ſuum occupaverant locum, ſed inferius in
„ hypochondriis *d. d* protuberabant. Reliqua omnia natura-
„ liter erant conſtituta, præterquam, quod adhuc in facie næ-
„ vum aliquem maternum, ſeu maculas rubicundas, ſupra
„ oculum ſiniſtrum & nares ſeſe extendentes *e.* monſtraret.

„ Cum puellam hanc monſtroſam circa finem primi,
„ a nativitate, menſis conſpicerem & contemplarer, inte-
„ gra frui videbatur ſanitate, ut etiam, diutius eam ſuper-
„ ſtitem futuram eſſe, omnes ſuſpicarentur; aſt, præter vul-
„ gi opinionem, exeunte ſecundo ætatis ſuæ menſe, obiit,
„ ſicque ſuo iterum exemplo confirmavit, quod partus

„ mon-

„ monſtroſi raro ſint longævi. Promiſerunt quidem parentes a me rogati, futurum ejusdem obitum ſe mihi nunciaturos, atque permiſſuros eſſe, ut ſectione anatomica internam viſcerum conſtitutionem explorarem; aſt aliorum perſuaſionibus dein ſeducti, defunctum, corpus ſtatim ſepulturæ dederunt.

„ Ceterum debito & ordinario tempore puella hæc ex utero materno egreſſa fuit; parentes erant honeſti, pii & bonæ famæ; maritus cum duobus uxoribus ſucceſſive 15. procreaverat liberos; mater etiam aliquot jam antea pepérit infantes, ex omni parte perfectos. Quod vero ultimus hic fœtus, citra naturæ ordinem adeo monſtroſus formatus fuerit, id mater unice terrori vehementiori, ex conſpecta quadam pictura, ſimilem truncum humanum repræſentante, ingravidationis tempore ſtatim oborto, adſcripſit, quem etiam, unacum imaginatione fortiori, prout ex innumeris aliis ejusdem commatis exemplis liquet, pro palmaria monſtroſæ hujus deformationis cauſa agnoſcimus.

(*A. E.* BUCHNERUS.)

OBSERVATIO XLVIII.

Dn. D. JOANN. CAROLI ACOLUTHI.

Inſignis deformitas digitorum in manibus puellæ, ex terrore matris gravidæ.

Imaginationem matris, etiam in ſtatu ſatis tranquillo verſantis, mirum quantum nocere poſſe fœtui, obſervationes medico-phyſicæ pluribus jam comprobant exemplis. Graviorem autem a terrore, quo gravidæ percutiuntur, embryoni noxam induci, ſi hunc inprimis imaginatio meticu-

loſa exceperit, neminem fere latet. Hiſtoria imaginationis ejusmodi corruptæ & noxiæ complures deſcriptas deprehendimus in *Annal. phyſ. med. Wratislaviens. Tent. XVII. p. 88. ſqq. & Actis Phys. med. Acad. N. C. Vol. IV. obſ. 98. p. 381.* Noxarum autem ſpecialiorum, a terrore inductarum, exempla varia occurrunt in modo allegatis *Annal. phyſ. med. Wratisl. Tentam. VI.* p. *1748. Celeb.* BUCHNERI *noſtri Miſcellaneis. Phyſ. Med. Mathem. ann. 1727. pag. 72. & ann. 1728. pag. 1211. itemque in actis phyſ. med. Acad. N. C. Vol. I. obſ. 3. pag. 5.* Simile exemplum hac vice ſiſtimus in fœmina, Bernſtadii, quod oppidum ad ſecundum a Zittavia lapidem ſitum eſt, adhuc vivente, quæ ex marito tertia vice ante tres circiter annos uterum gerens, mendico cuidam, olim militi, panis porrectura portionem, ſubito terrore concutitur, illius manum mutilatam adſpiciens. Juſto dein tempore circa feſtum Michaëlis ann. 1734. filiam partu edidit, cujus manus ambæ tali modo deformatæ fuerunt, qualem icon adjecta *Tab. IV. Fig. 4. et 5.* monſtrat, in mutilatis digitis, *a. a.* loco unguium, monticuli minores carnei adparebant, reliqui autem digiti *b. b. b. b. b.* legitimam conformationem, magnitudinem & figuram nacti erant. Vivit adhuc filia ſana, niſi quod de gravitate corporis ſui mox conqueratur, quando ſtare, vel ambulare debet. Res autem omnes, quibus opus habet, bene adprehendere & firmiter tenere mutilis ſuis poteſt manibus. Mater ipſius quarta vice pariens, nuperrime elapſo autumno, iterum filium, ab omni parte ſanum & perfectum, in lucem edidit.

(Zittavia Erfordiam miſſa
d. 29. Maji. 1737.)

OB-

OBSERVATIO XLIX.

Dn. D. OTTON. PHIL. VIRDUNG ab HARTUNG.

De

Abdominis, Scroti, pedumque tumore immenſo, in puero, ex retropulſa ſcabie orto, ſectione autem & medicamentis curato.

Anno 1735. menſe Auguſto ad puerum octo annorum vocabar, qui tumore inſigni abdominis, ſcroti & pedum graviter laborabat, maximosque, ob nimiam ſcroti extenſionem, (referebat enim id magnitudine caput infantis) patiebatur dolores. Balneator quidam pro diſſipando hoc tumore varios externos fotus adhibuit, ſed fruſtra, paupertas etiam ſumma denegavit ulterius auxilium, unde certe periiſſet, niſi Illuſtriſſima quædam matrona, miſericordia erga pauperrimum hunc ægrotum commota, omnia remedia ſumptibus ſuis procuraſſet, meque, ut eidem auxiliatrices porrigerem manus, rogaſſet. Accedens ergo abdomen tympani inſtar extenſum, ſcrotum ex utraque parte aqua pellucida refertum, pedes inſigniter tumefactos, ægrumque ſumme debilem deprehendi, & idcirco primo Mixturam ex Aqu Ononid. Petroſel. flor. Acaciæ, Psyſog. diuret. e nucl. Oc. cancr. citrat. lap. Percar. Tart. vitriolat. Sale Ononid. ſtipit. fabar. Syr. Acac. de Spin. Cervin. præſcripſi, ſingulisque bihoriis duo cochlearia dari juſſi, ſubjuncto ſimul Electuario, ex pulp. Tamarind. Roob Ebul. Junip. Samb. Electuar. cathol. & Tamarindor. c. fol. Senn. Rad. Jalapp. Tart ſolub pulv. fol. Sennæ, Rhabarb. & Syr. de Spin. Cerv. parato, ex quorum per dies aliquot continuato

nuato uſu, tumor abdominis & pedum evanuit, remanente tantum magisque increſcente tumore ſcroti, quem tandem, cum externis fomentationibus ſpirituoſis cedere recuſaret, mediante phlebotomo aperui, unde, aquæ viſcoſæ tres circiter unciæ guttatim, ſcrotum ſemper leniſſime comprimendo, exſtillarunt, doloresque antea vehementiſſimi paululum mitigati fuerunt. Altero vero die tumor iterum auctus, totumque ſcrotum inflammatum erat; quare vulneri Unguentum e digeſtiv. Chirurg. fuſco Fel. Würzii & bals. peruvian. adplicavi, toti autem ſcroto Emplaſtrum defenſivum rubr. impoſui, ſicque obtinui, ut non ſolum ſucceſſive omnis aqua effflueret, ſed & totum ſcrotum corruptum, facta ſpontanea ſeparatione, partim lavando bis per diem Decocto ſaturatiori, e Rad. Valerian. Scrophular. & Vincetox. cum aqua ſimplici parato, partim forfice abſcindendo, ſalvo tamen utroque teſticulo, ſucceſſive ablatum fuit, ſuccreſcente dein nova tunica, omnique tandem tumore abdominis, ſcroti & pedum (cujus intuitu ab aliis pro deplorato jamjam habitus fuit, quemque a ſcabie, per Unguentum mercuriale ſulphuralum retropulſa, ſtatim obortum fuiſſe, parentes nunciabant,) intra ſex ſeptimanarum ſpatium feliciter evaneſcente.

OBSERVATIO L.

Dn. D. OTTON. PHILIP. VIRDUNG ab HARDUNG.

Mira Naturæ ἐνέργεια in debellandis morbis.

Veredarius quidam, 28. annorum, temperamenti, cholerico-ſanguinei, cum diebus canicularibus Anni 1736. tempeſtate ſumme fervida, inter labores meſſorios, ira graviſſima excandeſceret, brevique poſt Lactucæ,

cæ, cum aceto & Ol. Olivar. conditæ, magnam copiam devoraret, totamque fere menſuram cereviſiæ frigidiſſimæ, quæ tunc temporis in cellis petroſis adſervatur, uno quaſi hauſtu inſuper ingurgitaret, domum rediens torminoſam ſtatim expertus eſt diarrhœam, per aliquot non ſolum dies continuantem, ſed & eo usque invaleſcentem, ut auxilium a me petere coactus fuerit. Porrigo proinde ipſi potiunculam, e theriacalibus, carminativis & tonicis paratam, de qua vero, cum ſtatim rheda Dominum ſuum, magnos inter cruciatus & anxietates, extra urbem vehere cogeretur, media demum nocte, poſt reditum, cochlearia duo adſumere potuit, totusque perturbatus lectum dein petiit, & noctem, parum & anxie dormiens, transegit. Hora ſexta matutina ſurgit, pabulum equis præbiturus, ſed quaſi delirus, hypocauſtum intrat, & ceſſantibus omnibus tam externis, quam internis ſenſibus, ſubito in lectum procumbit. Statim ergo vocatus, ſenſus quidem externos interim quadantenus reſtitutos; de reliquo autem ægrum omni ratione adhuc deſtitutum, prorſus aphonum & difficillime reſpirantem, deprehendo, eaque propter, & ſimul ob ſtatum eminenter plethoricum venam in brachio ſecari, naribus autem ſpiritus volatiles nervinos & cephalicos admoveri jubeo, hisque nihil proficientibus ad veſicatoriorum uſum confugio, unum horum nuchæ, alterum vero ſuræ dextræ imponi curo, quæ etiam tantum attulerunt levaminis, ut æger, facta apertione veſicularum inde excitatarum, plus quam centies duo hæc verba, *Stock Stein*, elata voce exclamaverit, neminem vero adſtantium cognoverit, immo licet, elapſo quatuor horarum ſpatio, vehementiſſimum ſupervenerit delirium, per plureshoras continuans, tandem tamen in profundum ſomnum, ſex circiter horas durantem, prolapſus fuerit, ab eoque evigilans, cibum potumque poſtulaverit, medicamenta præſcripta adſumſe-

rit, redeuntibus inſimul, cum ratione, reliquis internis ſenſibus, priſtinisque torminibus penitus evaneſcentibus. Vix autem de inopinata hac reſtitutione lætitiam ſuam ægro ſignificaverant adſtantes, cum ſubito totam externam corporis peripheriam, ne ipſo quidam oculorum albugine excepto fœdo flaveſcente colore perfundi animadverterent, excrementis alvinis dein magis albicantibus redditis urina vero quaſi Croco ſaturate tincta prodeunte, ipſo autem ægro ſub his omnibus de nullo extraordinario ſymptomate conquerente. Cum ergo facile exinde adpareret, ſaluberrimam hanc eſſe criſin, ideo ſaltem pulverem rhabarbarinum, potiunculam abſtergentem & leniter diureticam, pilulas ex extractis amaris & lenioribus laxantibus paratas, itemque ſpecies pro infuſo theeformi, ex ſimilibus abſtergentibus concinnatas exhibui, ſicque intra duodecim dies cum priſtino naturali colore integra ſimul feliciter redibat ſanitas.

(Bamberga Erfordiam miſſæ
d. 5. Jun. 1737.)

OBSERVATIO LI.

Dn. D. DANIELIS HOFFMANNI.

Tumor flatulentus ſubitaneus, a cauſa externa violenta.

Juvenis ruſticus, annorum octodecim, ante annum & quod excurrit, cum inter arandum refractarius equus, neſcio a qua re abhorrens, regimen frenumque excutiens fuga elaberetur, ſub turbis illis impetuque vehementer ab equo fugiente, cui retinendo impares erant ejus vires, in terram proſternitur, totaque aratri moles incutitur dextro tho-

thoracis lateri, & corpus adeo graviter comprimit ac quaſſat, ut tertia ejus lateris coſta diffringeretur. Uti vero id genus hominum robuſtum vividumque eſt, ſurgit mox proſtatus juvenis, ut coërceret equum rebellem, ſed deficientibus mox viribus denuo concidit, ac lipothymia gravi corripitur; cum ad ſe rediiſſet juvenis tam male habitus, difficulter ſermonem proferebat, ſonumque loquendo edidit ſingularem, clangoſum, aſperum, totum corpus mox cœpit intumeſcere, illudque obtuſo ſenſu totum ipſi videbatur obdormiviſſe, vulgata loquendi formula, der gantze Leib ſchlaffe ihm, totumque, ubicunque tangebatur, ſtrepitum, ac ſi pergamena loco cutis obtegeretur, edebat: Chirurgus ægrum poſt tres a lapſu horas viſitans, cum ſtrepitu ac aſperitate ſupra dicta loquentem offendit, & ſecturus venam, brachium ita tumidum deprehendit, ut difficillime venæ ſitum ac veſtigium invenire poſſet; ſecta tamen illa, flatus cum ſibilo multus & ſanguis quoque eum in modum protruſus exſiliit, ut non filo flueret, quod ordinario contigit, haud interrupto, ſed in globulos majores & minores disjiceretur ac diſpergeretur. Cum inſpirabat aërem, in effractæ coſtæ regione protuberabat tumor magnitudine ovi gallinacei, qui ſub altero reſpirationis actu, exſpiratione ſcilicet retrocedebat, cohibitus poſtea ipſa partis læſæ debita obligatione: Circa cordis ſcrobiculum dolor urgebat lancinans, donec grumum ſanguinis vomitu rejiceret. Dyſpnoea haud mediocris aderat, quæ vero, ſputo cruento aliquoties largiter ſuccedente, brevi ceſſavit. Interea corporis tumor ingenti inflatione increverat; ſcrotum in ſtupendam diſtendebatur molem, uti ſolet illa pars capax eſſe ingentis vel ab aqua, vel ab aëre expanſionis, pro caſuum varietate, quæ vero extimo lanceolæ apice a Chirurgo adacto, illico aliquantum concidit, flatibus cum diurno ſibilo frigidis expulſis. Suppoſitoria ac cly-

ſteres emollientes, carminativi, paucos educebant flatus; pulſus erat citatus, ſitis tamen haud nimis intenſa, cephalalgia inſignis, ſomnus nullus, proſtratus adpetitus, aliud, niſi juscula, ciborum genus non admittebat. Medicamentis dehinc febri, metuendæque internæ inflammationi ivimus obviam, temperantibus, reſolventibus, diſcutientibus, traumaticis, tam internis, ſcilicet ex pulv. Pannon. pulv. ad Caſ. Antimon. diaph Oc. canc. ppt. Spec. diair. ſ. Sperm. Cet c. aqua viſceral. Dn. D. Mauch. Chærefol. Scabios. Card. ben. & decocto vulnerario, ex Veron. Virg. aur. Sanic. Arnic. Charefol. &c. cum bals. traumat. Dippel. Secta dehinc in altero quoque brachio vena, ex ea quoque non ſine ſibilo expulſus eſt cum ſanguine aër. Cum per inflata brachia aliena manus fortius duceretur, eaque fricando durius tractarentur, collectæ quaſi incluſaque aëris ſphæræ, rotundos globosque referentes tumores, hinc inde moveri & agitari ſentiebantur, donec obortus prope cubiti flexuram major, diuturno ſibilo ibi excitato reſtante, brachii alterius inflationem ſolveret, eumque ad priſtinam molem reduceret. Thoracis pars collumque vicinum æquabili tumore inflata conſpiciebantur, adacta hinc tantillum lanceolæ tenerioris cuſpide a chirurgo curioſo, maxima incluſi aeris pars, per exilem hanc portam, elabendi occaſionem nacta eſt: Cumque ſequentibus diebus denuo intumuiſſet ſcrotum novæ minutiſſimæque puncturæ a chirurgo, Medico non jubente, huic quoque aëri & tumori patulam viam præbere, ſcroto iterum detumeſcente. Senſim ita ſenſimque, intra paucos ſeptimanas, ex uſu paucorum remediorum, tam internorum, quam externorum, in gratiam cum ſanitate rediit adoleſcens.

Scholion.

Tumorem corporis tantum ac tam repente emergentem merito miramur, utpote ab externa violentia & compreſſione procul dubio ortum. Factitius, qui in recipiente exhauſto ſeſe extricat aër, a corporum textura ſine conquaſſatione, ſuo elatere ſe evolvit, ſe ipſum liberat, & ambientis aëris preſſione remota ſublatoque proin æquilibrio, ex poris corporum, a quibus detinebatur particularum compedibus, ſeſe cum impetu proripit, quamquam facilius explicare ſpirulas ſuas queat, ſi laxatis vario modo corpusculorum repagulis porta ipſi pandatur, vel ſi ex interſtitiis partium fluidarum, nec cohærentium facile, exſurgere, ſpumamque formare, bullulis & copioſioribus & promptioribus in ſuperficiem liquoris enitentibus, queat: In juvene vero noſtro ruſtico ambientis aëris preſſio non ceſſavit, utpote qui pleno pondere ac elatere læſo corpori incubuit, quomodo igitur liberatæ ſunt ſpirulæ aëreæ, quæ in ſuccis corporis illius latebant? Externa violentia turbas ingentes in humoribus paſſim ſtaſin patientibus excitavit, ſub turbis illis ac turgeſcentia quaſi fermentatoria (quam ſemper bullularum innumerarum geneſis, hoc eſt, aër factitius copioſus comitari ſolet) aër æqualiter antea humoribus qua ſua minima permixtus mediantibus gelatinoſis ſanguinis particulis in bullas ſeſe formavit expanditque, quarum plures coeuntes bullas majores, aërem, propriam jam formantem ſphæram maſſamque, efformarunt, quæ aëris maſſa, ad circulandum inepta facta eſt, nec capillaria vaſa facile ſubire potuit, ſibi potius oſculorum compreſſione, inſtar valvularum viam occluſit, ac hæſit proin in ambitu corporis, quo ſemel propulſa eſt; Tanta vero corporis quaſſatio, mole aratri facta, preſſioque tam inſignis, quæ valeat effringere coſtam, ad turbas ſanguini inducendas aptam ſa-

tis eſſe, vel ideo nemo negaverit, quod preſſio partium enormis terribilisque fibrarum tenſio ſubitaneam inducat in quibusdam locis humorum ſtaſin, quæ turbationis ac inæqualis circuli ſanguinis prodromus ac cauſa communiter fit; quales vero ac quanti morbi ab inæqualitate ſanguinis circuitus proveniat Cel. *Frid. HOFFMANNUS in Med. Syſtem. Lib. I. Cap. IV.* pluribus expreſſit; ſtaſi igitur facta viisque paſſim ruptis, uti ex vomitu & ſputo cruento palam eſt; partim preſſis, partim conſtrictis, humores mox in craſi ſua ac textura qua minima turbantur, partes a ſe invicem ſecedunt, elaſticæ ſe in libertatem vindicant, immo ex conſortio reliquarum violenta tali conquaſſatione quaſi extruduntur ac ejiciuntur: Quo major vero violentia fuit pondusque aratri, eo major etiam humorum & ſanguinis ſtaſis, eo celerior per conſequens humorum turbatio aërisque ac halituum liberatio debuit ac potuit contingere; id vero magis admiratione dignum eſt, quod proſtratus læſusque graviter juvenis potuerit mox de terra reſurgere, ac de retinendis coërcendisque equis cogitare: Notum vero eſt, quantum roboris vis terroris ac animi impetus ſubminiſtret etiam vulneratis, vel alia ratione læſis, ſed non niſi ad parvum temporis ſpatium, donec facto illo conatu, ſæpius ultimo, ſubito concidant ac fatiſcant, quod & hic factum adnotavimus: Subitaneum enim hunc conatum mox lipothymia excepit, eo gravior, quo penitus læſum concuſſumque fuerat cor cum omni thoracis ambitu, quoque major erat humorum commotio, ſtaſis ac turbatio; venam vero ſecandam difficulter reperit chirurgus, cum ſuffusus intertextusque cuti & cuticulæ copioſior aër æque conſpectum ac tactum ejus oculis & digitis ſubduceret, ac ſolet alias etiam pinguedo nimia; neceſſariam tamen eſſe V. Snem duxit Medicus, tam propter æſtum & orgasmum ſanguinis & metuendum inflammationem, quam etiam propter vo-

mitum

mitum ſputumque cruentum, habitu ægri plethorico non contradicente, contrarium licet ſuadente *ZACVTO Luſit. in Pr. admir. lib. 3. Obſ. 55.* ubi ſanguinis miſſionem, vena flatu turgente, lethalem dicit.

Memorabile autem phænomenon ſanguis exſiliens exhibuit, cum in globulos, milii ſemina mole æquantes & ſuperantes, disjiceretur & diſpergeretur, eum fere in modum quo fuſa metalla per ſcopas æque infuſa, vel in vaſe agitata, in minutiſſima rediguntur ac dividuntur granula; manifeſto quidem indicio, aërem non ſub cute modo collectum, ſed & in ipſis vaſis tumultuari atque extra limites vagari, dum in bullas globuloſve conquaſſatum, & in mixtura ſua adeo turbatum cogeret ſanguinem, eumque aperto venæ latere, per rimulam impetuoſe propelleret quaquaverſum, unde & ſub flatus fortioris ſpecie & manifeſto cum ſibilo ex vena mox prodiit, uti ſolet excitare ſonum per anguſtos tranſiens meatus, variantem juxta orificii figuram ac moderamen inde enatum: Ac non poſſum non mirari, ſi ad iſtam aëris in vena abundantiam modumque egrediendi impetuoſum ac plane ſingularem, quem adſtans obſervavi, attendam, tam cito lipothymiam ceſſaſſe, (brevem autem illam fuiſſe adſtantes teſtati ſunt, nec ejus cum recurſum adnotatum, cum vena ſecaretur, cum ſane tanta copia aëris in vena videatur adfuiſſe, quæ per eam verſus cor dirigi, & ſic tendendo illud lipothymiæ novæ graviorumque ſymptomatum cauſa fieri potuerit, niſi dicere velis, aërem hunc in ramis magis exterioribus hæſiſſe, & ſic data per V. Snem porta exceſſiſſe. Et hæ ipſæ bullulæ ubivis, in brachio maxime, tum cutis ſtratis confertim obviæ, ita etiam elevabant cuticulam, ut illam fricando non poſſet non ſtridor ille, pergamenæ æmulans ſonum, excitari, qualem etiam alias in præparationibus anatomicis partes membranaceæ exhibere ſolent.

Cete-

Ceterum omnino etiam externæ potiſſimum violentiæ ac quaſſationi adſcribendum erit, quod in hoc juvene cuticula, alias non ita facile ſeparabilis, & quæ a cantharidibus non ſine conatu ac dolore elevatur, tam facile aëri tali ac halitibus ceſſerit, ut hunc ſonum ſub frictione ederet: Non potuit autem non, ſub iſto ſtatu obtuſo, ſenſu prædita eſſe corporis ſuperficies, cum nervorum ſurculi a violentia illa undiquaque preſſi fuerint, ac profundius etiam ſub elevata illa cuticula latitaverint. Notum autem eſt, preſſionem ſæpe ſatis levem nervorum, & ab illa pendentem impeditum ſpirituum animalium influxum, excipere facile ſenſum partium obtuſum, quem noſtrates per *ſomnum partis* exprimere ſolent. Nec aliunde vox clangoſa quaſi, ac peculiaris ille organorum illam formantium obſervatus ſtridor, ortum habuit, cum præprimis partes illæ, hisce functionibus deſtinatæ, preſſæ quaſſatæque fuerint vehementius, ac proin aëre tali in interſtitiis non potuerint non turgere, qui inæqualiter partes inflando, non poterat non inæqualem reddere ſuperficiem, ac conſequenter ſoni ipſius moderamen, unde vocis depravatio; ad ſuavitatem autem vocis requiri organorum illorum ſuperficiem glabram, æqualem ac lubricam, vel ſolum juxta §. *632. Inſtit. Medic. Cel. BOERHAVE* certum eſt.

Dyspnoeæ præſentiam adeo nemo mirabitur, ut potius ſingulare curioſis videri queat, eam non graviorem longe ac intolerabiliorem fuiſſe, thorace adeo graviter læſo, ac ſanguine in ſpumescentiam illam turbasque acto, unde per pulmones circulatio omnino reddi debuit difficillima ac tardiſſima; eo magis, quo notorium eſt, dyspnœam frequentius a flatibus ac halitibus, in inteſtinis hærentibus ac per ventriculum œſophagumque adſcendentibus, illas partes diſtendentibus, ſicque pectus coanguſtantibus, excitari, ſæpius per eorum eruptionem ac diſſipationem ſolvendam; ut & dari

ſynco-

ſyncopen & aſthma flatulentum, immo & pleuritidem flatulentam ſpuriam; unde etiam Cel. SYLVIUS cauſam dyspnœæ atque orthopnœæ occultam in flatibus halitibusque quærit, ac eosdem in hypochondriaca ſtrangulatione ſimilibusque morbis omnem ſæpe paginam abſolvere, illos agnoſcere vult, qui attente omnia ægris obvenientia examinaverint, expenderintque ſymptomata. Ac teſtatur maxime de gravi reſpiratoriæ functionis læſione tumor ille inſignis, quem quævis inſpiratio in fractæ coſtæ loco protrufit, mox iterum inter exſpirandum ſubſidens: Inflati enim cum conatu pulmones, coſta non amplius reſiſtente, integumenta extrorſum urgebant, redeuntia in priſtinum, aëre ex pulmonibus in exſpiratione iterum extruſo, ipſisque ad minus volumen redeuntibus. Grumoſum vero ſanguinem ex bronchiis derivamus, collectum in iis ex ruptis, ſub tanto impetu ac quaſſatione thoracis, pulmonum quibusdam vaſculis, ſiquidem etiam ſanguinis vel deglutiti, (ex naribus enim ſanguis etiam ſtillabat,) vel pariter extravaſati, moles, ventriculum adgravans, cardialgiam in iſta nervorum vicinia & frequentia facile poterat excitare, ipſa grumi ejectione ſolvendam, qui etiam, cum compreſſione ventriculi violenta, cauſa procul dubio fuit proſtrati adpetitus, eo certius, quo ad illius proſtrationem febris illa, *vulneraria* dicenda, a turbis illis in ſanguine deducenda, haud parum contribuit.

Suppoſitoria vero ac clyſteres cur aërem & flatus non eduxerunt copioſos? qui tamen naturaliter inteſtinis inhabitant, etiam in ſanis, quos vero non lædunt; non minus enim naturales ſunt flatus eo ſenſu, quo ipſa excrementa naturalia dicuntur, immo proſunt potius, absque flatibus enim inteſtina ſubſiderent, & ſubſidentibus iisdem, excrementa difficilius transmearent, ac ipſum chylum non debita facilitate transmitterent. Non in inteſtinis craſſis, ſed in alia plane corporis regione aër ille ac flatus ſtagnabant, & ver-

ſus peripheriam corporis protruſi erant, modo quidem ſatis extraordinario, motu tamen critico & ſalutari. Unde vero immanis ille ſcroti tumor, capitis æquans magnitudinem? cum ea in parte factam eſſe quaſſationem, aut violentiam, non conſtet. Verum in confuſo illo lapſu, corporisque ſub aratro compreſſione ac volutatione confuſa, quis determinare auſit, quænam præciſe partes concuſſæ gravius, adflictæque fuerint, quin & ſufficiebant univerſalis humorum, cum partibus ſolidis tam graviter quaſſatorum atque agitatorum, confuſio ac ſpumeſcentia, ad aërem his quoque in partibus a compedibus gelatinoſarum ſanguinis partium liberandum, cujus ſpirulæ propriam jam quaſi formabant ſphæram, cujus robur ab accedente febrili calore in immenſum fere augebatur, ac accedentibus, ex humoribus ſtagnantibus ac quaſi fermentantibus, halitibus pariter elaſticis, validiſſima ſcroti integumenta inflatione diſtendebant, cum per membranarum involucrorumque poros anguſtiores penetrare elabique facile ac celeriter non poſſent, ſed firmiter potius iſtas intra anguſtias coërcerentur, donec ſcalpello parata via in apertum aërem explodebantur, idque cum ſibilo, ob exilem foraminuli, aërem in ſonum modificantis, rimulam, & cum frigore quidem egredientis aeris ſenſu percipiendo, cujus & ipſa orificii anguſtia, & violenta protruſio proruentis celeriter aeris cauſa fuit, eum plane in modum, quo ex ore aperto halitus cum calore in admotam manum elabitur, cum eidem frigus adſpiret manifeſtum, ſi compreſſis arctius labiis celeriter ac cum impetu rectaque linea protrudatur: Ac debuere omnino collabi, expulſo tum aere ac halitibus elaſticis, tum reſtituente ſe, poſt violentam adeo diſtenſionem, robore fibrarum ſcroti, debebant inquam collabi mox latera æolipilæ hujus viventis, ſcrotumque ad priſtinos redire terminos, donec coaleſcente citius rimula, novus tum aliunde huc truderetur

tur aer factitius, cum ex ipſis forſan in ſcroti cavitate, ſtagnantibus humorum reliquiis adſurgeret ac prodiret, qui novam diſtenſionem promptiſſime efficiebat, donec denuo educti halitus novaque apertione dimiſſi, prætumidam antea hanc partem in integrum reſtituerent.

Quid vero dicemus de formatis illis aeris factitii portionibus globoſis, quæ fricando ac palpando ſub cute brachii deprehendebantur, ac de loco in alium moveri poterant? Non alia hic a prioribus ratiocinia ſuppetunt, nec aliis opus eſt: Neminem latet, fermentescentia liquida in bullas intumeſcere, agitatos fortius liquores in ſpumam agi, & eos quidem, qui tenaciori gaudeant textura, largiori quoque ſpuma atque altiori elevari, exemplo albuminis eorum, quod adſidua quaſſatione in ſpumam, ſeu efformatas cum aere ex proprii humoris glutine bullas, totum abit, indeque penitus albescit. Verum & illud notum perſpectumque eſt, ceſſante agitatione, bullas, quarum quælibet antea ſeorſim ſubſiſtebat, coire, rumpi, majoresque formare bullas, multum aeris iterum dimittere, ac in liquorem tandem priſtinum, aere ſe penitus extricante, redire, bullis carentem. Sanguis igitur quaſſatus & effervescens in ſpumam actus eſt, ac aer ille factitius ſecedens non potuit æqualiter ubique elevare cuticulam, ſtrataque cutis ſimiliter diſtendere & quia elabi omnino non poterat, coercitus membranarum ſpiſſitudine, ſub cute iſtos formavit globos, huc illucque propellendos. Major vero pars circa cubitum in ampliori hæſit ſpatio, donec cum ſubito per rimulam inveniret exitum; maxima tandem pars hæſit circum quaſſata præcordia, ibi enim maximæ obortæ fuerunt turbæ, unde, cum tanta aeris ibi collecta moles portam haud reperiret, aperta prope claviculam tantilla via, plurima ejus portio per eam promptiſſime elapſa eſt. Sedata itaque remediis convenientibus, ſupra jam deſcriptis, febri, ſanguine intra

cancellos ſuos juſtum in ordinem ac ſedatiorem redacto motum, calloque circa coſtam diffractam enato, feliciter convaluit juvenis; ſcilicet haud adeo gravia paſſum erat caput, & ſub terribili violentia feliciter tamen adhucdum ceciderunt corporis periculoſæ quaſſationes.

OBSERVATIO LII.

Dn. D. DANIELIS HOFFMANNI.

Tumor ſcroti enormis & ſubitaneus, a frigore externo.

Monachus Cappucinus intenſo hiemali frigore iter longinquum inſtituens, perque nives, ad genua fere adſurgentes, non ſine labore inſigni, laſſato incedens corpore, cum tandem deſideratum, cui deſtinatus erat, clauſtrum attigiſſet, non pedes modo a frigore male adfectos ſenſit, ſed potiſſimum ſcroti formidandus eum perterruit tumor, qui durus tympanique inſtar fortiſſime tenſus, dolores iſta tenſione ſimul excitabat ingentes, & inflammationem minabatur, immo rupturam tegumentorum tanta vi diſtentorum. Quinque dierum intervallo, tumore medicamentis, a chirurgo adhibitis, non cedente, vocatur Medicus, qui accedens ſubitam tumoris geneſin miratus eſt, ac ſtatim inferendas ſacculo ita dictas ſpecies diſcutientes, ſeu herbas & flores, nimirum Chamom. Sambuc. Melilot. Salv. Hyperic. Origan. Herb. Rut. Majoran. Sem. Anis. Cumin. contuſa, ac calidos fotus, itemque inungendos circa regionem tumidam ſpiritus, ſcilicet Spir. vini camphorat. Lil. convall. Aqu. Anhalt. &c. præſcripſit; interno, qui jam exardeſcebat, calori febrili, maſſæque ſanguinis turbationi occurrit temperantibus, nitroſis, antifebrilibus, animumque

ægro-

ægrotantis, extrema quæque ac horrida ſibi inſta e metuentis, juſſit, quantum liceat, erigere, unde brevi factum eſt, ut diſcuſſo aëre detumeſceret ſcrotum, ac intra priſtinos limites coërceretur.

Scholion.

Quantum calori competat virium, in excitando fortiorique elatere inſtruendo aëre factitio, per experientiam abunde jam conſtat; at non eadem facilitate a frigoris hiberni exceſſu ſimilis effectus deduci poteſt, re ipſa tamen Cappucinus hic Monachus eadem, qua ſcroti tumorem, fata juvene priori expertus eſt, ut ut ambulaverit in aura frigidiſſima, nec externa alia acceſſerit violentia. Quamnam igitur mali originem licebit adlegare? Duo tunc concurrunt ad effectum tam extraordinarium præcipua, ut ut contraria quaſi principia, frigus & calor; Frigoris actionem, cohibita tranſpiratione inſenſibili, male munito præſertim corpore, humorum incraſſatione, tardiore ſanguinis & ad ſtaſin inclinante circulatione, ſe h c in caſu exſeruiſſe, nemo ibit inficias, præſertim ſi conſideret effectus frigoris in partibus externis varios, de quibus vid. b. D D. *El.* CAMERARII *Diſſ. de Analogia Machinæ hum. cum Therm. Barom. & Hygrom.* ut & Cel. LANGII *Diſſ. de Homine Aërometro.* Calorem hinc intra ambitum corporis is facile agnoſcet, qui motum in profunda nive laborioſum cum multo conatu, humoresque hinc valide agitatos, tranſpirationem tamen ſimul, ob poros ab inclementi illa aura conſtrictos, cohibitam conſideraverit, ita enim ſpumeſcens quaſi ſanguis, halitusque & factitium aërem de ſe dimiſſurus, ab eo plene liberari, cohibente frigore externo, non potuit, in debilem igitur læſamque a frigore partem, ſcrotum ſcilicet, vim illam protruſit, accedente etiam fibrarum laceſſitarum ſtri-

 ctura

ctura. Quorſum vero hi ſe proripuerunt flatus? Cum nullam hic lanceola indulſerit viam, ſed fotu calido & diſcutientibus externis & internis remediis diſſipatum fuerit, quidquid tam ſubito enatum elatumque fuerit flatulenti tumoris: Incidit adeo hic quæſtio: An inter *aërem factitium, flatus halitusque* differentia ſit? Notum enim eſt, aquam, ut ut, experientia teſte, ne tantillum quidem validæ cedat preſſioni, nec comprimi poſſit, in halitum tamen reſolutam ſumme elaſticam eſſe, ac diſtendere partes. Dubites hinc merito, an inter aërem & talem halitum ac flatus diſcrimen aliquod alicujus momenti intercedat, ſiquidem in elaſtica indole vix ullum agnoſces; hinc etiam halitus deſcribuntur quod ſint aër, non quidem ſimplex ac purus, ſui juris tamen & rarefactus, ſe expandens & dilatans, vid. *Phyſographia b. D. D. Eliæ Rud.* CAMERARII *p. 4. §. 3.* quamquam negari non poſſit, Cel. GLISSONIUM *in Tr. de ventriculo & inteſtinis*, flatum in genere deſcribere, quod ſit halitus in corpore excitatus atque ita obfirmatus, ut nec facile iterum condenſari, nec per partes, in quibus concluditur, perſpirare queat, eo enim partes inflari, quod nec coërceri, nec permanere poſſit: Duobus itaque ſimplicem halitum & flatum diſcrepare ſtatuit, nimirum, quod hic tum ad coagulationem, tum ad permeationem plane ſit ineptus, ille ad neutram; hinc etiam eſt, quod HELMONTIUS ſtatuat, vapores quidem, ut & exhalationes ordinarias facile poſſe condenſari, ſive in aquas, ſive in olea, ſive in aquam ardentem, ſed ſuum inventum *Gas*, per quod intelligit flatus, volatilitatem pertinaciter adfectare, omnemque coagulationem ſpernere; ratio hujus, quam reddit, eſt, quod vapor ſit tantum aqua rarefacta, & conſequenter in aquam facile recidat, verum *Gas* inſuper extravertere ſuum ſulphur, & intra ejus mercurium & ſalem glaciari; eodem plane modo Cel. ETTMULLERUS *in Pathol. Inſtit. Med. thes. 32.* ſtatuit,

tuit, flatus neque ad vapores, neque ad exhalationes referri poſſe, & hinc merito ad tertiam claſſem hujusmodi entium, five ad *Gas ſylveſtria*, five ad ſpiritus coercibiles revocari, & in *Diſs. de dolor. hypochondriac. §. 3.* expreſſis verbis dicit, flatus eſſe novum quoddam ens ſpirituoſum, ſpiritus ſcilicet ſylveſtres incoercibiles & non coagulabiles, qui neque ſint præciſe ſalinæ, neque ſulphuræ naturæ, ſed ex utriusque actione aliquod emanans tertium; & Cel. SYLVIUS horum differentiam in eo quærit, partim, quod flatus propter materiæ ſuæ viſciditatem adhæreant magis ventriculo & difficilius excludantur, halitus vero & vapores facilius erumpant ex ventriculo, partim, quod flatus erumpant in eructatione, halitus vero in oſcitatione & hypochondriaca & hyſterica ſuffocatione. Id tamen æque certum videtur, aërem condenſatione in aquam, ſeu liquidum palpabile, coagulari, quod ſtatim halitui accidit.

An igitur dicemus, factitium aërem, qui non purus ac ſimplex concipiendus, cum in ſinu ſuo foveat variæ indolis partes innumeras, quæ ipſius elaterem ac preſſionem varie alterant, ſi non facilius per poros partium exhalet, quam aër, facilius tamen diſcuti, diſſipari, tumoremque, quem efficit, ſubſidere quam qui aëre ſolo conſtat, utpote qui non ita facile dimittitur per poros & integumenta, exemplo veſicæ inflatæ, cum halitus iterum denſari in guttas & ad priores redigi anguſtias queant, utut non exhalent, aut foras ejiciantur; hinc idem SYLVIUS diſcuſſionem flatuum ac halituum ſibi ita concepit, quatenus nimirum ipſorum materia tenax inciditur & rumpitur, unde ſubſideat materia pituitoſa, hoc modo diſtracta ac diſtenta, concidatque ac coëat in exiguum ſpatium, modo haud plane diverſo illi, quo pueri ſolcant ex ſapone, aqua ſoluto, per ſtraminis tubulum excitare bullas, quæ ulteriore rarefactione tandem ſponte rumpantur, liquore illo iterum ſubſiden-

ſidente; quamquam haud dubitem adſerere, poſſe tales & halitus, & factitium aërem, tumorem alicubi efformantem urgente calore, diſcutientibus adhibitis, accedente fibrarum, jam ad priſtini toni vigorem redeuntium, ſtrictura, retro urgeri pellique nova, reſorptionis ſpecie, per oſcula venarum in ſanguinem, illique iterum immixtum qua minima, partem antea tumidam deſerere, id quod in infantilis quoque ſcroti tumore flatulento evenire ſæpius haud dubito: Interna enim æque ac externa diſcutientia tenuium ſunt partium, attenuant halitus ac dispellunt, oſcula aperiunt, fibras ad amoliendum hoſtile flatulentum invitant & laceſſunt, mineramque ac fomitem factitii aëris, humorum viſciditatem, incidunt, gluten diſſolvunt, cruditates corrigunt ac eliminant. Sic in Cel. RIVERII *Obſ. ac Curat. Med.* curati leguntur tumores flatulenti tam totius corporis, quam etiam ſingularum partium, e. gr. Scroti, ſolis diſcutientibus, ſacculis incluſis & calide adplicatis, e. gr. vili alias furfure torrefacto, qualis curatio emphyſematis, a vulnere pectoris haſta inflicto, *pag. 347.* ac alia inſignis ſcroti tumoris, a percuſſione in regione pubis ab equo facta, ſolo cataplasmate ex farinis hordei & fabar. ſem. Cumini, flor. chamon. Melil. facta recenſetur; ſimiliter *in Obſ. Phyſ. Med. Cel.* HELWIGII *obſ. 130.* hiſtoria tumoris Scroti rari, ad capitis infantilis magnitudinem accedentis, flatulenti, ſola diaphoreſi & transudatione ſpontanea per poros cutis exterioris curati traditur, ubi in Scholio Cel. SCHROECKIUS cauſam illius tomoris in reſolutione ſeri craſſi & pituitoſi, poris a frigore obſtructis, quæſivit, & ſimul ali . ſcroti tumoris, ex THONNERO, ſolo reſolventium & carminativorum uſu curati, mentionem fecit, ut plura, in Obſervatorum libris paſſim obvia, ſilentio prætercam.

OBSERVATIO LIII.

Dn. D. DANIELIS HOFFMANNI

Tumores flatulenti varii abdominis in puerpera.

Fœmina 30. annorum, ſecunda vice difficulter parit; fuerat moles ventris ingens, & hinc etiam fœtus ſat grandis; & aquarum copia fere incredibilis; urgentibus conatibus aquæ mox profunduntur, at tarde ſuccedit partus. Poſt triduum demum, excluſo fœtu mortuo, ac tardius ſubſequentibus ſecundinis; lochiorum fluxus parciſſimus breviſſimusque fuit, & puerpera viribus admodum exhauſta; abdomen non detumeſcit, poſt ſex etiam ſeptimanas perſiſtit laſſitudo, nulla menſium indicia, veſperi valde tenſum abdomen, mane ad latera umbilici tumores eminent ingentes, quaſi farcimina, umbilico depreſſo ac retracto. Abeunt iſti tumores in minores vagasque veſicas, ſeu tumores, ab umbilico verſus abdominis peripheriam tendentes, cum ſtrepitu ſe dilatantes, immo diſcurrentes per convexam iſtam tumidamque ſuperficiem, non ſine murmure ſonoque adſtantibus manifeſto. Quædam harum intumeſcentiarum, ſeu veſicarum, referebant magnitudinem nucum, aliæ ovorum columbinorum, aliæ gallinaceorum, aliæ caput infantis æquabant, immo ſuperabant, quales etiam ſurſum, verſus ventriculi tendebant regionem, omnes tamen poſt vaga murmura facile diſſipabantur, usque dum ſub veſperam tenſum denuo abdomen, novam mane tumoribus ſubminiſtrabat materiam. Vix ullos de reliquo percipiebat dolores, vires tamen plus fatiſcebant, urina magis tincta prodibat, alvus autem legitime & ordinate ſuccedebat, durabatque iſta viciſſitudo, veſpertinæ tenſionis in abdomine, ac matutinæ tumorum

vagorum ſonorumque ſucceſſionis, per aliquot ſeptimanas, remediis tamen carminativis, reſolventibus, hyſtericis, caſtoreatis & leniter pellentibus tandem feliciter ſublata.

Scholion.

Totum negotium, intuitu connexionis cauſarum, in hiſtoria recenſita, paucis abſolvi poſſe videtur, habita nimirum ratione impediti potiſſimum fluxus lochialis, ſive purgationis illius poſt partum adeo neceſſariæ & utilis: Quam varia enim quamque gravia mala ſuppreſſum hunc fluxum ſequantur, quotidiana loquitur experientia, adeo ut nullus fere ſit morbus, qui non cum illius ſuppreſſione connexionem habeat, præſertim ſi tardius poſt puerperium ſuccedat menſium fluxus, ut huic noſtræ feminæ accidit; unde a tali reſtagnatione ſanguinis tormina varia hyſterica, tenſiones abdominis variæ, anguſtiæ præcordiorum, palpitationes cordis, vel in capite hemicraniæ, vel in membris externis rheumatiſmi, arthritides. & coarctatis nimium uterinis vaſis, varices, immo polypoſæ concretiones, inflammatio uteri, febris acuta, convulſiones, & plura alia oriuntur, ut hinc Practici in eo conſentiant, quod vix detur excretio ſanguinis, cujus defectus tam præſentia, vel tam preſſo pede ſuccedentia pericula ac damna inferat, quam ſuppreſſio fluxus lochialis, quæ a tam levi ſæpius cauſa externa, e. g. refrigeratione corporis, potu frigido, vel animi pathemate, præcipue terrore & iracundia, ortum ſuum trahit, quorum omnium autem ratio vel ex hoc ſolo patere poteſt, quod Lochia & menſes vix alia ratione differant, quam tempore: Quæ enim ante conceptionem erant menſes, illa poſt partum ſunt Lochia ſtricte ita dicta; quantum autem ſalutis in fluxu menſium naturali, ac damni vel periculi in præternaturali ſitum ſit, omnibus notum eſt.

De

De reliquo liceat Coronidis loco theſin pluribus probatam *Diſſert. de Tens. Cord. p. 8.* qua dicitur, *non raro inflari corpus humanum, ac ſiquis aërem ſe ſe expandentem inflatione immitteret*, ut & verba b. *D. D. El.* CAMERARII *in Diſſ. de ſubſid. pro arte Med. ab Antl. pneum petend. pag. 29.* heic adponere: *Flatus per totum corporis ambitum in vaſis etiam poſſe reperiri, quis dubitet? Confirmante id auctorum experientia & practicorum obſervationibus, ubi mira adeo ſæpe occurrunt phænomena, in quibus ſolvendis (quod & in aliis caſibus crebro contingit) niſi idem per idem, obſcurum per æque obſcurum velis explicare, ad* τὸ ἐπέχειν *recurrendum erit; oſtendit clare inclytus* BOYLEUS *productionem bullarum aërearum in minutiſſimis etiam corporis humani partibus contingere, dum obſervavit in vipera in recipiente exhauſto torta, manifeſto adparuiſſe conſpicuam bullam hinc inde moveri in aqueo humore oculi; poſſe autem pari ratione e ſanguine nonnunquam aërem intertextum emergere & ſub flatuum bullarumque forma per corporis compagem ferri, varieque lædere, nullus dubito.*

OBSERVATIO LIV.

Dn. D. DANIELIS HOFFMANNI

Sanationis Cerebri quaſſati, cum deperditione ſubſtantiæ, hiſtoria rariſſima.

Annorum duodecim puer, paulo antemeridiem domo egreſſus, contentaque pileo fraga manducans, ſubito ponderoſa quinque librarum tegula, ex ſublimi viciniæ tecto ruente, ſiniſtrúmque capitis latus feriente, próſternitur. Præteriens vir, mortuum eum eredens, tollit humo proſtratum, brachiisque impoſitum in ædes defert, videns largiſſimos arteriarum, ſanguinem in arcus ejaculantium, rivulos continuo proſilientes, cerebri unum alterumque

que gyrum, tunicæ ſuæ elapſum, obvio offert chirurgo, pueroque in lectulum repoſito, majorem aliam cerebri portionem, adhuc vulneri adhærentem, unacum portione capillorum, novacula quaſi abſciſſorum cerebroque adglutinatorum, chirurgus cochleari, quod forte ad manus erat excipit, offertque mox accedenti Medico b. Dn. D. & Prof. *Eliæ* CAMERARIO, qui, ut præeſſet curæ, vocatus mox fuerat, gyros aliquot cerebri adhuc quaſi calentes, pia matre egregie inveſtitos, vaſculis capillo tenuioribus mirifice exornatos, ac arbuſculis quaſi tenerrimis purpureisque conſperſos, non meram exhibentes corticis cerebri ſuperficialem lamellam, ſed profundius paulo excuſſam, candicantisque etiam ſubſtantiæ ſtamina oſtentantes, cerebri hac portione longitudine digitum, latitudine lineas quinque, profunditate quatuor, & non eadem tamen ubique denſitate, excedente; (nec unquam tamen primo morbi octiduo recluſum eſt vulnus, abſque novo cerebri propulſi diſpendio, adeo, ut vel octava die prodieret portiuncula, piſi majoris quantitate, tota nitidiſſime candicans, nec quidquam admixtum habens cinerei;) Obſtupuere innumeri ſpectatores, conſpecta hac nitidiſſima cerebri portione, vixque oculis credidere etiam rerum iſtarum periti, ea potiſſimum, quam deſcribere mox dabitur, vulneris ratione, perſpecta.

Qui eum ulnis exceperat vir robuſtus, inter geſtandum vacillationem oſſium cranii fractorum probe ſentit, Medicoque mox indicavit, monens ſimul, puerum digitos mox manuum conſtrinxiſſe arctius, magnaque vi ſpaſmos extremorum paſſum; hinc & lecto decumbens vehementiſſime ac continuo ſiniſtrum agitavit pedem, dextro latere mox comparente reſoluto clamores ſimul enormes, aut ejulatus potius penetrantiſſimos ejaculante thorace, oculis diſtortis, corneis ac ſubclauſis, conniventibus

tibus palpebris, ſenſibus amiſſis. Ictus ac proſtrationis violentia, lapidis pondus, teneraque ætas, magnum indicabant vulnus autopſia vero parvum id exhibuit, vulnus enim integumentorum capitis ne digiti quidem æquabat longitudinem, lateribus parum hiantibus, intus vero latuit terribilis effectus tanti ponderis. Locus vulneris fuit in ſummo oſſe frontis lateris ſiniſtri, præciſius determinandus, ſi concipias Triangulum Iſoſceles, cujus baſin, diſtantiam nempe inter ſiniſtri oculi canthum externum, ac principium meatus auditorii, æqualia latera in vulneris centro coëuntia, integro ad minimum pollice ſuperabant magnitudine; nec tamen trianguli hujus apex mali centrum fuit, ſed fracturæ quaſi initium, oſſis enim fruſtum depreſſum, duos digitos latitudine non attingens, longitudine eos excedebat, protenſum quippe a vulnere verſus latus dextrum, vacillans admoto ſpecillo, depreſſumque, figuræ Trapezoidis, a cujus angulo inferiore magna fiſſura deſcendebat per os frontis totum, ipſamque oculi orbitam, lato hiatu tactui obvio. Vis ſcilicet pondusque tegulæ, qua marginem acutæ, non capillos modo conſcidit, ſed depreſſit fruſtum illud cranii violenter, perrupit impetu illo duram matrem, conquaſſavit ſubito cerebri ſubſtantiam teneram, fruſtum ejus expreſſit, ejecitque per fiſſuram a vulnere diſtantiorem, via tamen, eliſo cerebro, ad externa patente, quoniam ſumma violentia integumenta a depreſſo cranii fruſto mox ſeparaverat, hinc protruſum cerebrum, qua ſtructuram portionis illius integrum & pulcherrimum, per foramen vulneris longe minus atque arctius. Quanta hæc in capite contuſio fuerit, ſufficienter monſtrant diſſipati, immo ſuffocati ac ſtupefacti ſpiritus, turbatus ſanguinis circulus, nervorum fibrillæ in ſpasmos actæ, concuſſæ, convulſæ partim, partim relaxatæ, indeque oborti ſpasmi, ejulatus, agitationes partium variarum, reſolutio dextri lateris, mirandum-

que potius, potuiſſe his violentiis naturam reſiſtere, nec ſecutam mox eſſe mortem, totiusque deſtructionem machinæ.

Non multum libuit in vulnere agitare ſtilos, explorare fiſſuras, earumque progreſſus rimari, ne graviori irritatione, læſum tam enormiter cerebrum, novis ſtimulis ulterius labefactaretur. Chirurgi egerunt, quod ipſorum eſt; non deſcribemus ſacculos cephalicos, inunctiones Spiritu vini camphorato factos, hunc cum matricali ſpiritu vulneri inſtillatum, linteisque multiplicibus impoſitum adfuſumque; exhibitas mox per intervalla Mixturas nervinas, confortantes, cordiales, exteriusque adhibita inunctaque varia, ſpiritus, balsama, elixiria, &c.

Principalis hic quæſtio fuit de facienda inciſione, ac vulneris dilatatione, cum id videretur juſto arctius, imminebat jam vulneri novacula, cohibita tamen pondere rationum. Urgebat vulneris anguſtia, recentiorum unanimis commendatio inciſionum ac dilatationum in vulneribus minoribus; ſed ſuadebat tamen contrarium patula via, quæ deeſſe non poterat ſaniei ac puri, cum tot ſanguinis exſilientis rivulis, immo tam notabili cerebri portioni, rima ipſius vel cranii, vel vulneris, longe majori ac latiori, conceſſerit exitum; hanc natura viam non videbatur neglectura, quin potius ſolicite conſervatura. Idem etiam eſt, quod ſuadent recentiorum plurimi, non ſtatim accedendum ad inciſiones ſine gravi cauſa; occurrebat maxime animo RVYSCHII, Amſtelodamenſis, at quanti viri monitum: Etiam in vera cranii fractura, in qua ſymptomata non augentur, haud ſtatim ad inciſionem & terebrationem eſſe confugiendum; ac præſtare ejusmodi adhibere fomenta cephalica, quæ non parce, nec linteis exiguis, ſed latioribus pannis, etiam ex lana confectis, calide ſint adplicanda, caputque totum iis obvolvendum. Sic non raro opem ſe tuliſſe feliciſſimam

iis

iis, quorum capitibus jam ſcalpellum inciſorium imminuerit. At recordor nunc iſta ſcribens, eandem nuper viam ingreſſum eſſe experientiſſimum chirurgum Pariſienſem D. PINCON, Sereniſſimi Hohenzollerani Principis primarium chirurgum, in ruſtico, fuſte graviter percuſſo, quique ſine voce per decem decubuit dies; ſola hîc fomenta, inunctiones, ſacculique cephalici ſine ulla inciſione feliciter reſtituere ægrum pro deſperato habitum. Tam dura ſubinde ſunt ruſticorum capita. Differendum itaque erat & hoc remedii genus, & ipſa de Trepano deliberatio, quod quidem depreſſo oſſi adplicari haud poterat, nec requirebatur, uti ex poſt facto evidens erat; utile in ſe remedium ac frequentiſſimum auxilium, ſed & fruſtra ſæpe & non ſatis apte adhibitum; latius tamen hodie patens quam olim, quippe aliis quoque oſſibus, carioſis maxime ſuperficietenus adplicandum ad exfoliationem promovendam, in Lue venerea maxime, &c. Vomitus inter prima obortus eſt ſymptomata, frequens porro rediit, tinctus etiam aliquando cruore. Interea mixturæ confortantes cum Liqu. Corn. Cerv. ſucc. & caſtoreatis ori infundebantur, exteriusque ea omnia naribus, vertici, temporibus, pulſibusque adhibebantur, quæ in caſibus tam repentinis admovere conſuevit ſolicitudo adſtantium ac conſternatio.

Hæc agebantur 10. Junii diesque illa & nox eam inſequens eosdem inter ſpasmos, ſiniſtri pedis agitationes violentiſſimas, clamores, ſtridoresque horrendos transacta eſt. Mane vero diei 11. Junii ultima vice vomuit, iidem inter deligandum clamores, idem cetera ſtupor ac torpor; facie partibusque ejus ſingulis magis magisque intumescentibus, ac ipſo tumore deformatis. Die 12. Junii plenaria lateris dextri immobilitas, ob impeditum valde ſpirituum animalium in partes ejus lateris, concuſſis violenter ac contortis quaſi nervorum fibrillis, influxum, involuntariaque

que ſecum alvinarum cum urina excretio, funeſtum ſæpius ſignum, obſervantur; nihilominus tamen jusculum carnis, ipſi porrectum, deglutivit, variaque medicamenta ſcopo convenienter ordinata, & hoc quidem die Mixturam confortantem ex Aqu. fl. Til. unicorn. ver. Margarit. or. ppt. corn. cerv. aurat. conf. alkerm. compl. atque Julep. violar. officioſa parentum manu oblata, admiſit ſubinde, ac per intervalla. Ad confortandum caput enormiter læſum concusſumque, balſamum ex balſam. apoplect. Lavendul. Anth. Succin. Rut. nuchæ ac temporibus, ſpiritusque nervini ex ſpir. Lil. convall. Lumbric. Aqu. Anhaltin. partibus non ſolum reſolutis, ſed & univerſæ dorſi ſpinæ, ad refocillandam labefactatam ejus medullam, ſeu continuatum inversumque cerebrum, largiſſime inungebantur, immo infundebantur, ut ſcilicet hoc quoque modo ac tentamine, eo citius influxus ſpirituum animalium in partes illas externas reſolutas iterum obtineretur, ac invitaretur, quo etiam confortandi ſcopo, epithema cordiale ex Elix. vit. Spir. Lil. convall. Anth. mediante panno coccineo ſcrobiculo cordis imponebatur, pulſibusque admovebatur. Nec deerant adſtantibus ſigna, quibus ſuſpicabantur, viſus auditusque aliquod ſubinde exercitium in puero deprehenſum eſſe. Die 13. ſubſequente, iterum agitationes & inquietudines ægrum torquebant, mentis tamen attentione transparente, nec minus clamoribus adhuc adſtantibus erat moleſtus, facie magis magisque in tumorem inæqualem informemque elata ac deformata; Urina multa, tincta, non turbata, nubibusque gravis conſpiciebantur, qualis & die 14. Junii prodiit, quam diutius, quam par erat, retinuerat, ſuccedente tandem, poſt inunctiones hypogaſtrii largiores, fluxu ejusdem liberiore, fibris tonum naturalem recuperantibus, ſpasmisque ceſſantibus; non amplius tam ſtentoree clamabat, niſi a ſpiritu vini camphorato cum ſpiritu matricali commixto, vulneri

vulneri partibusque illis nerveis, teneris, atque adeo graviter læſis, infuſo, qui ſcilicet debebat, laudabili chirurgorum providentia, cohibere atque arcere inflammationem, atque dehinc gangrænam & putredinem parti tam nobili funeſtiſſimam, maximeque metuendam. Ceterum tincta illa plurimum, ſed non turbata urina, febrem vulnerariam æque, ac citatior pulſus, indicabat, quæ non poterat non in tam gravi læſione nobiliſſimæ partis ſupervenire, purulentis moleculis maſſæ ſanguineæ largiter jam admixtis, ejusque mixtionem turbantibus; neque enim facile dixeris, animam febrim hanc excitaſſe per providentiam ſuam, quæ orta eſt a ſuppuratione ſanguinem turbante, nec adhiberet anima tam vile inſtrumentum, quale pus eſt, ad ſcopum ſuum, cum in id nullum ipſi imperium competat, toto quippe genere, tota ſubſtantia peccans. Cum vero iſta dextri lateris omnimoda paralyſis & graviorem videretur indicare principii nervorum læſionem, & penitiores canaliculorum nerveorum obturationes, vel etiam relaxationes aut alibi ſtricturas ſpasmodicas hinc adſiduo inſiſtendum erat confortationi nervorum, totusque dorſi tractus oleo quodam nervino, ex Ol. Lumbricor. Rut. Caſtor. maſtichin. Lavendul. Succin. bis de die inungebatur. Ob pulſum fortiorem caloremque totius corporis manifeſtiorem, ſtatus febrilis increscentis & ſigna & ſymptomata, viſum fuit pulvisculos quosdam nervino refrigerantes, ex pulv. Pannon comp. Unicorn. ver. Corn. Cerv. aurat. Lap. Smaragd. ppt. Margarit. or. ppt. Nitr. cryſtallin. atque Cinnab. nat. ppt. præſcribere atque exhibere frequentius, ad ſedandum æſtuantis ſanguinis ardorem, temperandamque ejus turgeſcentiam, itemque nervorum ac ſpirituum animalium (quos, nonnullis quidem hodie ingratos in medico ſyſtemate, natura ipſa jubente, ſervandos credimus,) confortationem. Noctem quiete tranſigebat, alteroque die, 15. ſcilicet Jun. motus lateris dextri

reſoluti, non ſine magno parentum aliorumque gaudio, haud obſcuris ſeſe prodebat initiis, qui in dies, quamquam tardiori gradu & incrementis lentioribus, magis magisque creſcebat, liberiori ſcilicet ſenſimque reddito ſpirituum animalium, in partes illas, antea iis deſtitutas, vel ſaltem parcioribus eorum copiis imbutas, influxu; carnis juſcula aliquoties, redeunte jam adpetitu, comedebat, urinam non ita tinctam reddens, (febre jam mitigata) illius vero excretionem, profluvium materiæ cujusdam pultaceæ albicantis, ſtatimque in urina ſubſidentis, ſubſequebatur, profluebat enim hæc chyloſo-pultacea, vel ſi mavis, blandior puruIenta materia, demum reddita urina, ſeorſim prolabens per urethram. Horis ejusdem diei veſpertinis, adſtantibus admirationi fuit, dum mente, ob recollectos jam ſpiritus, nervosque ad tonum ſuum redeuntes, vigorem aliquem novum exerente, organiſque loquelæ deſtinatis jam melius conſtituitis, diſtincta claraque ſatis voce, utut languida pronunciatione, integram orationem Dominicam recitaret. Die 16. Junii portio quædam ſubſtantiæ cerebri candidiſſima ex vulnere, cum ſanie quadam ſpumoſa flaveſcente, prodibat, ægerque de dolore cardialgico ſæpius conquerebatur, unde una cum mixturis ſupra memoratis nervinis, confortantibus, pulviſculos pariter confortantes, ſtatis temporibus ægro exhibendos, ex pulv. epil. M. Pannon comp. Unicorn. ver. ſpec. diacret. Corn. Cerv. aurat. & Nitr. cryſtallin. placuit commendare; qui tamen ſtomachi dolor 17. die, poſt excretionem retentarum diutius fecum alvinarum, multum remiſit, urina interim, tinctura intenſiore nondum penitus deſtituta, & offerente una ſedimentum illud ſupra memoratum, pultaceum, ſeorſim excretum. Ceterum a prima inde læſionis quaſi hora, ſtagnantibus, in faciei musculorum tubulorumque cavitatibus, viſcidis humoribus ac purulentia tinctis, facies magis magisque intumuerat,

mucrat,

muerat, nunc elato maxime tumore, formaque faciei priſtina ablata. Altero mane, nocte ſat bene transacta (die 18.) nec viſus, nec memoria videbatur recte ſe habere, adeo ſpiritus adhuc vacillabant undulabantque præ debilitate inſtabiles; unde pulvisculi ex Specif. ceph. M. Antim. diaphor. Corn. Cerv. aurat. Margarit. or. ppt. Nitr. cryſtallin. præſcribebantur, Liquori cornu cervi, aliisque analepticis interponendi, adpetitus vero auctus frequentius poſtulabat, quod offerret latranti ſtomacho. Dudum palpebræ, (ad quam rima fiſſuræ cranii protendebatur) oculi ſiniſtri, tumor elatior cœperat fieri ac turgentior, hac quidem die magis tumens rubensque, ſuppuratione jam increscente, frequentius ridebat æger, mente debili, debilibus ſpiritibus haud graviter ſatis imperante in tanta adhuc turbatione, dumque adſtantes canebant, ipſe lacrymas profundebat, ejusdem ſpirituum inſtabilium teneritudinis ſoboles indicesque. Sequente die 19. de dolore oculi illius ſiniſtri querelas movebat acerbiores, idem de cetero adpetitus, eademque ſemper hactenus urina; noctem quippe ſatis tranquillam ſecutus erat dies tolerabilis, transactus inter comeſtiones, vagos ineptosque ſæpe riſus ac faciei elatiorem adhuc tumorem: Tumor vero palpebræ in acumen attolli rubicundius videbatur. Die 20. calor totius corporis circa veſperam erat intenſior, pulsus per conſequens citatior fortiorque, hinc pulvisculis additus fuit pulv. Pannon. comp. ac antifebrilia, memoriæ vero læſio in hoc maxime ſeſe manifeſtabat, quod multa, ipſi alias maxime familiaria, ſuis nominibus indigitare ac denominare non potuerit, manifeſto debilitatis ac teneritudinis ſpirituum, ſumme antea diſſipatorum, tantaque vi proſtratorum, indicio; mereturque id inprimis notari, quod læſio memoriæ circa ſolſtitium maxime ſeſe exeruerit, poſtea ſenſim, confortatis quoque ſpiritibus, evanescens. Nescias autem, an de ſede memoriæ hic concludere ex ſitu vulneris

 liceat,

liceat, remotioris ſcilicet ab occipite; quamquam iſtæ animæ functiones pendere vix a ſitu partium cerebri videantur.

Die 21. Junii palpebra ſuperior oculi ſiniſtri in abſceſſum elevata, cultello inciſorio aperiebatur, quæ multum puris laudabilis fundebat, quo facto dein, ſine ullo fere impedimento, oculo illius lateris videre potuit; ab octava enim inde morbi die, facies prætumida cœpit detumescere plurimum, ſola nunc palpebra tumente, qua inter fletus aperta, mox omnia erant ſereniora. Manſit tamen in fronte, deducta inde a vulnere, latior linea ſeu rima hians, molliuscula, tumida in palpebram deſinens, licet aperto tumore jam minus turgida; unde etiam altero die 22. erectus in publicum, feneſtris tamen clauſis, proſpiciebat, urinam ſine conſueto ſedimento pultaceo reddebat, cetera bene ſe habens, adeo, ut per totam fere noctem quiete dormiverit, alteroque mane diei 23. Junii integro adpetitu juſculum carnis ſorbillaverit.

Oculus dextri lateris liberius nunc, tumore ſubſidente, aperitur, utroque ſic liber oculo proſpicit, fortius ac frequentius pro more ridens, duriora etiam, e. g. pyrum conditum, non ſine ſtridore dentium maſticat, immo magno cum impetu, ſine ullo doloris ſenſu, ſternutat, unde ſpem de fiſſuris, indubie præſentibus, paulo meliorem licebat concipere. Mane diei 24. Jun. parum admodum puris, tam ex vulnere capitis, quam palpebræ dimanabat, nec Spiritus matricalis intra vulnus adeo libere, uti alias, admittebatur, atque abſorbebatur; in deligatione tamen veſpertina plus puris effluixſſe vidimus, alvus libera, urina iterum ſedimento pultaceo inquinata fuit; maxime autem notari meretur, quod ulcera antiqua, brachii atque femoris ejusdem lateris, poſt extracta oſſicula quædam (ex brachio maxime) carioſa, ante aliquot annos jam conſolidata, a triduo ſaniem quandam, ratione coloris cum illa

vulne-

vulneris capitis convenientem, ſtillare inceperint: Adeo largiter ſanguineæ maſſæ innatavit admixta ex vulnere ſanies; adeo tota maſſa vitalis fermenteſcebat, excitata a peregrino hoc fermento, a qua data porta proruebat ſanies, quod in parte debili, atque olim graviter læſa, contigit facilius, cicatrice rupta, novaque puri aperta janua. Vidimus ſimile nuper exemplum in Illuſtri viro, cujus ulcera antiqua, ab aliquot luſtris occluſa, poſt expeditionem febremque Hungaricam denuo aperta, graviſſime ipſum adflixerunt. Vivum etiam circumfert in corpore exemplum alius quidam Juvenis, ſtudiis deditus, ulcera antiqua, data per ſanguinis turbas occaſione, facile nova exundare ſanie obſervans, quidquid enim tum in ſanguine ſordium eſt, ad conſuetam veteremque facile amandatur cloacam, ſeu fiſtulam, utut adparenter conſolidatam clauſamque. quod & in hoc puero noſtro factum eſſe agnoſcet, quisquis circumſtantias ponderabit; ac memorabile ſane eſt, latus ejus ſiniſtrum, tot jam injuriis malisque fuiſſe ſubjectum, dextro ſemper ſalvo. Interim uſui medicamentorum omni cura inſiſtendum duximus, ut & ſanguinis impuritas corrigeretur, & fœda miasmata ex univerſa ejus maſſa ejicerentur.

Die 25. Jun. Urina mane parum offert ſedimenti, veſperi pallidior atque turbida; cicatrix brachii continuo materiæ purulentæ portionem protrudebat, cui etiam, inciſione cultello facta, via atque exitus parabatur, femoris cicatrice per ſe liberius fluente. Ceterum læſio memoriæ, qua voces ac nomina, nondum ceſſabat, manifeſto indicio, & ſpiritus adhuc teneros, vacillantes, eccentricosque eſſe, & cerebri fibrillarum tonum ad priſtinum ſtatum atque æquilibrium necdum rediiſſe, unde nec anima diſtinctas ſatis formabat ideas. Nocte bene tranſacta d. 26. idem materiæ purulentæ ſtatus in partibus ſingulis, eadem urina; ceterum con-

 for-

fortandi, viſcerum tonum roborandi, ſanguinemque emendandi ſcopo, Electuarium ex Cons. Cichor. Roſar. rubr. Cydon. condit. Nuc. Indic. condit. Syr. Rub. id. Julep violar. ut & Elix. aperit. Cl. Tinct. Mart. cydon. adſidue cum ceteris remediis, ægro propinabantur.

Mane diei 27. urina erat flava, cum ſedimento, veſperi vero pallida, itidem cum ſedimento; capilli capitis, ſine ullo doloris ſenſu ac innoxie; fluctuante adhuc ſub pelle purulenta materia, novacula reſecabantur, (hactenus enim ſacculis cephalicis, vino fervente imbutis, tegebatur vulnus, capitisque partes, ſatis prius ſpiritu matricali & vini camphorato imbutæ; nunc autem raſo, non in vulneris ſaltem vicinia, ſed & latius, capite, Emplaſtro de Betonica id obtegebatur totum, impoſitis tamen deſuper ſacculis, hactenus magno ægri emolumento adhibitis,) pulſu bono, alvo libera. Corpore per ſomnum quietum probe refecto, d. 28. ſponte ſe ſe erigit alacris, perpetuoque, etiam inter obligandum ridet. Urina flava a trihorio adhuc ſine ſedimento offertur; labiis vulneris reunionem atque conſolidationem maxime adfectantibus, die 29. Jun. prima vice vulneri inſeritur turunda, ut ſcilicet materiæ purulentæ via atque exitus hoc modo conſervaretur, quæ alias, vulnere conſolidato labiisque clauſis, non potuiſſet non regurgitare, graviſſimaque mala, immo ipſam mortem inferre. Die 30. pus tenuius in parca admodum quantitate ex vulnere prodit, perpetuo de fame conqueritur æger, ciboſque avide arripit, in margine oſſis eminentiore, verſus aurem ſiniſtram, in ipſo vulnere nihil quidquam vacillat vel abſcedit; die autem 1. Julii adhuc ſpecimina quædam læſæ memoriæ edit, dum res, ipſi maxime notas, nominare non poteſt, pus interim nunc parcius, nunc largius, ex vulnere protrudi poteſt, colligebatur enim ſub integumentis, a cranio hic depreſſiore, ſeparatis. Die 2. Jul.

ſen-

ſenſim ſenſimque memoriam meliorem fieri advertimus, labiis vulneris ad conſolidationem atque reunionem ſe ſe diſponentibus, omnibusque optime ſe ſe habentibus, ſiquidem jam d. 3. Jul. proprio marte ſe ſe erigit, atque erectus in lecto ſedet, (hactenus vero inunctiones externas ſpinæ dorſi, immo totius corporis, tum oleis nervinis, tum ſpiritibus confortantibus, factas, haud parum ad Paralyſeos, qua totum reſolutum erat latus dextrum, diminutionem atque expugnationem, fuiſſe proficuas, ipſe eventus docuit evidenter,) inſertionem ac penetrationem ſtili ferrei vix ſentit, nec repugnat illi, hilari lætoque admodum eſt animo, immo d. 4. e lecto ſurgit, atque ſine ullo vertiginis ſenſu, paſſus plusquam, decem, alio manuducente, ambulat, nec non 5. & 6. die per aliquot horas in publicum feneſtris tamen clauſis, proſpicit, puris quantitate non adeo parca ſe offerente, omnibusque rite ſe habentibus tentabat inſuper vires ſuas alacrius, an ſolus aliquot facere paſſus atque incedere poſſit, quod vero, ſine metu prolapſus, præſtare non potuit; eodem etiam die Julii ſexto, cicatrix in femore, ut pus liberius effundi poſſet, cultello aperiebatur, pulſusque veſperi ſolito citatiorem ſe exhibuit. Die 7. ordinaria puris tam quantitas, quam qualitas, ſine ulla reliquarum circumſtantiarum mutatione, obſervata eſt; die 8. vero ſolus aliquot paſſus inceſſit, notandum vero, ſub deligatione) cranii portionem denudatam, ſemper candidam adparuiſſe, ut idcirco pus non adeo corroſivum fuiſſe concluderemus;) atque per aliquot horas, uti etiam die 9. Jul. extra lectum commoratus eſt; d. 10. autem femore & brachio melius ſe ſe habentibus, diutius ambulat; labiis interim vulneris d. 11. ne ſcilicet excreſcant, carnemque fungoſam progenerent, pulverem Vitrioli cyprini chirurgus inſperſit, materia ſanioſa in eodem ſtatu conſtituta.

Die 12. Jul. nullas plane, de quocunque etiam leviſſimo

mo dolore, æger edit querelas, ſed quaſi liber ab omni malo metuque obambulabat, & Chirurgus ſicca ſaltem methodo modoque, omiſſis jam madidis vino ſacculis, vulnus obligat; nihilominus tamen pulveribus cephalicis, nervinis, confortantibus temperatis, eſſentiaque ſupra memorata, Electuario confortante ac temperante, exoptato cum ſucceſſu ſemper utitur; ceterum quolibet fere die novus quiſpiam ad ſtatum meliorem gradus, & morbi declinantis atque convaleſcentiæ indicium novum, attendi poterat, ſiquidem d. 13. 14. 15. 16. ita bene ſeſe habuit, ut ex hypocauſto egredi haud dubitaverit, immo die 17. exire domo auſus eſt audaculus puer, non obſtante capitis adhuc tam gravi læſione, tanta cranii portione vacillante ac depreſſa, tanta ad orbitam oculi, tactui etiam obvia, fiſſura immo hiatu excurrente. Unde etiam d. 18. lectum deſeruit, illumque non niſi accedente chirurgo, vulnus ad horulæ ſaltem ſpatium repetiit; pus interim ſenſim minuitur, ſtilum tamen, uti antea fere, vulnus admittit, labiorumque unio, & conſequenter vulneris & integumentorum conſolidatio, impediri vix amplius poterat, urgente occluſionem natura, nutrimento copioſius ſuggeſto, fibrillisque quadam vi coëuntibus ac conſcreſcentibus.

Die 19. Jul. æger ex improviſo corripiebatur coryza, unde d. 20. rubentibus ac ſtillantibus naribus ſternutat, frequentiusque nares humidas emungit, unde his d. 21. continuantibus, raſo iterum capiti, uti ſæpius jam factum fuit, novum Emplaſtrum de Betonica imponitur; d. 22. vero coryzæ larga ſalivatio, fortisque, ſine ullo incommodo, ſternutatio jungebatur, nec tamen lectum repetiit, ſed & ipſam inſuper vulneris deligationem extra lectum facile ſuſtinuit, alacris ſemper, & cum pueris ſociis violentius etiam quam par erat, ludens. Die 23. ex vulnere parca ſaniei

tenuis

tenuis flaveſcentisque quantitas emanabat, ægro nondum a coryza liberato, donec tandem die 24. coryza & ptyaliſmus, (utpote proculdubio excretiones hactenus ægro admodum ſalutares, ſuoque modo criticæ, cum jam pus prodiret ex vulnere parciſſimum, adeoque per metaſtaſin alibi excernendi erant pravi illi humores, ſi ſalvus debebat eſſe puer,) & cum tuſſicula largior exſcreatio deſierit. Die 25. paucæ ſaltem puris guttæ, facta in partem ſuperiorem, accuratiore etiam preſſione, profluerunt, vulnus d. 26. 27. & 28. ita anguſtum eſt redditum, ut d. 29. cranium, alias ſatis conſpicuum, non amplius adparuerit, vixque tres ſaniei guttulæ promanarint; unde etiam chirurgi, obicem, conſolidationi hactenus poſitum, removerunt, vulnerisque plenariam concluſionem, & labiorum reunionem, ſperare auſi ſunt. Hisce omnibus ita rite ſe habentibus, Medicus tamen ulteriorem medicamentorum internorum, cephalicorum, neruinorum, confortantium, continuationem commendavit, pulveremque talem d. 30. ex pulv. analept. fr. M. Marchion. Matr. perl. ppt. Corn. alc. phil. calc. Lap. ſmaragd. Sacchar. perlat. bis de die exhibendum cum ſpeciebus pro Infuſo theiformi ex Herb. Veron. Beton. Acetoſell. fl. Hyperic. Nymph. Cichor. Rad. Sarſaparill. Liquirit. Lign. Saſſafr. præſcripſit.

Videbatur jam res omnis confecta, & conſolidatio vulneris omnimoda inſtare, hactenus enim vi quaſi coalitio repreſſa fuit, ut puri pateret via; & coaluit ſane vulnuſculum, usque ad rimulam quaſi minimam, at rebellem, (quod prædixerat Medicus) ſemper enim aliquid ſtillavit laticis, puero vegeto, agili, ſano, omnibusque ætatis ſuæ actionibus aptiſſimo, ac in publicum, quacunque etiam tempeſtate, prodeunte. Novembri demum præteriti anni, prima, eaque exigua, oſſiculi corrupti lamella, ex foraminulo prodiit, quam hactenus plures aliæ, parvulæ pariter,

juxta cum duobus latiuſculis, ſed tenuiſſimis tamen, ſecutæ ſunt, puero jam ultra annum rectiſſime valente, petulanti, atque ad omnia prompto; pollet enim & memoria, & ad diſcendum, ut prius, aptitudine, occluſumque eſt, dum iſta in chartam conjiciuntur, vulnuſculum, rima autem frontis eadem, imo quaſi amplior tangitur, ſuo quoque, quem monſtrat, pulſu, conſpicua.

Si quæras, qua ratione coaluerit, repletaque ſit cerebri ablati cavitas? an caro ibi genita? an callus ſui generis? nihil reſponſi loco accipies, cum vel ipſum hoc inter rariſſima vulneris hujus ſit, quod excuſſum fuerit cerebrum, oſſe iſto trapezoide, ſeu cranii effracti portione, in ſitum redeunte, conſpectumque cerebri læſi omnem auferente. Novimus exempla paſſim proſtantia vulnerum graviſſimorum, etiam non ſine deperdita particula ſubſtantiæ cerebri, quæ inter Gœckelianum eminet, ſed poterat in iis conſpici cerebrum læſum, poterant adplicari remedia, removeri impedimenta, cum hîc ſuſpenſo omnia gradu agenda erant. Patet vero hinc, quam neceſſarium fuerit apertum diu ſervare vulnuſculum, unicam ſaniei egredientis viam. Nec reticendum tamen etiam commodum, ab impedito cerebri læſi conſpectu enatum: Os enim effractum, ac ſuo tamen redditum loco, aëri, deſtructori ac hoſti vulnerum ulcerumque præcluſit viam ac adpulſum liberiorem ad interiora, hinc facilior a putredine præſervatio, ac læſi cerebri conſolidatio, concurrentibus balſamicis, magna induſtria ac dexteritate adplicatis.

Quid vero nunc ſperandum, quid metuendum puero noſtro? Monendus omnino eſt, ut cautius agat, nec obliviſcatur tam enormis cerebri læſionis. Subdola ſunt iſtiusmodi mala, & occulta ſæpe poſt ſe relinquunt veſtigia, quæ periculoſe aliquando & ex improviſo poſſunt reviviſcere, graviterque lædere. Meretur eam in rem adlega-

legari attendique hiſtoria Illuſtris Herois Würtembergici fortiſſimi, Sereniſſimi Principis FERDINANDI WILHELMI, cujus æterna eſt ac pretioſa memoria: Hic enim in obſidione Vivarini Anno 1685. globo in fronte ictus, cerebro licet illæſo, trepanationem ſuſtinuit, curatoque licet, quoad licuit, vulnere, eo robore adhuc pollebat Princeps inperterritus, ut per tot annos in Hungaria, Dania, Hibernia, Flandria, Belgioque, immo in Polonia, Podoliaque ac Holſatia geſſerit bella graviſſima, omnibus expoſitus tempeſtatum aërisque ac victus injuriis, tandem tamen fatali hac læſione recrudeſcente, ereptum eſt terris tam nobile cœli depoſitum. Manſerat ſcilicet meatus aliquis in cicatrice apertus, per quem, annorum iſtorum decurſu, ſanies per intervalla exſtillavit; is fluxus ſalutaris ſubſtitit ſubito mens. Jul. An. 1701. hinc oculi inflammatio, lethargus, dehinc convulſivi motus, apoplexia, triſtiſſimaque tandem mors ſecuta eſt; ajunt vero, qui Sereniſſimum Principem familiarius norant, eum, admoto digito, locum priſtini meatus oſtendiſſe, ac monuiſſe quaſi adſtantes de occluſione fatali, ſed viſum tum fuerat DEO evocare hinc Principem magnanimum, adparuitque poſt mortem, fiſſum olim ab ictu globi fuiſſe cranium, relictasque oſſis quasdam feſtucas acutiores, quæ forſan nunc demum pupugere meninges, ſeque ſaniei retentæ junxere; nec oſſeus, cranio læſo, callus olim ſuccreverat, ſed molliusculum integumentum obduxit cerebrum, adnatis protuberantiis binis calloſis, exgiuam nucem moſchatam æquantibus. Tamdiu tamen ſuſtinuit maximos labores, læſus tam graviter Princeps, ipſamque circumtulit ſecum læſionem, fatalem olim, lethalemque ſibi futuram. Adeo nusquam tuta fides!

*(Tubinga Norimbergam miſſæ
d. 17. Jun. 1737.)*

OBSERVATIO LV.
Dn. D. CASPARI NEUMANNI
De
Albumine ovi ſuccino ſimili.

Ex numeroſa illa, a doctiſſimis ac celeberrimis Academiæ Naturæ curioſorum Cæſareæ Collegis hactenus publici juris factarum Obſervationum copia, variæ occurrunt, quæ de *ſingularibus ovis gallinaceis* agunt, & ex parte ſatis curioſæ & notatu dignæ exiſtunt: Evolvi e. gr. quædam de ovis prægnantibus, (a) de ovis duplici & triplici vitello præditis, (b) de ovis gemellis, (c) ovis in ovis, (d) aut aliis adnatis; itemque ſpecialiores quasdam, ut de ovo a gallo gallinaceo excluſo (e) de ovo inſolitæ figuræ ſeu monſtroſo, & caudato, (f) de ovo hydropico (g) de ovo gallinaceo ſerpentifero, (h) de ovis in tenebris lucentibus, (i) denique etiam de ovo quadrato, (k) alias

a) *Ephemerid. Nat. Curios. Dec. I. Ann. I. Obſerv. 16. Ann. II. Obſ. 250. Ann III. Obſ. 32. Ann. VI. & VII. Obſ. 80. Dec. II. Ann. I. Obſ. 17.*

b) *Dec. I. An. II. Obſ. 241. & 250. An. III. Obſ. 32. & Obſ. 188.*

c) *Dec. I. Ann. IV. Obſ. 115.*

d) *Dec II. Ann. I. Obſ. 44. Centur. I. & II. in Append. p. 198.*

e) *Decur. I. Ann. III. Obſ. 177. Ann IV. & V. p. 301. Decur. II. Ann. I. Obſ. 145. Ann. V. Obſ. 211. & 212. Decur. III. Ann. V. & VI. Obſ. 138.*

f) *Decur I. Ann. I. Obſ. 140. Decur. II. Ann. I. Obſ. 16. Ann. II. Obſ. 119. Ann. IV. Obſ. 44. Ann. V. Obſ. 147. Dec. III. Ann. V. & VI. Obſ. 1 4.*

g) *Decur. II. Ann. V. Obſ. 175.*

h) *Decur. I. Ann. III. Obſ. 190.*

i) *Decur. II. Ann. VI. Append. pag. 34.*

(k) aliasque plures, quarum una alteraque ulteriori digniſſima eſſet indagatione.

Præ ceteris vero quæ *Ann. III. Decur. II.* dictarum Ephemeridum, *pag. 146. & 147.* ſub *No. LVIII.* a Clariſs. Dn. D. *Joh. BLUMIG* communicata proſtat obſervatio, ſub titulo: *Ovum in vitrum ſuccineum a natura converſum*, admodum paradoxa minusque probabilis mihi viſa fuit, ſiquidem ſatis ſuperque cuilibet conſtat, quod natura, ut ut effectus ſumme mirabiles & extraordinarios ſæpiſſime producat, nunquam tamen id efficere queat, ut verum effingat vitrum, multo minus ut ovum in vitrum aliquod perfectum convertat: E contrario omnes reliqui ſupra memorati caſus, de ovis duplici vitello donatis, de ovis in ovis, de ovis lucentibus, morboſis, & diverſimode monſtroſis, licet extraordinarii & quaſi *abortivi* ſint, tamen ut naturaliter *poſſibiles*, ad minimum facile concipi poſſunt. Ad *vitrificationem*, prout omnibus notum eſt *extremus ignis gradus* requiritur, qualem vero natura per ſe ſola nunquam producere valet; alias enim neceſſe eſſet, ut

1) vel ſolitarie artis ope,

2) vel etiam alia naturæ inſolita, & proprie artem imitante, adeoque certo reſpectu *magis artificiali*, quam ſimpliciter *ordinaria naturali* via talis excitaretur.

Per prius intelligo, cum a ſole, per *vitra, vel ſpecula cauſtica* aliquid in vitrum redigitur.

Per poſterius innuo, cum a *vehementi fulgure & tonitru*, domus, vel aliæ res incenduntur, & per vehementiſſimum inde excitatum ignem hoc vel illud eodem modo, quem ars alias ſervare ſolet, extremo videlicet caloris gradu vitrificatur.

k) *Decur. III. Ann. IX. & X. Obſ. 53.*

Præter has duas methodos me ignorare fateor, qua ratione alias *natura*, qua natura & absque arte, vel artis adjumento ad *vitrificationem* concurrere; multo minus ejusmodi molles animalium partes, quales in ovo deprehenduntur, vitrificare poſſet.

Cum autem circa prædictam obſervationem ejusmodi adveniens, vel adplicatus *extraordinarius calor*, minime obſervetur, hinc etiam ad eum plane non erit reſpiciendum, adeoque ſtatim inſimul a priori certiſſima oritur concluſio, quod *ovum nullatenus a natura in vitrum* converſum fuerit.

Similis plane obſervatio extat in *Volum. I. Actorum medicorum & philoſophic. Hafnienſium No. LII. pag. 104. & ſeq. a Dn. D. Eraſmo BARTHOLINO, Med. Prof. Reg.* communicata, ſub titulo: *Ova gallinacea incorruptibilia.*

Cum autem *D. BARTHOLINVS* Anno 1669. initium ſuarum obſervationum circa hanc materiam fecerit, easque annis ſequentibus 1670. 1671. & 1672. continuaverit; Dn. D. *BLVMIG* vero itidem Anno 1672. hanc obſervationem communicaverit, hinc probabiliter concludi poſſet, quod poſterior ea de re quædam a D. *BARTHOLINO* ſubaudiverit; quamquam utique etiam facile fieri poſſit, ut duæ longe inter ſe diſtantes perſonæ *eodem tempore eandem materiam* adſumant & tractent, vel eadem phænomena obſervent; præcipue, cum ne quidem ipſe *BARTHOLINVS* eadem primitus obſervaverit, nec tamquam plane nova tempore dicti anni 1669. reſpici potuerint, cum jam olim *PARACELSVS* hinc inde ad minimum (l) ſimilis phænomeni mentionem fecerit.

Tandem quoque in ſcripto quodam recentiori, nempe *Annalibus medico-phyſ. Wratislavienſ.* & quidem *Tentam. XXIX.*

l) *Vid. ejusd. Opera omnia Edit. Genev. 1658. Vol. I. in Tract. de morbis Tartareis pag. 308. a. item quoque ejusdem Lib. 7. de natura rerum, in Vol. II. pag. 100. b.*

XXIX. vel Anno 1724. pag. 69. ſequ. ſimilem quandam a Celeberr. Dn. D. *KULMUS*, Medico Dantiſcano, communicatam, & hanc ovi hiſtoriam reſpicientem, deprehendi obſervationem, in qua vero Clariſs. Auctor, licet rem ipſam ſatis bene deſcripſerit, probeque perſpexerit & indicaverit, quod iſtud a D. *BLUMIG* olim deſcriptum ovum *nullatenus in verum vitrum commutatum* fuerit, tandem tamen novum quendam ſcrupulum movet, dum expreſſis ſcribit verbis, quod immutatum ita ovum naturæ *corneæ* fuerit, vel in ſubſtantiam corneam tranſierit.

Et ſic manifeſto nunc liquet, quod recenſiti hi viri minime inter ſe conveniant, ſed differentes prorſus foveant ſententias, de conditione mutationis in albumine ovi obſervatæ, ſiquidem

1) *BARTHOLINUS* refert, illud fieri *incorruptibile;*

2) *BLUMIG* judicat, quod à natura in *vitrum ſuccineum* convertatur.

3) Clariſs. *KULMUS* naturam *corneam* eidem tribuit, &

4) *PARACELSUS* l. c. non ſolum ſcribit, illud a ſole in carabem translucidum coagulari, ſed & Dn. D. *BLUMIG* in adducta obſervatione *pag. 147.* adhuc addit, *PARACELSUM* docuiſſe modum, juxta quem ex albumine ovi etiam omnes gemmæ & metalla artis ope confici poſſint, quod tamen itidem cum veritate non congruit, cum longe alius ſit *PARACELSI* ſenſus in loco iſto citato.

Variantes ergo has ſententias conſiderans, & de certitudine earum non immerito dubitans, ipſe tandem laborem hunc ſuſcipere & accurate inquirere decrevi, *in quantum illarum una vel altera cum infallibili experientia conveniat?* præcipue cum in lectione mea ſatis prolixa *de ovo ejusque partibus officinalibus* complura alia chemica tentamina & experimenta inſtituiſſem.

Hinc

Hinc in præſentiarum neque de ovo toto, neque de diverſis ejus partibus, immo ne quidem de albumine ovi quidquam monebo, ſed unice tantum id, quod circa notatam iſtam *immutationem* expertus ſum, brevibus adducam.

Experimentum ergo ipſum in genere veritati in tantum reſpondet, quod, prout omnes prædicti Auctores referunt, albumen ovi ſenſim ſenſimque ſponte *indureſcat*, & quidem, juxta *PARACELSI* inprimis obſervationem, quod a *ſole* potiſſimum hæc induratio promoveatur. Aſt *omnes* dein in eo *errant*, (quamquam prælaudatus D. *KVLMVS veritati quam proxime* accedat,) quando indolem & qualitatem hujus exſiccati, vel indurati albuminis modo ante dicto *deſcribunt*; ſiquidem nec *incorruptibile*, nec in *vitrum ſuccineum*, multo minus in *ſuccinum* ipſum, nec in ſubſtantiam *corneam* mutatum deprehenditur, neque etiam operatio coagulativa hic obſervatur.

Quo autem hæc omnia tanto melius concipi queant, neceſſe erit, ut in limine ſtatim de mixtione nativa albuminis notetur, eam quoad *maximam ſui partem ex aquoſis, pauciſſimis terreis, oleoſis & ſalinis* principiis conſtare, ſicuti id *proportio* illorum, quam mediante deſtillatione prudentiſſime inſtituta & adminiſtrata inveſtigare licuit, optime demonſtrabit.

Recepi nempe XVI. uncias crudi albuminis, ex recentibus ovis gallinaceis depromti, easque retortæ vitreæ immiſi, poſtquam hæc pariter ac vas recipiens probe antea mundata, ſiccata, & accurate ponderata fuerant. Hoc ab initio leniſſimo tractavi calore, adeoque ſenſim ſenſimque, prout neceſſitas requirit, aucto ignis gradu, provide & debito more deſtillavi, deſtillatum ſæpius removendo, guſtu & olfactu explorando, ſicque tandem quoad pondus impetravi:

13. Uncias, 6. drachmas, 2. ſcrupulos *aquæ*, vel phlegmatis, omni ſapore & odore deſtitutæ; poſtea

5. Drach-

5. Drachmas & dimidium ſcrupulum *liquoris urinoſi, ſeu ſpiritus empyreumatico volatilis*, porro

3. Drachmas & 6. grana *olei fœtidi.*

3. Drachmas cum dimidia *ſalis urinoſo volatilis*, &

5. Drachmas & 23. grana nigri, valde poroſi, & perquam levis *capitis mortui.*

Simili ratione XVI. uncias albuminis ad duritiem cocti, omnibus adhibitis cautelis (absque accelerata & minime neceſſaria caloris augmentatione) deſtillationi ſubjeci, exindeque recepi

10. Uncias cum dimidia *phlegmatis* inſipidi ac inodori, poſtea

4. Uncias *ſpiritus*, vel liquoris urinoſo volatilis,

Semi unciam & ſcrupuli dimidium *olei* empyreumatici,

2. Drachmas & 5. grana *ſalis* volatis urinoſi, &

2. Drachmas cum 2. ſcrupulis *capitis mortui.*

Ex his duabus deſtillationibus Lectori benevolo facile nunc patet;

1) quod in albumine ovi naturali *permultum & fere* $\frac{7}{8}$, nempe in 16. unciis albuminis, 14. unciæ (addendo 4. ſcrupulos) *inſipidæ aquæ* contineantur.

2) quod accedente *leni calore* in principio ex albumine ovi nihil aliud, quam *pura ejusmodi aqua* ſenſim ſenſimque exhalet;

3) quod, cum etiam ova prius *ad duritiem cocta fuerint*, totum ovum tantum unum circiter ſcrupulum, vel drachmam ſemis, de priſtino pondere ſuo amiſerit, & tamen ſub inſtituta albuminis hujus cocti deſtillatione, in principio *ſimile pondus aquæ* tranſierit.

4) quod adeoque circa ejusmodi tractationes & exhalationes albuminis ovi, omnes reliquæ partes conſtitutivæ,

nempe prædictæ *ſalinæ*, *oleoſæ* & *terreæ* ſimul reſtitent & firmius inter ſe coëant.

Porro etiam quilibet nunc concludere poterit:

1) dum *PARACELSUS* albumen ovi ſoli expoſuit,

2) reliqui vero Auctores ova ad duritiem coxerunt, & unus eorum oblivioni ea tradidit, & poſt aliquod tempus demum ex eo loco, in quo latitaverant, protraxit;

3) alter ea ad parietem ſuſpendit, &

4) tertius ea ſcrinio incluſit, ibique per aliquod tempus detinuit; quod, cum poſtea ova ita indurata in ſuccinum, vitrum ſuccineum, ſubſtantiam corneam, vel plane incorruptibilem *commutata* fuiſſe autumaverint,

A) durante hoc immutationis actu nihil aliud evenerit, quam *lenis exhalatio* & ſeparatio *aquæ*, ſive phlegmatis, & quod

β) reſiduum, adeoque ſolum Albumen, leniter digeſtum, ab aqua ſive phlegmate ſeparatum, conſequenter ſenſim exſiccatum, atque induratum, de reliquo autem priſtinis ſuis partibus conſtitutivis adhuc præditum nonniſi magis concentratum quoddam mixtum, minime autem vel vitrum, vel ſuccinum, vel cornu, vel ſimpliciter incorruptibile quid, conſtituere potuerit.

Ut autem horum omnium pleniorem obtinerem certitudinem, ſpeciatim quoque prædictas tentavi immutationes, & ubique, ſi quæ ullibi dubia mihi adhuc occurrebant, propriis manibus experimenta inſtitui. Hinc

1) æſtivo tempore 2. uncias cum 2. drachmis, crudi, vel recentis Albuminis ovi ſumſi, vitroque paululum capaciori inditas & leviter, pro avertendo pulveris acceſſu, tectas ejusmodi in loco collocavi, quem interdiu radii ſolis continuo illuſtrabant.

2) Se-

2) Seorſim ejusmodi quantitatem recepi, eamque mundatæ veſicæ ſuillæ immiſi, hanc tantum ita colligando, ne peregrini quidquam incidere poſſet, & dein itidem eodem in loco ſuſpendendo.

Hæc ita per aliquot ſeptimanas ibi reliqui, ſucceſſive tamen ſedulo obſervans, quod inſenſibiliter minuerentur, ſuamque fluiditatem amitterent, ſpiſſiora, firmiora, ſicciora, & tandem *plane ſicca* redderentur. Tumque pondere eorum examinato, prius, quod in vitro obſervatum fuit, drachmas duas cum dimidia ponderavit, adeoque de eo 2. unciæ (ſubducta drachma dimidia,) exhalatione ablatæ fuere; poſterius, quod in veſica ſuilla aëri expoſitum fuit, ponderabat 2. drachmas & 2. ſcrupulos, adeoque quoad ſcrupulum ſemis pondere ſuperabat prius. Utrumque ejusdem coloris erat & conſiſtentiæ, nempe ad inſtar *ſuccini*, vel etiam ex parte adinſtar *Gummi Arabici*.

3) Poſtea eadem tentamina inſtitui etiam cum *albumine ovo cocto*, cum *vitello ovi cocto*, & cum integro *ovo cocto*, ubi

α) albumen unicum coctum, remoto vitello, ponderabat 6. drachmas & 25. grana, poſt exhalationem vero phlegmatis in aëre & exſiccationem, ponderabat 2. ſcrupulos & 15. grana

β) aliud albumen, quod in duas partes diſſecui, vitellum ſimul removendo, ponderavit poſt coctionem 6. drachmas 2. ſcrupulos & 7. grana, ſeu 7. drachmas, addendo 13. grana; poſt expoſitionem vero in aëre factamque exſiccationem, tantum 2. ſcrupulos & 12. grana, quæ differentia exigua vel a majori magnitudine ovi ipſius, vel a longiori aut breviori coctione ovorum dependet.

γ) Ulterius *coctum vitellum ovi* eadem ratione aëri calido expoſui, ponderabat ille, prævia coctione $4\frac{1}{2}$.

drachmas & 6. grana, poſt exſiccationem autem $2\frac{1}{2}$. drachmas, unde luculenter adparet, quod in vitello *tanta aquæ copia*, ac in albumine, nullatenus exiſtat; proinde etiam vitellus ovi exſiccatus plane *non eſt pellucidus*, prout exſiccatum albumen, ſed eadem ratione quaſi farinaceus & opacus, ſicuti coctus niſi quod magis induratus ſit.

δ) Denique etiam *integrum ovum*, antea tamen ad *duritiem coctum*, ſeparato prius cortice, eadem ratione aëri expoſui: Pondus ejus poſt coctionem & teſtæ ſeparationem æquabat unciam unam, drachmas quatuor cum dimidia, & 7. grana; exſiccatum vero non niſi 3. drachmas & 16. grana; utraque eundem colorem referebant, qualis in ante dictis ſeparatim induratis partibus conſpiciebatur.

Quo igitur eo certius cognoſcerem, quid proprie *induratum hoc*, pellucidi ſuccini vel ſemidiaphani Gummi Arabici formam induens *albumen ovi* jam ſit? & an, præter deperditam aquam etiam in reliqua ſua mixtione deſtructum ſit? vel an de reliquis ſuis partibus conſtitutivis aliquid ſimul amiſerit? ideo indidi certam exſiccati hujus albuminis quantitatem (ſecundum proportionem prioris cum crudo albumine inſtituti laboris,) Retortæ vitreæ, per gradus dein deſtillando, hacque ratione ſimiliter eadem producta & tantumdem olei, ſalis volatilis & ſpiritus urinoſi, una cum reſtante terra obtinui, qualia ex crudo albumine, excepta ſaltem aqua, prodierunt.

Hac ratione nunc liquido mihi conſtabat, quod pellucida iſta materia ſecundum externas & internas ſuas proprietates nullo modo idem proprie ſit, quod præfati Auctores adſeruerunt, ſed adhuc dum verum *albumen ovi*, omnes priores partes conſtitutivas adhuc continens, a calore ſaltem quodammodo digeſtum, poſtea vero *mere exſiccatum*, vel a maxima aquæ quantitate liberatum; prout quilibet facile

omnia

omnia hæc denuo examini ſubjicere, hujusque veritatis itidem certiorem ſe ſe reddere poterit.

a) Non eſt *ſuccinum*, vel *carabe*, ut *PARACELSUS* adfirmavit, licet externam ejus formam referat. Succinum enim

1) eſt *Bitumen*, ad regnum minerale pertinens,

2) eſt longe *firmius* & ſolidius,

3) nec *ab aqua* extrahi, vel ſolvi, multo minus in putrefactionem deduci poteſt,

4) longe quoque aliud oleum & ſal volatile vehementi deſtillatione ſuppeditat, quam animalia.

Oleum ſuccini eſt oleum bituminoſum, ad inſtar veri olei Petræ, ejusque ſal eſt acidum, & non tam ob volatilem odorem, verum propterea tantum ſimul *ſal volatile* adpellatur, quia deſtillatione & ſublimatione elevari poteſt, ignem fortiorem fugit, & parietibus vaſis recipientis ſalis inſtar adhæret.

E contrario

1.) Albumen ovi induratum eſt *animale*,

2.) *Firmitate* priori longe cedens,

3.) in *aqua* utique *ſolubile* eſt, & ad *putrefactionem* facile diſponi poteſt, inſuperque

4.) deſtillatione eodem igne aperto inſtituta *ne minimum* quidem ejusmodi olei & ſalis, qualia e Succino elici ſolent, largitur, ſiquidem oleum æque ac ſal & liquor ſpirituoſus, empyreumatico-*urinoſæ alcalinæ* indolis, adeoque toto cœlo a priori differentes ſunt.

Multo minus etiam

b.) induratum hoc albumen ſimplex quoddam *vitrum*, nedum ſuccineum, vel aliud aliter comparatum vitrum conſtituet, dum nec duritiem, nec firmitatem, nec fuſibilita-

tem in igne, nec fixitatem, nec ullam aliam vel *minimam Vitri proprietatem* poſſidet, ê contrario autem *fragile* & in *fruſtula facile concidens* adparet, ac ſimul per ignem, ut demonſtratum eſt, quoad *maximam* ſui *partem* deſtruitur.

c.) Neque porro illud eſt ſubſtantia *cornea*, ſiquidem cornua longe *firmiora & tenaciora* exiſtunt. Id enim, quod cornu vocamus, vel ſubſtantia quælibet de jure cornea adpellanda, nullo modo tam facile diffrangi, aut in fruſtula diſſilire poteſt, uti induratum hoc albumen ovi, ut plures ejus hic deficientes proprietates jam taceam. Proinde etiam non video, qua ratione

d.) res quædam *incorruptibilis* vocari poſſit, cum quotidie ſolummodo per aquam puram, superveniente calore neceſſario, illud ad plenariam reſolutionem & putrefactionem diſponi videamus, immo, cum etiam non tantum via humida, ſed etiam via ſicca, ignem puto, corrumpi & plenarie deſtrui queat. Meo quidem judicio id tantum incorruptibile vocandum eſt, quod *nulla ratione*, præprimis data omni opera, vel cum mediis artificialibus, corrumpi, inverti & deſtrui poteſt, quod tamen huc prorſus non quadrat. Quodſi vero BARTHOLINUS illud *durabile* vocaſſet, tunc propius rem acu tetigiſſet, ſiquidem omnino probabile eſt, quod induratum ejusmodi albumen per ſe, quamdiu *nec ignis*, *nec aqua* accedit, utique per multos annos, ſi non perpetuo, durare, ſuamque conſiſtentiam retinere valeat. De reliquo

e.) ad indurationem & exſiccationem ſæpius memorati huius albuminis nihil confert, nec *Sal*, nec *caro ſuilla* fumo indurata, nec *petaſo*; immo ne quidem *coctio* cum communi dulci aqua neceſſaria eſt, dum ſcilicet illud purum, *crudum*, prout ſuperius adnotavi, absque aqua, absque coctione, absque carne fumo indurata, & absque ſale, indurari

rari poteſt. Multo minus hanc exſiccationem *Feſtum Paſchale*, vel *ſingularis quadam conſtellatio* requiritur, ſed cum PARACELSUS *Solis* radios huc requirat, fit hoc tantum propter *calorem*, qui ad exſiccationem neceſſarius eſt; ſi enim opus fuerit, etiam absque ſole, *methodo* quadam *artificiali*, ſimilis effectus obtineri poſſet.

Sic ergo nunc ex omnibus adlegatis circumſtantiis luculenter ſatis adparet, quod productum hoc proprie nihil aliud ſit, quam priſtinum, maxima tamen ex parte aqua orbatum, & proinde plenarie *induratum* albumen ovi.

Eſt enim pellucidum, debiliter flavum, fuſcum, quin etiam interdum ex *rubro flavum*, adeoque externa facie utique ad ſuccini, vel Gummi Arabici ſimilitudinem accedit, revera tamen *neutrum* horum, nec etiam adeo firmum eſt. Quod ſuccinum non ſit, jam ſuperius demonſtravi, quod vero etiam *nec Gummi, nec Reſina* ſit, ex eo facile colligi poteſt quia liquorem, oleum & ſal volatile alcalicum, ſive *urinoſum*, ſuppeditat, quale quid nec gummi, nec reſina largitur.

Cum quoque ob tantam aquæ, ſeu phlegmatis, jacturam & adhibitum propterea calorem, utique non levis *alteratio in mixtione* ac proportione ingredientium inducta fuerit, nulla utique ratione ulterius adſerere poſſum, quod jam hoc albumen exſiccatum quoad omnia *ejusdem indolis* ſit, uti antea, dum tanta aquæ copia adhuc admixta erat, nec ſæpius *repetitum* illum *calorem* ſuſtinuerat: quin immo id jam *nullo modo amplius ut diæteticum* conſiderari & adhiberi poteſt non tantum propterea, quia tardius & difficilius in aqua ſolvitur, ſed etiam, quia a diuturno iſto *calore*, durante exhalatione aquæ, non *exiguam alterationem* quandam ſubiit, ita, ut propterea illud potius *noxium*, quam *utile* reputem,

ſi eo

ſi eo quis *interne* uti velit. Videtur enim mihi, ac ſi illud, ſi non ex capite putrefactionis, ſaltem ex capite digeſtionis, *aliquid* noxiæ illius proprietatis adſciverit, cujus Doctiſſ. BOERHAVE *p. 247. Vol. II,* ſuæ Chemiæ mentionem fecit, quæque ordinariam putrefactionem longe antecellere, ſimilemque cum peſtilentiali veneno activitatem perniciosam exſerere perhibetur.

Summa igitur & cardo totius rei, circa ejusmodi indurata ova, vel etiam tantum circa albumina quocunque demum modo exſiccata, eo potiſſimum redit,

1.) Quod fundamentum ſeu cauſa efficiens totius hujus mutationis nihil aliud ſit, quam *lenis calor* & exhalatio partium aquoſarum,

2.) Quod albumen, vel etiam totum ovum, firma ſua teſta deſtitutum & privatum eſſe debeat, eo caſu ſi adhuc *recens*, vel in *forma*, ſua *fluida* conſtitutum fuerit; ſiquidem alias, prout abunde notum eſt, facilius putrefactio albuminis & vitelli, quam exhalatio & induratio *in occluſa teſta* per calorem induci ſolet;

3.) Quod e contrario in ovis, jam ad *duritiem coctis*, itemque recentibus caſu forſitan *rimam aut rupturam in teſta*, eique ſubjacente *membrana*, nactis, dum ſic vaporoſa exhalatio non impeditur, utique ſucceſſiva induratio pariter evenire queat;

4.) Quod hæc exhalatio quolibet in loco calido, non tantum in aprico, ſed etiam, durante æſtivo tempore, ſub tecto, vel aliis calidis domus locis, ſive in feneſtra, ſive ad parietem, in ſcrinio occluſo, vel omnibus aliis in locis, dummodo iſta albumen ambiens aëris regio calida exiſtat, demum etiam hieme, vel omni

alio

alio tempore in hypocauſto calido, vel alia ratione temperate calida reddita camera, fieri & inſtituti poſſit.

Reliqua ſatis numeroſa adhuc, *cum albumine aliisque ovi partibus* a me inſtituta experimenta, fuſius explanata ſiſtam, quando diverſas iſtas de *Ovo* habitas Lectiones publici juris facturus ſum; ſiquidem in præſentiarum non niſi ea quæ obſervationem de albumine ovi indurati ſpectant, eamque illuſtrare, aut confirmare poſſunt, in medium proferre placuit.

OBSERVATIO LVI.

Dn. D. JOAN. HERMANNNI FÜRSTENAU.

Varia & decretoria ſymptomata in gravida matri & fætui innoxia.

Fœmina nunc fere quadragenaria, decem liberorum mater, in ſecundo puerperio ab imperita obſtetrice imprudenter tractata, prolapſum uterinæ exinde retinuit vaginæ, quolibet deinde geſtationis tempore maxime moleſtum, cui varices in utroque femore, & crure utroque, ingentis magnitudinis, eodem tempore junctæ, moleſtiam dictam non parum auxerunt. Sed nono & decimo geſtationis tempore hiſce mirum quantum adauctis, inceſſum, ſitum, motum corporis quemlibet valde impedientibus, alia inſuper, eaque peſſimæ notæ ſymptomata acceſſere, febris nimirum lenta, ab hectica parum diſtans, & corpus reliquum, abdomine & pedibus paſſim, & per intervalla tumidis exceptis, exſuccum, & ſceleti inſtar tabidum conſumtumque reddens, ſuperveniente inſuper ad ultimum ſcabie & ictero, habitum corporis, mammas & fa-

ciem cumprimis fœdo colore ulceribusque deturpante, ut, cachexiam non unam in ἀκμῇ te conſpicere, jurares, ægra vix ſpirante, nedum ſperante de propria & fœtus vita; quæ tamen omnia, edito binis ex ordine vicibus, juſto tempore, partu non adeo laborioſo, fœtu ſano, & in hunc usque diem utroque ſuperſtite, in totum evanuere, ægraque puerpera, exantlatis puerperii moleſtiis, cum valetudine in gratiam rediit.

Inter præſidia non magno numero uſurpata venæſectio per utrumque geſtationis tempus bis vel ter, & brevi ante partum inſtituta, primum meretur locum, in fœmina humorum, quamvis non adeo laudabilium, abundantia laborante; hinc vero præter pulveres temperantes, digeſtivos & nitroſos, ad ulcera mammarum ſordida externe Eſſentiam ſuccini, interne vero Decoctum Lignorum, occaſione interdum ferente, & perfunctorie magis, quam data opera uſurpavit. In primis vero pilulas balſamicas tum ante, tum poſt partum frequenter, & cum inſigni fructu adſumſit, utero cum toto corpore lente & blande hinc evacuatis, & ab humorum noxiorum colluvie liberatis, ſicque omnibus ad priſtinum tonum redeuntibus. Illud denique prætermittendum non eſt, cum ex addephagia, & ventriculi adeo vitio, ac cruditatibus nidoroſis inibi collectis, & diu ſtabulantibus pleraque ſi non omnia, ſupra dicta ſymptomata originem trahere, haud inani conjectura conſtaret, ægra tandem, licet invita, inedia, quiete, abſtinentia, conſulto ſibi a Medico commendatis præſidiis, jam ante partum ſymptomata pleraque non equidem ſuperavit, tolerabilia tamen facta fuiſſe, experta eſt.

OB-

OBSERVATIO LVII.

Dn. D. JOANN. HERMANNI FÜRSTENAU.

Spaſmus ventriculi cum variis ſymptomatibus.

Fœmina 40. fere annorum, quæ diu non amplius peperit, menſibus paucis, fluore albo, aliisque ſymptomatibus adflicta, utcunque tamen hactenus vixit, &, ſi famæ fides, vagæ libidini ultra modum indulſit, indeque in ſuſpicionem contagii venerei venit, perpetuo enim cauſaria, faciem cretæ inſtar albicantem corpusque cachecticum præ ſe ferens, varia a Medicis & empiricis emetica, cathartica, &c. uſurpavit, non omiſſo Lignorum Decocto, a chirurgo caſtrenſi propinato. Sed hiſce nil quidquam juvantibus, quin nauſea, vomitu, anxietate præcordiali poſt partum urgente, febre lenta, vario ſub typo indeſinenter vexata, opem quærit ulteriorem a Medico, qui quam in ſimili caſu cum fructu pluribus aliis adhibuit, huic quoque ægrotæ, nec absque effectu ſperato, adplicavit medendi methodum. Præmiſſis nempe & interpoſitis univerſalibus, catharticis, emeticis, ipſaque venæſectione & pediluviis ad menſium imminutionem, ventriculique cruditates egregie facientibus, modo juſto adhibeantur tempore, auxiliis, pilulis quoque balſamicis, & eſſentiis ſtomachicis, tonicis, infuſisque theiformibus neutiquam neglectis, pulveribus temperantibus, digeſtivis abſorbentibus, nitroſis cum cascarilla & cinnabari mixtis, & pomeridie aliquoties uſurpatis, atque diutius per intervalla continuatis id B. D. impetravit, ut malum inducias primo faceret, tandemque in totum remitteret; ita tamen, ut ad cruditates nidoroſas, diu negotium faceſſentes, ac ſcenam tacite ludentes, (id quod plu-

bus aliis in ægrotantibus identidem notavit,) eſſentiam Clauderi alexipharmacam, ex fuligine & menſtruo alcalino paratam, haud absque ſucceſſu optato propinaret.

OBSERVATIO LVIII.

Dn. D. JOANN. HERMANNI FÜRSTENAU.

Adfectus hyſterico ſpasmodici lethales an a contagio venereo?

Spasmodica ſymptomata noſtra ætate plusquam familiaria & ſub vario typo in utroque ſexu ſcenam ludentia occurrere, conſtat; eademque a variis excitari & foveri cauſis, tam in celeb. *Dn. D.* BUCHNERI *Miſcellan. phyſ. med. mathemat. An. 1730. M. Jan. p. 835.* quam in Diſſert. *de Uſu & abuſu acidularum in Adfectibus ſpasmodicis*, oſtenſum eſt. Plerumque tamen periculo carent, & quos, vel quas ſemel invaſerunt, ad ſeram usque ſenectutem comitari ſolent, nullis facile remediis cedunt, illis tamen, quæ l. c. laudata ſunt, exceptis. Quo vero h. t. ſunt frequentiora, eo majorem attentionem penes intelligentes merito excitant, præſertim quando, rarius licet, funeſta fiunt. Cujus quidem eventus cum duplex mihi, idque notabile valde exemplum, in ſequioris ſexus ſubjectis, mediæ ætatis, notare licuerit, in eam incidi conjecturam, annon utrobique contagium forſan venereum potiſſimum in culpa fuerit, ſcabie rebelli & ferina in altera, in altera vero fluore albo febre lenta & ſimilibus ſuſpectis admodum ſymptomatibus, utrinque autem vita ante acta, & fruſtraneo optimorum præſidiorum uſu, fidem facientibus. Licet enim varii generis medicamenta, ſpeciatim vero pillulæ balſamicæ, Eſſ. alexiph. Clauder. Caſtor, pulveres abſorbentes ſalini & nitroſi

troſi cum caſcarilla, ut ſæpius alias, ita hic quoque ſalutarem ab initio præſtare viderentur effectum, nunquam tamen conſtans fuit levamen, quin utraque aliquot menſium ſpatio, exquiſitis abdominis doloribus miſere confecta, tandemque viribus omnibus exhauſta fatis cederet; ſectione cadaveris utrinque vel non conceſſa, vel certis de cauſis intermiſſa, ut incertum etiamnum ſit, an conjectura mea vere, an minus fundata ſit. Quare eandem non niſi probabilem & ſub formidine oppoſiti venditans aliis ad minimum, quibus in ſimilia inquirendi uberior forſan ſuppetit occaſio, ſubminiſtrare volui, ut data illa ſollicite indagarent, an videlicet & qua forte ratione contagium ejusmodi venereum intimius admiſſum viſceribus talem adfricare poſſit labem, quæ ſpasmorum vehementiam augere, omnemque medicamentorum efficaciam eludere valeret, id quod analogia a ſcorbuto, ejusdemque ſymptomatibus, paſſim deſcriptis, hauſta utique admodum probabile reddit.

OBSERVATIO LIX.

Dn D. JOANN. HERMANNI FURSTENAU.

In caſu ab alto ſingularia.

Variam cadentium fortunam *Olao* BORRICHIO in *Actis Hafnienſibus* laudatam, & egregiis exemplis confirmatam, revera expertus eſt, vir 40. annorum, qui data occaſione plane ſingulari, ſed non æque divulganda ex ſuperiori ædium contignatione in pavimentum lapideum lapſus, in oſſe ſacro conſedit, in itinere quidem occaſione funis, attollendis & remittendis ponderibus ſervientis, non nihil remoratus; Elevatus ab adſtantibus & in lectum translatus ingentem ambulandi impotentiam mox animadver-

tit, conjuncto ſimul alvi & urinæ difficiliori & impedito ſucceſſu, ſiquidem urina per triduum fere vix guttatim prodiit, de reliquo plane ſuppreſſa fuit. Vocatus præter Medicum loci præſentem alius, & de his omnibus recte informatus, & inprimis abdomen in regione hypogaſtrica admodum inflatum, cum duriore tumore, capitis infantis magnitudinem referente, rem in ancipiti verſari, neutiquam diſſimulavit. Prior quidem Medicus multa de tono & atonia veſicæ, ejusque ſphincteris diſſerens, rem tamen naturæ viribus relinquendam, aut non niſi generalioribus auxiliis, mixturis, ut vulgo dicuntur, cordialibus, & ſimilibus tractandam eſſe autumnavit, pellentibus vero & ſtimulantibus nullum plane locum conceſſit. Alter vero operam eſſe navandam, ut Iſchuria pertinax, ſonticum certe malum, quantocius tolleretur, tanto acrius contendit, quanto majus periculum ex alvo pridem arcte clauſa, nunc perpetuo fluxu vexata, imminere videretur. Junctis itaque viribus & communi conſilio absque ulla mora pulveres abſorbentes & ſimul roborantes, ac modice ſtimulantes, ex Coralliis, ſuccino, Cinnabari, Millepedibus, Tartaro vitriolato, Nitro & ſimilibus compoſiti, parvis ſed repetitis doſibus exhibiti, ſimul & ſperma ceti cum oleo Amygdal. dulc. infuſumque ex Virga aurea, Millefolio, Hyperico, &c. exhibitum fuit, eo quidem eventu, ut ſequenti mane, & diarrhœam remiſiſſe, & prævia blanda quiete, urinam ſemel & iterum in notabili copia prodiiſſe & æger & adſtantes læti narrarent. Hinc tardius quidem plenarie tamen cum valetudine in gratiam rediit æger, niſi quod biennio fere poſt fama haud fallax increbeſceret, ægrum liberis procreandis non amplius parem eſſe, ſeu impotentia virili laborare. Quod utrumque certe phænomenon iſchuria & impotentia virilis, nullis neque urinæ ſecretioni & excretioni, neque ſeminis elaborationi dicatis organis læſis, non aliun-

de

de niſi a nervis ab oſſe ſacro prodeuntibus, & ad veſicam inteſtinum rectum & organa genitalia tendentibus, derivandum erit.

OBSERVATIO LX.

Dn. D. JOAN. HERMANNI FURSTENAV. Percuſſio Abdominis brevi lethalis.

Ruſticus 30. fere annorum, lignis e ſylva in oppidum transvehendis occupatus, equi pede in abdomine percuſſus, anxietates præcordiales vehementes, vomitum & ſingultum expertus, opem quærit. Locus percuſſionis erat in epigaſtrio, illo vero curatius examinato, nullus tumor, neque alia læſionis veſtigia extrinſecus adparuere, niſi quod duodecim fere horis ab inflicta plaga elapſis, tumor in loco præprimis læſo conſpicuus, per totum deinde abdomen extenderetur, nec niſi cum obitu ægroti remitteret. Exhibita mox remedia reſolventia, diſcutientia & temperantia, ex abſorbentibus, cinnaberinis, nitratis, aliisque, non omiſſo ſpermate ceti, & reliquis ſanguini congrumato proprie dicatis auxiliis, non quidem omni effectu deſtituta fuere, plerisque inde mitigatis ſymptomatibus, & quiete optata corpori læſo inducta; ſed paucarum intervallo horarum omnibus recrudeſcentibus, fruſtra adhibitis quoque externis, clyſteribus, fotibus, cataplasmatibus, linimentis, alvo initio duriſſima, brevi ad fluorem redacta, æger, 36. ab inflicta plaga horis vix elapſis, vitam cum morte commutavit. Sectio cadaveris licet non fuerit adminiſtrata, offerentibus quippe denegata, nullum tamen eſt dubium, quin juxta *BOHNIVM de Renunc. vulner. p. 24. & 328.* diaphragmatis notabilis læſio adfuerit, & eventus adeo tragici ac ſubitanei cauſa extiterit.

OBS.

OBSERVATIO LXI.

Dn. D. JOAN. HERMANNI FURSTENAV.

Diabetes ſpurius, cum dentitione difficili & verminatione complicatus.

Diabetes in *verum* & *ſpurium* vulgo diſpeſcitur, in quonam vero utriusque diſcrimen conſiſtat, non una eſt Practicorum ſententia Medicorum. Plerique tamen in eo conveniunt, quod in *vero* potulentorum vix adſumtorum quoad externam faciem nulla fere mutatio deprehendatur; in *ſpurio* vero urina aquæ inſtar limpidæ conſpiciatur. Verus diabetes, uti rariſſimus, & a *GALENO*, immo plerisque forſan aliis Medicis nobisque vix ſemel atque iterum obſervatus eſt; ita ſpurius frequentioribus notatur exemplis, cujusmodi notabile præ ceteris nuper admodum occurrit in puero vix duos annos nato, pulchre adoleſcente, & duplici juſtaque dentium ſerie, exceptis molaribus nonnullis, prædito. Accidit, ut horum uno exitum moliente, puer absque cauſa manifeſta, niſi quam ἀδδηφαγία huic ætati alias familiaris ſuppeditat, inſolitum præ ſe languorem ferret, & præter teneſmum, ascaridum non tantum, ſed & lumbricorum haud fallacem indicem, mirum ciborum faſtidium oſtenderet, quod tamen ludendo & blandiendo, ut facetis eſt moribus, diſſimulavit, quam moroſitate alias frequenti prodidit. His junctum eſt inſolitum & fere perpetuum urinæ limpidæ profluvium, quod tanto majorem parentibus incuſſit terrorem, quo major ſimul & pertinacior ſitis præſens & atrophia corpusculi tenelli & antea toroſi non tam imminere, quam adeſſe videbatur. Adhibitis tamen nervinis & anthelminticis, ut & roborantibus ac demulcentibus, in quibus æthiops mineralis, terra catechu

chu, ipſumque nitrum cum ſalibus digeſtivis & abſorbentibus mixtum primas tenent, puer b. D. brevi convaluit, poſteaquam præter lumbricos paucos, materiam purulentam & mucoſam, cruore permixtam, alvo aliquoties excrevit. Horum cauſam phænomenorum & complicationum non equidem inepte, a diſtributione paris nervorum vagi & intercoſtalis, per os, canalem inteſtinorum & varia abdominis viſcera, ipſasque vias urinarias, ſed & pari forſan jure a fluore quodam ſanguinis & lymphæ, in ſalivatione, alias dentitioni familiari, conſpicuo, vel etiam a punctura vermium in vicinia morſicantium, derivare licebit.

Scholion.

Adfectum hunc fuiſſe ſpasmodicum, talem vero æque ac vitia urinæ, cum inteſtinorum lumbricis notabilem alere conſenſum, *Obſerv. LXV. lib. I.* Clariſs. PECHLINI fidem facit, cui titulus præfixus eſt: *Mortis verminoſæ ſubdolæ ſpecies*, non ſine jucunditatis, ſed & commiſerationis ſenſu, ſi diritatem adfectus conſideres, tota perlegenda.

(*Rintelio Erfordiam transmiſſa d. 8. Julii 1737.*)

OBSERVATIO LXII.

Dn. D. TOBIÆ FERDINANDI PAVLI.

Fœtus ex caſu deturpatio.

Summum ſapientiſſimumque univerſi hujus creatorem, id ipſum certis quibusdam, & quaſi immutabilibus adligaſſe, immo ſubjeciſſe legibus, quilibet attentus cauſarum naturalium, earumque effectuum contemplator animadvertet. Has leges philoſophorum cohors generali voce

ce *naturæ* indigitare conſuevit: interdum tamen illas etiam quasdam limitationes, pro varietate circumſtantiarum interveniencium, pati, cum admiratione, immo ſtupore obſervamus, omiſſis innumeris, quæ in vaſto naturæ ambitu quotidie contingunt, ſi arduum *generationis* & *formationis fœtus* negotium paulo accuratius contemplemur, ſtupendas obſervare licet animæ, ejusque faculatis, phantaſiæ, pro varia ejusdem a diverſis cauſſis adfectione, vires, adeo, ut ordinarias leges eximie immutare, ſi non plane transgredi videatur, teſtantibus de eo compluribus, Medicorum, Philoſophorum & Hiſtoricorum ſcriptis & relationibus. Non minus etiam obſervatu dignum eſt, quod non ſemper violenti, ſed & placidiſſimi motus, animam in fœtus formatione turbare valeant. Sic mulieris cujusdam gravidæ, ſub moro verſantis, cui mora plurima in diverſas corporis partes deciderant, licet eadem non adeo avide adpeteret, fœtum, juſto tempore excluſum, ſequioris ſexus, variis in locis, verrucis, mori fructum referentibus, reſperſum fuiſſe, Sennertus auctor eſt, cui nunc aliud quoddam, ex cauſa violenta prognatum, ſubjungere lubet exemplum.

Fœmina temperamenti cholerico-ſanguinei, vertigini frequentius obnoxia, & aliquot liberorum mater, primis ingradavitionis menſibus per ſcalas præceps fertur, & caput in parte poſtica graviter adlidit, indeque tandem ſeptimo menſe abortum patitur. Fœtus erat ſexus virilis, per bihorium vitalis, & quoad ſingula membra perfectus, ſolo capite excepto, cujus occiput admodum deformatum prorſusque depreſſum & planum erat. Aperto cranio cerebri æque ac cerebelli, quoad ordinariam ſubſtantiam & conformationem, ne veſtigium quidem adparebat, ſed loco horum maſſa quædam confuſa & informis, grumoſi inſtar ſanguinis, peculiari tunica obducta atque incluſa, conſpiciebatur, quæ procul dubio cerebri & cerebelli, ex gravi lapſu & forti

matris

matris impreſſione deperditi vices ſupplere debeat, medul-la ſpinali interim integra atque illæſa ſubſiſtente.

OBSERVATIO LXIII.

Dn. D. TOBIÆ FERDINANDI PAULI.

Fœtus menſtruatus.

Purgationis menſtruæ negotium in ſequiori ſexu magni ſolet eſſe momenti, ſatisque exactam ſemper meretur attentionem, ſive illud theoretice, ſive practice, aut therapeutice ſpectetur. Excretione enim hac naturaliter conſtituta, ſexus illius ſubjecta a variis, iisque moleſtiſſimis morbis præſervantur, ſecus a multifaria motuum morbificorum ſyndrome oppreſſa, miſerrimam degunt vitam. In primis vero in juvenculis tributum lunare multum negotii ſæpius faceſſit, ante quam prima contingit eruptio, juſtumq; in ordinem redigitur. Quantæ hic exaudiuntur querelæ & quam perverſæ medicationes, pervicaces mulierculàrum tentatiunculæ, ſtolido auſu ſuſceptæ, proritationes præcoces; hinc perturbationes œconomiæ animalis totius, cum valetudinis jactura experiuntur. Huc ſpectat quoque anomalia, qua ſæpe ingenti cum moleſtia, modo per canthos oculorum, nares; vel aures, modo per gingivas, digitorum apices, per mammarum ſororiantium papillas, porro per umbilicum, per crura, veſicam, immo per alvum, excretionem talem ſanguinis contigiſſe obſervatum fuit. Interea rarius quoque evenit, ut menſtruus hic fluxus in infantibus recenter natis occurrat, cujusmodi exemplum idcirco in medium producere lubet.

Uxor ſutoris Uratislavienſis viginti novem annorum, ante triennium, absque magno labore, puellam enixa eſt, ſatis quidem formoſam, quodammodo tamen debilem, &

 tene-

tenerioris conſtitutionis. Mulier fœtus hujus curam gerens, linteamina deprehendit circa genitalia ſanguine tincta, remque hanc inſuetam puerperæ ſtatim indicat, quæ inde perterrita, quantocius id mihi nunciari jubet. Cum ergo fœtui nullam illatam fuiſſe violentiam intelligerem; ipſe mirum hoc accidens inveſtigaturus, ad puerperam accedo, ſolutisque faſciis novam ſanguinis floridi maculam, ſub genitalibus adparentem, conſpicio. Ulterius hinc ſciſcitans, an fœtus jam ſuxerit, quidque mammæ præbeant? omnia recte ſe habere, neque puellulam ejulatu, aliisque geſtibus, dolorum vel torminum ſuſpicionem dare, percipio. Ulteriorem ergo attentionem & puerperæ & adſtantibus ſerio commendans, inprimis juſſi, ut feces probe inſpicerent, quidve porro eveniret, mihi nuntiarent. Sic ergo & ipſe vidi & ex puerperæ aliarumque fide dignarum mulierum relatione certior redditus fui, ſincerum ſanguinem, per octiduum, ex genitalibus effluxiſſe, puella interim ſalva ſanaque permanente. Mater, durante geſtationis tempore, bis venam ſecari curavit, ceterumque integra gaviſa fuit valetudine, exceptis crebrioribus narium hæmorrhagiis, & febre tertiana intermittente, per tres ſeptimanas durante. Puella ipſa vero, in hunc usque diem, vegeta & ſana vivit, fluxumque ſanguinis non amplius experta, feliciter quoque variolas ſuperavit.

OBSERVATIO LXIV.

Dn. D. TOBIÆ FERDIN. PAULI.

Paralyſis manuum febre curata.

Morbum unum in alterum degenerare, plures eorum complicari, immo alterum ab altero exſuperari, & curari

curari per experientiam Practicorum cuilibet abunde jam innotuit.

Mulier quinquaginta annorum, cholerico-melancholica, multis laboribus, curis & aëris injuriis attrita, cum colica nephritica ſubinde conflictari neceſſe habet, quam pathemata hyſterica ordinarie excipiunt; alvo inſuper, quando etiam ſana ſibi videtur, ſæpe per integrum octiduum conſtipata. Hæc, circa æquinoctium vernale hujus anni, chiragra adficitur, digitis manuum ſub acerbiſſimo dolore rigide contractis. A medicamentorum internorum uſu prorſus abhorrens, & idcirco varia externa, v. gr. linimenta & ſuffimigia proprio auſu paulo crebrius & diutius in uſum trahens, eo tandem rem deduxit, ut plenaria paralyſis brachia manusque infeſtaret, remanente tantum obſcuro doloris ſenſu. Summe abinde perterrita conſilium medicum requirit; aſt, cum præſcripta blandiora laxantia, diaphoretica temperata, infuſaque theeformia nervina & ſanguinem depurantia, per aliquod tempus uſurpata, non ſtatim ſperatum præſtarent effectum, cura tandem, ob ægræ moroſitatem, & medicamentorum averſationem, abrumpitur. Vires atque adpetitus ciborum utcunque conſtabant. Dolores in manibus, (tamquam certiſſimum ſuperſtitis adhuc energiæ naturæ indicium) ſubinde recrudescebant ac invaleſcebant, motus quoque liberior quodammodo reſtituebatur. Tandem febris intermittens tertiana, arbitri optimi vices gerens, superveniebat, quæ ſpatio trium ſeptimanarum hanc paralyſin perfecte ſuſtulit, priſtinamque ſanitatem ægræ, de eadem fere deſperanti, feliciter conciliavit.

OBSERVATIO LXV.

Dn. D. TOBIÆ FERDIN. PAVLI.

Fecum alvinarum ſanguinisque excretio ex inguine exulcerato.

Summi numinis ſapientiæ abyſſum, inter innumera illius opera, etiam tortuoſo inteſtinorum canali admirari licet, ſive miram & ſtupendam eorum texturam, ſive varios & quandoque prorſus extraordinarios morbos ſpectes, quibus idcirco ſequentem jungere placet caſum. Uxor Zythopœi, viginti quinque annorum, carnoſi corporis habitus, ad cachecticum tamen ſtatum declinantis, ante quinquennium primum ſuum partum, ob grandiorem fœtum, laborioſe ſuſtinet. Abhinc tuberculum durius, juglandis magnitudine, in inguinis dextri ſuperiori parte, ſed indolens, ſentit; biennio vero præterlapſo, ſuppreſſionem menſium, cui ſæpius alias obnoxia fuit, animi deliquium frequentius recurrens, aliaque novæ conceptionis indicia experitur. Interea tardior alvus ipſi ſubinde multum faceſſit negotii, cui borborygmi, flatus ægerrime prodeuntes, & tandem tormina moleſtiſſima junguntur. Tentatis incaſſum plurimis, ad clyſteres emollientes confugit, ſed itidem absque ullo effectu: mox enim animi deliquium, ructus, nauſea, vomitus & ſternutationes ſuccedunt, clyſterque unacum fecibus ſuperius eliditur. Ægra ſub his tumultibus tandem ſibi reddita, verſus latus dextrum de fragore, dolore intenſiſſimo, & exorto, eodem momento, infra ſuperius notatum tuberculum, novo tumore anxie conqueritur. Adſtantes rem ita ſe habere ſtatim deprehendunt & obſtupeſcunt. In conſilium vocatus, tumorem in inguine dextro obſervo, ovi gallinæ magnitudine, tactui cedentem, valde dolen-

dolentem, & bubonocelis ſpeciem fingentem. Igitur vires ægræ attritas & pertinacem alvi obſtructionem probe perpendens, optima interna pariter, ac externa, per aliquot dies præſcripſi remedia. Aſt peſſimo plebecularum more, me inſcio, aures pervicaci aniculæ accommodant, atque perverſas ejus medicationes admittunt; tumore interea magis increſcente, ſimulque continuantibus animi deliquiis, dolore intolerabili, alvique occluſione, ac tandem ſuperveniente inflammatione graviori circa novum illum tuberculum, quod poſtmodum ſponte plures variis in locis rupturas patiebatur, ex quibus magna ſeri corrupti copia, unacum ſcyballis, profundebatur. Peſſima interim anus, his non obſtantibus, perverſæ ſuæ methodo, (adplicando nimirum fotus calidiſſimos) pertinaciter eo usque inſiſtebat, donec maritus & cognati horum omnium pertæſi, multis eam increpationibus, ſoſtri loco, expellerent, quo facto, dein ægra, Chirurgi manum formidans, proprio auſu ſuaſuque muliercularum, emplaſtris loco adfecto impoſitis, in tantum ad minimum beneficio naturæ reſtituebatur, ut remanente unica apertura ſatis notabili, feces non ſolum per eam, itemque adſumta, parum immutata, cito & brevi mora prodirent, ſed & menſtruis periodis, dum tributum iſtud ſolenne per ordinaria loca ſolvebat, etiam ſanguinis ſinceri portio quædam ibi inſimul emanaret, nec non, poſt quemcunque vehementiorem corporis motum, pariter ſanguis, modo ſincerus, modo ſeroſus, eodem loco proveniret.

Ex his ergo probe conſideratis non obſcure eluceſcit, viſcera abdominis, & in primis inteſtina, in hac fœmina, male fuiſſe conſtituta: indicat enim hoc catameniorum frequens ſuppreſſio, pertinax alvi obſtructio, tormina atque flatus, quæ omnia tonum inteſtinorum eximie debilitare, eaque ad crepaturam usque diſtendere potuerunt. Quod vero de

reli-

reliquo inter rariores referendus ſit hic caſus, vel ex eo facile patet, quod ægra adhuc ſuperſtes ſit, & ſi non perfecta, mediocri tamen fruatur ſanitate, cum e contrario ruſticus ille, cujus *Ido* WOLFFIUS mentionem facit, ex ſimili adfectu intra brevius temporis ſpatium occubuerit; quamquam etiam alius a *Joanne* RHODIO notatus, meliorem fortunam fuerit expertus.

OBSERVATIO LXVI.

Dn. D. TOBIÆ FERDINANDI PAULI.

Hiſtoria Febris catarrhalis malignæ, vernalibus menſibus Anno 1737. Wratislaviæ & in compluribus Sileſiæ locis epidemice graſſantis.

NIhil novi ſub ſole evenire, quod non præteritis temporibus ab antiquitate fuerit obſervatum, veriſſimum eſt ſapientiſſimi regis Iſraëlitarum effatum diuturna experientia confirmatum. Idem etiam demonſtrat febris iſta, rudi jam Minerva breviter delineanda, utpote quæ non prima vice hiſce noſtris diebus in ſcenam prodiit, teſtantibus hoc compluribus celeberrimorum practicorum ſcriptis, nec non annalium, magno numero extantium, voluminibus. Facies autem illius, prout noſtra in praxi eandem contemplari licuit, talis circiter erat: Ineunte menſe Martio a. c. caput erigere, tragicumque ſcenam ludere inchoavit, poſtquam elapſo anno complures regiones duriſſima illa fereque univerſali adflictæ fuerant calamitate, quam inundatio enormis aquarum, alveos fluminum ſuorum tranſcendentium & ſegetes, prata, campos, aliaque funditus evertentium, unacum pluribus aliis deplorandis

dam,

damnis illatis, præcipue autem ſumma illa caritas annonæ, induxerat, eoque ipſo pernicioſæ hujus febris prima proculdubio fundamenta poſuerat. Primam autem certiſſimamque ejus invaſionem ordinaire indicabant præcedens inſolitus languor totius corporis, inprimis artuum, capitis debilitas, animi mœror, coryza humida, vel ſicca, raucedo, tuſſis, dolores rheumatici, per varias corporis partes vagantes, quibus dein ſuccedebat levis horror, tum æſtus plus minusve intenſus, cum moleſto præcordiorum dolore tenſivo & punctorio, in ipſo etiam dorſo, immo quandoque circa dentes ſeſe exſerente, conjuncta nauſea, quam interdum vomitus, modo bilioſus, modo pitutioſus, excipiebat. Accedebant porro vigiliæ, ſenſuum ſtupores, abalienatio mentis & deliria, modo levia, modo etiam furibunda. Hæc ipſa ſymptomata per aliquot dies ægrum miſere excruciabant, ejusque vires plane proſternebant, ſupervenientibus ſimul moderatis, vel copioſioribus ſudoribus, pro diverſitate regiminis & quantitatis medicamentorum adſumtorum. Tandem ſi natura ob morbi vehementiam ſuſcipiendis ac continuandis neceſſariis & ſalutaribus motibus ſe- & excretoriis impar erat, inſequebantur tremores labiorum & maxillæ inferioris, itemque ſingultus, ſpasmi & animi deliquia, ſub quibus etiam communiter die quinto, ſeptimo, nono, vel ad ſummum undecimo, vitam cum morte placide commutabant ægri. In quibusdam diarrhœæ plus minusve funeſtæ occurrebant, utplurimum autem alvus per plures dies adſtricta erat. De reliquo lenis, minusque coacta diapnoë, potu ſufficiente aquoſo, ſucco citri acidulato, vel infuſo calido Theæ adjuta optime & feliciſſime judicabat morbum; ſubinde tamen purpura alba, vel rubra, modo ſolitarie, modo ſimultanee, immo etiam petechiæ erumpebant fauſto infauſtoque cum eventu. Senes raro & non niſi ſporadice infeſtabantur, de-

cumbentes vero ut plurimum morti ſuccumbere cogebantur. Mediæ ætatis ſubjecta, absque ullo ſexus diſcrimine frequentiſſime hæc febris adoriebatur, & ſubinde proſternebat. Mitius agebatur cum infantibus, qui leviſſime, quandoque per tres, quatuor, vel quinque dies decumbebant: in primis illi, quibus provida ſagaxque natura modicam ſinceri ſanguinis quantitatem, ſpontanea hæmorrhagia per nares ſalutariter detrahebat. Cholerico-ſanguinei, melancholico-cholerici, ſcorbutici, guloſi & vinoſi gravius adfligebantur, mortique utplurimum tradebantur. Ex his ergo nunc merito concludere licet, febrem hanc epidemicam ad catarrhalium claſſem potiſſimum referendam eſſe, quemadmodum etiam de maligna & contagioſa ejus indole nemo facile dubitabit, ſi modo tam ingentis decumbentium numeri, quos inter & Medicorum quidam referendi ſunt, quam funerum frequentiæ aliqualem rationem habuerit. In ipſa denique curatione, cum jam ſatis conſtaret, febres hasce acutis & exanthematicis accenſendas eſſe, primarius ſemper eo directus erat ſcopus, ut excretio peripherica, quæ tunc ſemper utiliſſima ſummeque neceſſaria eſt, blande promoveretur & conſervaretur: Hinc temperata bezoardica liquida æque ac pulverulenta, magis tamen fixa, quam volatilia, quorum communiter Practici ſcriptores amplos exhibent catalogos, convenientiſſima fuere, conjunctis Decoctis ſimiliter bezoárdicis, v. g. Berolinenſium, &c. potuque aquoſo, nunc calidiore, nunc frigidiusculo. Venæſectionem, exceptis plethoricis, atque diætæ vinoſæ adſuetis, ante morbi acceſſum ſuſcipiendam, ſpecialis hujus indoles, rectaque ratio & experientia diſſuadebant. Idem de purgantibus, in primis draſticis, ſentiendum fuit. Turgeſcentia materiæ peccantis, in humoribus inordinate fluctuantis, ſi negotium faceſſeret, præter medicamenta temperantia, ſpeciatim Veſicatoria, nuchae, vel

alii

alii regioni adplicata, optatum ſemper procurabant effectum. Idem de clyſteribus, ſub diuturniori alvi conſtipatione, tempeſtive in uſum vocatis, eſto judicium.

(Wratislavia Erfordiam transmiſſa d. 19. Juli. 1737.)

OBSERVATIO LXVII.

Dn. JOANN. LEONHARDI FRISCHII.

De

Pelicano, ſive de Ardea roſtro cohleari.

Sereniſſimus Princeps, *Chriſtianus Ludovicus*, Marchio Brandenburgicus, patruus Regis Pruſſiæ FRIDERICI WILHELMI, ſub finem menſis Aprilis, paulo ante obitum ſuum, avem mihi miſit, quam in regione noſtra, & in agro Berolinenſi, in quo ſedes Principis erat ſita, venatores nunquam viderunt, ut nimirum brevem ejusdem deſcriptionem transmitterem, eamque more meo erigendam; ac pellem ita explendam curarem, ut diutius conſervari poſſet.

Propter ſingularem roſtri formam Græci hanc avem, a πελεκάω, *ſeco*, & πέλεκυς *ſecuri*, adpellarunt *Pelecanum*. A *ſecuri* ſcilicet ea, quæ fabris lignariis Germanice *Zvverch-Axt* dicitur. Latini vero ob eandem roſtri latitudinem dederunt illi nomen *Platea*, ſive *Plateola*. Angli a ſimilitudine palæ, inſtrumenti foſſorum, Germ. *Schauffel*, vocant eam *Schoffler*, teſte SKINNERO. MENAGIUS in *originibus linguæ Gallicæ*, ad vocem *écofle*, citat SKINNERUM, ſed non animadvertit magnus hic inter ſuos Etymologus, ex eadem voce Germanica *Schauffel* Gallicum *écoffle* ortum eſſe. Et

hinc non mirum cum hoc nomen tanto viro ignotum fuerit, quod imperitum vulgus id plane diverſæ avi, nempe *Milvio* impoſuerit. Germani aptiore comparatione eam, a roſtri forma cochleari, vocant *Læffler*, ſive *Læffel-Gans*, præferendum tamen eſt nomen *Læffel-Reiher*. *Anſerem* vocant propter album colorem, qui præter olorem, in aliis hujusmodi magnitudinis feris, & in aqua natantibus avibus, rariſſimus eſt. Deinde, quia eam viderunt natantem: prædam enim in profundioribus aquis natando interdum perſequitur, longoque roſtro & collo protrahit. Proinde etiam analogiam quandam ſecuti ſunt: Habemus enim anatum ſpeciem, quam propter eandem roſtri latitudinem vocamus *Læffel-Ente*. Hac interim occaſione GESNERI obſervationibus, figuræ hujus avis, quæ *p. 166.* Libri *de Avibus*, extat, ſequentia addere placet:

1.) in aulis quorundam Magnatum & Principum inter aves rariores etiam pelecani cicures habentur, e. gr. Petroburgi.

2.) Roſtri figuram propter longitudinem & latitudinem *Tab. V. Fig. 2.* adpingi curavi, ne prolixiori deſcriptione hic opus ſit, in qua lit. a. a. a. a. iridis oculorum rubicundæ particulam; *b. b.* limbum nigrum in fronte; *c. c.* nares; *d.* ſpatii in latiore roſtri parte luteum colorem monſtrat, reliquum enim roſtri nigrum eſt, excepto limbo ejus, qui dilutiore coloris obſcuritate ſe diſtinguit, & intra limbum, exceptis extantioribus partibus, quæ per frictionem aliquid nigri coloris omiſerunt & luteæ ſunt. In Geſneriana figura dentes roſtri molliores, quos anates, mergi, & aliæ aquaticæ aves in ſuperiore & inferiori roſtri parte habent, exprimendi ſunt. Per eos enim aqua, tamquam per duplicis roſtri interſtitia, ê roſtro effluit, remanentibus partibus cibi craſſioribus. Propterea inferior pars

roſtri

roſtri tantam cavitatem, quantam *GESNERI* figura monſtrat, non habet. Nec eam

3) lingua hujus avis, quæ breviſſima eſt, requirit: Niger quoque frontis limbus ad radicem roſtri ſaltem umbra indicari debuiſſet.

4) Plumas longiores in pectore, quas in *GESNERI* figura ſculptas video, in pelicano, quam ego in manibus habui, non obſervavi.

5) In ſtomacho, quem longiorem habet, ut piſci alicui integro, & quidem non e minimis, ſpatium ſit, inveni multa cochlearum aquaticarum fragmenta, indicia cibi ſui ordinarii.

6) Pedes in *GESNERI* figura nimis craſſi ſunt, multo tenuiores habet hæc ardea.

7) Squamæ, quæ pedes tegunt, ſexangulares ſunt.

8) Cutis, quam palmipedes aves inter digitos pedis habent, angulum eorum tantum usque ad ſecundum articulum cujuslibet implet. Nam propter pedum longitudinem, qua majorem aquæ profunditatem attingere poſſunt, commodius natat parva hac cuticula, quam anates brevibus ſuis pedibus, & multo latiore cute in minore aquæ profunditate.

9) In albo collo exprimendus eſt luteus annulus, qui illud cingit.

10) Ingluviem ad pectus nullam inveni, quam in aliis avibus obſervamus.

11) In confinio colli & roſtri, ſub gulæ initium, ſaccus eſt inplumis, cute rubicunda, qui poteſt in rugas ſuas colligi, ut nihil ejus extet, cibus tamen pugni magnitudine ingeri poteſt, ibique retineri, donec ſtomachus eum, quo repletus eſt, digeſſerit. Commodum etiam retinaculum eſt, ad ſervandum cibum, quo pullos alunt, quemadmodum ci-

coniæ, e quo in nido, cibum pro pullis collectum, facilius evomere poſſunt.

12) Ungues tandem in Gesneriana figura ſculptor nimis acutos fecit.

Hujusmodi errores multos in editione figurarum omnium propemodum avium in Germania correxit, quarum prima e duodecim claſſibus, quibus omnes in mundo aves continentur, cum dimidia ſecunda jam abſoluta eſt, & Berolini venalis proſtat apud filium meum *Ferdinand. Helffreich Friſch*, qui eas in aëre ſculpſit. Minores aves ea magnitudine ſunt, quam vivæ habent; majorum adnotata eſt menſura. Coloribus præterea pictæ ſunt, quos in exemplaribus ad vivum, ut dicunt, erectis in Ornithophylacio meo monſtrare poſſum, ad incrementum egregiæ hujus partis hiſtoriæ naturalis; ne doctis amplius figuræ rudiores, quales in *ALDRVANDO* & *GESNERO* in ligno ſculptæ ſunt, aut in *JONSTONO* in aëre quidem ſculptæ, ſed ſimilitudine naturali prorſus deſtitutæ, occurrunt, faſtidio ſint.

(*Berolino Erfordiam miſſa d. 2. Auguſti 1737.*)

OBSERVATIO LXVIII.
Dn. D. JOANN. GEORG. HOYERI,
De
Raris & curioſis in anatomicis variorum cadaverum ſectionibus repertis.

Anatomicos, cadavera frequenter ſecantes, nec per tranſennam, ſed per dioptram inſpicientes, rariora & inſolita varia, quorum adſpectu inexperti & minus exercitati obſtupeſcunt, ſæpiſſime reperire ac detegere, ex ſcriptis & obſervationibus illorum paſſim eluceſcit, unde optandum merito eſſet, ut ab omnibus ejusmodi curioſa ſedulo

ſedulo notarentur, & cum publico communicarentur, quemadmodum *Realdus COLUMBUS*, ſolertiſſimus in Gymnaſio Romano Anatomicus, ea, quæ rarius in anatome reperiuntur, in peculiari tractatu deſcripſit, inter quæ inprimis notabilis eſt totalis Pericardii defectus in ſtudioſo quodam obſervatus, unacum pluribus aliis. Celeberrimus *Guido PATINUS in Epiſtolis Gallicis p. 91.* Hepar in ſiniſtro, lienem vero in dextro hypochondrio locatum notavit ſequentibus: *Un de nos Docteurs, nommé* Renier, *ayant obtenu en vertu de la Requête, que je luy avois ſignée comme Doyen, le corps d'un de ceux, qui furent rouez, il y a trois ſemaines, pour en faire des operations de chirurgie en ſa maiſon, on y a remarqué une choſe fort extraordinaire, ſavoir le foye du coté gauche, & la rate du coté droit. Tout le monde a été voir cette particularité & méme Monſieur Riolan, qui eſt ravis d'avoir vû cela. Monſ. Renier en fait ut petit diſcours, qui ſera imprimé à ce qu'il m'a dit.* Sed quod magis admirandum, Hepar plane defuiſſe in *Matthia Ortelio*, *Thomas BARTHOLINUS* obſervavit in *Anatom. lib. I. c. XIV.* cujus dein etiam non abſque admiratione mentionem facit honoratiſſimus quondam Præceptor noſter *Caſparus BARTHOLINUS* PP. in Academia Regia Hafnienſi, in *ſpecim. Hiſtor. anatom. corporis humani Diſp. I. Coroll. 4.* his verbis: *Vix credibile hominem ſine hepate vivere poſſe, quamvis in* Matthia Ortelio *plane defuiſſe litteris proditum ſit.* Exercitatiſſimus in alma Salana Anatomicus, Dr. *FASCHIUS*, colendiſſimus quondam præceptor noſter, plurima quoque rara prorſus, frequenter ſecando cadavera, notaverat. Sic complura crania, ſuturis omnibus deſtituta, ſe reperiſſe, in prælectionibus anatomicis referebat, ideoque ſuturarum uſum vulgo tanti æſtimatum nullius eſſe momenti ſtatuebat. conf. Dr. *ALBRECHT.* Phyſ. Hildeſienſ. in *Bontekoe* neu Gebäu *p. 155.* Porro in glandula pineali (quem *CARTESIUS* & ejus adſeclæ, *Heinr. REGIUS*,

CRAANEN

CRAANEN, & plures alii pro ſede animæ habent) ſe aliquoties reperiſſe lapillos, plures vel pauciores, adſeverabat, quos quidem Carteſianæ hypotheſi non obſtare autumabat citatus *CRAANEN*, quia hi ſuos etiam haberent poros, æque ac alia corpora. Non minus etiam ſupra laudatus *FASCHIUS* in meſenterio mulieris undecim lapillos tophaceos, piſo majores, invenerat, quos etiam adſervatos Auditoribus monſtrare ſolebat. Mulier illa dolore quaſi colico continuo ac indeſinenter vexata fuit. In liene comitis Arnſtadienſis ſeptem inciſuras obſervavit; in cadavere venatoris putridum lienem deprehendit. In magnitudinis extraordinariæ veſicula fellea cujusdam Gladiarii 1646. granula bilis concretæ reperiit, quæ curioſis etiam oſtendere ſolebat. In alio cadavere eandem veſiculam felleam octodecim lapillis refertam notavit. In cadavere maſculino Jenæ publicæ diſſecto, unicum ſaltem renem & quidem ſiniſtrum obſervavit. Fuit autem ren duplo major & duobus ureteribus præditus; ubi ſimul notandum, virum iſtum nihilominus ſeptem filios ex uxore ſuſcepiſſe, adeoque ſic refutari receptam a nonnullis ſententiam, quod e dextro rene communicetur ſanguis pro filiis, e ſiniſtro vero pro filiabus generandis. Sed hæc obiter.

Non immorabor jam recenſioni eorum, quæ ab aliis ſcriptoribus anatomicis obſervata fuerunt, ſed illa potius nunc in ſcenam prolaturus ſum, quæ in ſectione cadaverum ipſemet adnotavi. Cor ſine pericardio in ſectione cadaveris balneatoris cujusdam, violenta morte extincti, reperiebamus in vicino pago *Oberndorla* dicto, proſectore Dn. Marſchallo chirurgo jurato ſatis exercitato, qui ſimile quid nunquam in tam multis alias inſtitutis ſectionibus ſe obſervaſſe, ingenue faſſus eſt. Pulmones pleuræ firmiſſime coalitos in pluribus notavi. Calculi quoque & lapilli in multis aliis ſunt reperti, in quibus ſæpe nulla calculi ſuſpicio

antea

antea aderat. Sic in virginis tumore colli ſumme dolorifico diu moleſtatæ, tandemque defunctæ, cadavere, lapillus ſabulosus in medio tumoris inveniebatur. In puella trienni lapillus niveus inſtar margaritæ in pulmonum lobo occurrebat. In veſicula fellea Senatoris Molhuſini ſexagenarii, undecim calculi anguloſi, figuram & colorem mineræ Stanni quadrangularis ſolidæ (Zinn-Graupen) repræſentantes, conſpiciebantur. Veſicula fellea fœminæ cachecticæ duos calculos, nucem juglandem æquantes, continebat. Calculos etiam renales & ureterum in cadavere fœminæ notavimus. In cadavere Illuſtris quondam *Olai BORRICHI*, P. R. Conſiliarii & Archiatri Regis Daniæ, (qui celeberrimi *PECHLINI* elogio, Medicorum ac Polyhiſtorum ſuæ ætatis ocellus) calculus in veſica urinaria reperiebatur, inſtar ſilicis compactiſſimus, fuſci, ſeu ſubaquilini coloris, quoad magnitudinem ovum columbinum excedens, quem meis manibus ſæpius contrectavi. Laborabat enim beatus iſte vir atrociſſimo calculi dolore, ejusque tandem, prout ſæpius coram referebat mihi, pertæſus, ſectioni potius ſe ſubmittere, quam tantos dolorum cruciatus diutius tolerare, decrevit. Operationem hinc ſuſcipiebat Dn. *Buchvvald*, chirurgus Regius exercitatiſſimus; cum vero calculus ob magnitudinem & duritiem neque forcipe extrahi, neque aliis inſtrumentis diffringi poſſet, aliquamdiu poſt placida & devota mente animam Creatori ſuo reddidit. Poſt mortem denique calculus ex veſica eximebatur, & in bibliotheca ejusd. in Collegio Medico ab ipſo fundato adhuc adſervatur. E contrario in cadaveribus nonnullis illorum, qui pro nephriticis, dum vivebant, ab experientiſſimis Medicis reputati fuerunt, ne minimum quidem calculi veſtigium in ulla corporis parte deprehendebatur. In cadaveribus quorundam, febribus intermittentibus defunctorum, ſcirrhosos lienes animadvertimus, & talia ſubjecta plerum-

que antea gravia deliria melancholica, immaneſque anxietates experta erant. Lienem triangularis figuræ & juſto minorem in cadavere Lic. *URSINI*, Phyſici Molhuſini extraordinarii vidi. In vetula, in Unſtro amne ſuffocata, lienem putridum prorſus notavi, eaque melancholico adfectu plures per annos mire divexata fuerat. Diſſecui etiam aliquando fœminam, in cujus tuba Falloppiana ſiniſtra, inter veſicam urinariam & inteſtinum rectum, ſubſtantiæ rotunda oſſea, inſtar cranii humani reperta fuit, qua diffracta in ejusdem cavitate materia quaſi ſebacea, ſubſtantiæ oſſeæ adhærebat; in medio autem faſciculus crinium ejusdem fuſci coloris ac in genitalibus hujus fœminæ, pilæ marinæ minoris figuram pene repræſentans, continebatur. Oſſea hæc ſubſtantia omnium adſtantium conſenſu pro conceptione fruſtrata declarabatur, qua ovulum ex ovario motum fortaſſe monſtroſum & ineptum, vel ex errore, vel debilitate naturæ ad uterum devolvi non potuit, ſed interceptum quaſi in tuba ſubſtitit, magnasque moleſtias ægrotæ ad mortem usque continuantes creavit, dum dolore gravativo indeſinenti circa regionem uteri moleſtata, modo alvum adſtrictam, modo urinæ ſuppreſſionem, obice quaſi interpoſito circa hæc excretoria, notavit. In ſectione cadaveris virginis hydrope defunctæ maximam ichoris ſeroſi quantitatem non circa abdominis viſcera, (prout in hydrope aſcite) ſed in peculiari quaſi ſacco, inter peritonæum & muſculos abdominis hærente, deprehendi; viſcera vero modo notata in naturali ſitu & conſtitutione, abſque ullo ichore ſeroſo, conſpiciebantur, qualis etiam obſervatio in *Ephem. Acad. Nat. Cur. Dec. III. Ann. Obſerv. 61*, a celeberrimo D. *GHARLIEP.* communicata. Cum vero nullo modo ad ſpecies hydropis olim a ſcriptoribus practicis recenſitas, ſcil. neque ad Aſciten, neque ad Anaſarcam, neque ad Tympanitem referri poſſit, nova & quarta ſpecies emergere videtur,

detur, *ſaccatus* nempe, quem quidem vix alio modo, quam per paracenteſin, curari poſſe perſuaſum mihi habeo. Sæpius etiam obſcuras & abſtruſas morborum & mortis cauſas, per anatomen detectas fuiſſe, per ſe jam abunde patet. Sic vir quadragenarius, ceterum ſalvus & incolumis, atrociſſimo dolore lancinante in oſſe tibiæ per longum temporis ſpatium diſcruciabatur. Plures Medici idcirco in conſilium vocati dolorem iſtum pro arthritico habebant, & multifaria remedia absq; tamen ullo ſucceſſu adhibebant. Ægrotus, intolerabilium dolorum cruciatibus, diu noctuque ſine intermiſſione adfligentibus, defatigatus, membrum amputari, quam illos diutius perferre præoptabat. Amputato tandem membro, &, pro cauſa morbifica exploranda, cultello anatomico curioſe inciſo, copioſi aſcarides in ipſa oſſis medulla reperti fuerunt, quales ſane vix Oedipus Medicorum conjectura augurari, nedum per medicamenta removere potuiſſet. Fascinationum quoque erroneas ſuſpiciones ſectione cadaverum manifeſtatas fuiſſe memini. Sic in puero hectica defuncto & pro faſcinato reputato, polypos cordis inveniebamus. In alio, ſimiliter pro faſcinato declarato, lumbricorum incredibilis copia notata fuit, ita quidem, ut inteſtina ab apice ad calcem usque, ſeu a gula & œſophago usque ad inteſtinum rectum, iisdem referta eſſent, ipſaq; inteſtina tenuia paſſim ab ingratis iſtis hoſpitibus perforata deprehenderentur, ſimulque dimidia lumbricorum pars intra inteſtinum conſpiceretur. Cauſam autem perforationis hujus inſimul quoque in crebriorem & copioſum Elixirii proprietatis Paracelſi uſum aliquo modo conferendam eſſe, valde probabile mihi videtur. Cum enim amara ferre non queant lumbrici, ægroto autem, ſuaſu empiricorum dictum illud medicamentum ſingulis diebus exhiberetur, omnino aliorſum progredi & alimenta gratiora, perforatis inteſtinis, quærere coacti fuerunt.

Alia virgo, ruricolæ cujusdam filia, menſibus dolorificis cum cardialgia pluribusque phænomenis vexata ob uſum medicamentorum a ſuſpicacibus feminis nuperrime graviditatis arguebatur, ſed quæ ea de cauſa, atteſtato medico exhibito, graviter a magiſtratu plectebantur.

OBSERVATIO LXIX.

Dn. D. JOAN. GEORG. HOYERI

De

Delirio a comeſtis caſeis.

Duderſtadiæ, urbe non ignobili in tractu Eicshfeldenſi, ditionis Electoralis Moguntinæ, a cive quodam & piſtore caſei venales expoſiti, & venditi fuerunt, quales vero quotquot coëmerant atque comederant perſonæ, numero viginti quatuor, brevi poſt mente capti, cum ſtupore graviter delirarunt. Piſtor idcirco accuſatus, nullius tamen mali conſcius, per reconventionem delirantes, tanquam calumniatores, de injuria ſibi illata redarguebat. Hinc Judex anceps hærens, quid in re adeo dubia agendum ſit, Phyſicum ordinarium ſimul in conſilium vocat, ubi quæſtio movebatur: An vaccæ, a quibus lac pro caſeis conficiendis deſumtum, fortaſſis herbam quandam noxiam, v. gr ſolanum, hyoſciamum, vel aliam quandam devoraverint, cujus virulentia tam lacti, quam caſeis inſinuata fuerit? cujus intuitu modo dictus Phyſicus meum quoque conſilium & judicium ſibi expetebat. Cum vero neque a lacte, neque butyro, aut a caſeis ita ſimpliciter ac ſolitarie adſumtis, unquam delirium quoddam excitatum fuiſſe, mihi conſtaret, nec ullus etiam Obſervatorum ſimilis caſus mentionem injecerit, ideo, caſeum a Phyſico

ſimul

ſimul transmiſſum accuratius inſpiciendo & examinando, minusculum quoddam ſemen nigricans, ſeu verum hyoſciami ſemen eidem immixtum deprehendi, indeque omnia illa ſontica pathemata excitata fuiſſe, facile intellexi. Quemadmodum enim vulgus ſemen carvi, pro flatulentia corrigenda, caſeis admiſcere ſolet; ita uxor piſtoris ejusdem in locum ſemen hyoſciami receperat ex improviſo, & caſeis admiſcuerat, ſicque in ſubjectis prædictis eadem oborta fuerunt ſymptomata, qualia etiam ſolitarie adſumtum illud ſemen inducere ſolet. Neque mirum videri debet, quod ſemen hyoſciami in exigua quantitate lacti expreſſo, vel caſeis admixtum, adeo noxiam vim exſerere potuerit, cum hoc colorem magis nigricantem exhibuerit, ſimulque notum ſit, quod, quo propius colore ad nigredinem accedat, eo magis venenoſum & deleterium reputetur, adeo, ut etiam ſola effluvia nigrioris talis ſeminis non careant virulenta virtute & operatione, prout *Dec. III. Ann. VII. & VIII. Ephem. Nat. Cur. Obſ. 66.* GARMANNUS luculenter demonſtravit.

OBSERVATIO LXX.

Dn. D. JOANN. GEORG. HOYERI.

De

Delirio melancholico hæreditario poſt puerperium.

Virgines, queis a teneris unguiculis mens ſana in corpore ſano fuit, poſtquam conjugatæ & in matrimonio puerperæ factæ fuerunt, delirio melancholico, per omnem vitæ curſum ad mortem usque duranti, fuiſſe correptas, aliquoties in praxi compertum habemus. Atque idem malum familiis nonnullis haud inconſpicuis hæredita-

rium eſſe, plus una vice itidem notavimus. Non ita pridem femina primipara, hactenus ſana mente prædita, brevi poſt partum valde delirabat, cujus etiam matrem & aviam pari modo, poſt partum, per reliquum vitæ curſum usq; ad mortem deliraſſe, ab amicis referebatur, ut hinc maritus ejusdem ab ulteriori ſobolis progeneratione prorſus abſtinere neceſſum putaret. Conſultius equidem foret, ſi virgines tales vel intra cœnobiorum clauſtra ſe conferrent, vel tantum in cœlibatu permanerent, quo ſanam mentem facilius conſervarent. Cauſas autem hujusmodi delirii multiplices Excellentiſs. Dn. D. ALBERTI in Diſſertatione *de mente ſana in corpore ſano* §. *X.* enumerat, ſequentibus verbis: *Status graviditatis & puerperii ad multiplices inſanæ mentis gradus contribuit, dum non modo concurſans ſanguinis plenitudo ac ſpiſſitudo, ſed impeditus progreſſus ſanguinis in utero & reliquis vicinis partibus, nec non oppletio & infarctus ſanguinis in talibus locis, inſolita & ominoſa abdominis extenſio, conſueta aliorum viſcerum colatoriorum oppreſſio & conjuncta adfflictio, ominoſa conſuetarum evacuationum perturbatio & impeditio, repentina neceſſarii purgaminis uterini retentio & oppreſſio, ſuſpecta ſanguinis regurgitatio & reſtagnatio in uterum* & *vicinas alias partes, ſcirrhoſæ uteri inflationes, actuales corruptiones in utero, & alia ad perfectam inſaniam diſponunt.*

OBSERVATIO LXXI.

Dn. D. JOANN. GEORG. HOYERI.

De

Salivæ ſapore melleo & ad nauſeam usque dulci.

SAlivam ſanorum & in ſtatu naturali conſtitutam prorſus inſipidam, ſeu manifeſti & ſenſibilis ſaporis expertem eſſe, in Diſputatione inaugurali pluribus probavi,

&

& ſuo quivis exemplo teſtari poteſt. Quoties itaque ſapor ſenſibilior notatur, qui vel in acidum, vel ſalſum, vel acrem, vel amarum, vel dulcem degenerat, toties non absque omni ratione ſuſpicari licet, quod machinæ humanæ labes quædam immineat. Sic ſapor acidus hypochondriacum malum; ſalſus catarrhum, coryzam, tuſſim, aphthas; ſapor amarus febres continuas, intermittentes, bilioſas, icterum, pluresque alios morbos prænunciat. Rarior autem præ reliquis eſt *dulcis* ſalivæ ſapor, ſeu *melleus* quaſi, cujus hinc effectus in ſcholis medicis non adeo frequenter notatur. Occurrebat tamen mihi in praxi fœmina, quæ, poſtquam trigeſimum ætatis annum ſuperaverat, ſalivæ ſaporem melle vel ſaccharo dulciorem, ad extremam usque ſenectam ſentiebat. Et quamvis lecto non adfixa pro lubitu deambulare, negotiis domeſticis & improbis laboribus fungi potuerit, ſæpius tamen adverſa valetudine, præprimis in ſenectute, adfligebatur. Modo enim paſſione hyſterica, modo vomitu adſumtorum, præterea vero continuo oculorum rubore, ab illo ſtatim tempore, quo ſaliva dulcem iſtum ſaporem nacta fuerat, & dein per totum vitæ decurſum adfligebantur. Superato dein ſeptuageſimo quarto ætatis anno, atrociſſimo dolore arthritico circa dextrum humerum, una cum vomitionibus & alvi fluxu, corripiebatur, tanta quidem cum vehementia, ut finem vitæ inſtare omnes autumarent. Ab hiſce vero ſonticis pathematibus uſu medicamentorum antiſpasmodicorum & reſolventium præter expectationem liberata, tandem tumorem manus dextræ ſumme dolorificum experiebatur; quo itidem ex uſu ſambucinorum medicamentorum in- & externorum evaneſcente, denuo bene iterum ſe habere videbatur, donec tandem ſalivæ ſapore, melle dulciori, in extrema octuaginta annorum ſenecta conſtanter permanente, marasmo ſenili plenarie emaciata placide obiret. De ſaliva

acida

acida ſumme corroſiva in infante Islebienſi, de reliquo perfecte ſano, & ex parentibus ſanis & vegetis prognato, itidem ſatis notabilis occurrit caſus, a Dn. D. STEGMANNO communicatus, in *Ephemerid. Nat. Cur. Dec. IV. Ann. IV. Obſ. 106.*

(*Molhuſo Erfordiam miſſa d. 15. Auguſt. 1737.*)

Scholion.

Plures hujus commatis obſervationes cum non ſolum adduxerit, ſed inſuper quoque exquiſitam ætiologicam deductionem ſubjunxerit Excellentiſſ. Dn. D. MICHELOTTUS, in *Scholiis ad Obſervat. LIX. & LXXXIX, pag. 217. & 340. ſqq. Volum. IV.* Actorum noſtrorum, merito hinc L. B. ad ea ablegamus, ulteriori & fuſiori dilucidatione id circo ſuperſedentes.

A. E. Büchnerus.)

OBSERVATIO LXXII.

Dn. D. FRANCISCI ERNESTI BRUCKMANNI.

De

Epileptico ſingulis ſub paroxyſmis cantante.

Puer, novem annorum, temperamenti phlegmatici, habitus corporis alioquin ſani atque vegeti, in oppido, tertium lapidem abhinc diſtante, natus & educatus, chorumque diſcipulorum, per plateas oſtiatim cantantium, frequentans, orthographiam, arithmeticam, & linguam latinam

tinam

tinam addiſcendi gratia, ante ſex ſeptimanas in hanc urbem miſſus, & tribus prioribus hebdomadibus etiam optime hic valens, dein purpura ſcorbutica, pedes præprimis atque ſuras occupante & trium dierum ſpatio ſua ſponte, ſquamularum forma, decidente & evaneſcente, correptus fuit. Hanc autem efflorescentiarum purpuraſcentium retroceſſionem preſſo inſequebatur pede omnium totius corporis membrorum laſſitudo atque dolor, ventriculi & abdominis regionem excrucians, inſimul vero etiam quandoque inſolita ægro hilaritas, modicus riſus & lenes motus convulſi obſervabantur. Ego igitur accerſitus, ex circumſtantiis, ab ægro relatis, cauſam horum motuum ſuſpicabar eſſe purpuram ſcorbuticam ſponte retrogreſſam, (medicamenta namque æger nondum in uſum vocaverat,) quare convenientibus ſtatim bezoardicis eam ad cutis peripheriam expellere conabar, ſed laterem lavabamus, quoniam id nulla ratione obtineri poterat, e contrario ægrotum tribus quotidie vicibus motus epileptici invadebant, & quidem mane, hauſto herbæ Theæ infuſo, leviorem patiebatur inſultum, poſt prandium autem atque cœnam, comeſta præprimis carne (adpetitus enim tam alimentorum, quam potulentorum, per totum morbi decurſum non mutabatur, ſed ſatis vegetus erat,) vehementem ſuſtinebat epilepſiam, omnium totius corporis nervorum atque membrorum convulſione, & ſenſuum tum in- tum externorum abolitione ſtipata, ubi ſimul truncus ſæpius ita contorquebatur & incurvabatur, ſicuti in Opiſthotono fieri ſolet. Illud vero circa hanc Epilepſiam notatu erat digniſſimum, quod ſtatim cum initio paroxyſmi epileptici parvulus hic æger concentus canticorum eccleſiaſticorum canere & dextra manu cantum modulari ſueverit. Prima ſeptimana paroxyſmus mane, hauſto herbæ Theæ infuſo, mitior, poſt prandium atque cœnam vehementior, & quoties ægrotus carnem comederat, vehe-

mentiſſimus, animadvertebatur. Quodſi vero juſcula, jura, aliaque molliora alimenta adſumſerat, remiſſior ſemper erat. Secunda hebdomade frequentius ac gravius ægrum paroxysmus adfligebat, adeo, ut per aliquot dies parum ab eo immunis exiſteret, nocte nunquam eodem malo corriperetur, ſed ab hora decima veſpertina ad octavam matutinam placide ac non interrupta ſerie dormire potuerit. Ultima ſeptimana mitiſſimi reddebantur paroxysmi, & tantummodo vel mane, vel circa veſperam, vel binis hiſce temporibus ſimul eodem die recurrebant, ægro tamen interim ſemper tamdiu cantante, donec inſultus epilepticus remitteret. Jam vero per novem dierum ſpatium ab omnibus motibus convulſivis liber lectum reliquit & vegetus obambulat, nec amplius de doloribus ventriculi & abdominis conqueritur, niſi quod digitorum extremitates levi laborarent tumore, moleſtias tamen illi non creante, & fortaſſis quoque mox ſua ſponte diſparituro. Ceterum adpetitus bene ſe habet, & ſomnus eſt naturalis. Quod ad dolores in ventriculi & abdominis regione ſe exſerentes, attinet, hi ſuſpicionem movebant, morbi cauſam in primis latitare viis, & forſitan lumbricos inibi nidulari, quoniam tales jam olim per alvum excluſerat; verum, exhibitis duobus laxantibus rhabarbarinis ac uno emetico, nulli quidem lumbrici, utique vero ſaburra mucoſa putrida, brunni coloris, prodibat. Præter medicamenta evacuantia, alia quoque ſpecifica antiſpasmodica & antepileptica adpropriata, una cum liquore anodyno minerali Celeb. Halenſium Æſculapii, *Frid.* HOFFMANNI, qui & maximam ægro levamen attulit, in uſum fuere ducta.

(*Guelpherbyto Erfordiam miſſa*
d. 29. Auguſt. 1737.)

OBSER-

OBSERVATIO LXXIII.

Dn. Lic. JOANN. JACOBI SCHLIERBACH.

Biographiæ medicæ ſpecimina.

BIographiam medico uſui adcommodatam dum in præſentiarum ſiſtere lubet, binis ſaltem verbis in limine indicaſſe ſufficiet, quod hoc nomine proprie intelligatur certa & accurata deſcriptio ac enumeratio morborum, ab ineunte ætate in ſeros usque annos, immo ipſum vitæ finem, huic vel illi ſubjecto obvenientium, ubi ſimul eorum ſucceſſus, cognatio & cohærentia demonſtrativo, quantum fieri poteſt, modo, ob oculos ponitur, ſicuti ſimile jamjam ſpecimen b. KANOLDUS in *Volum. I. Obſerv. 248.* horum Actorum exhibuit, idemque argumentum a me in Tractatione de *Cognatione & dependentia morborum ex Foreſto*, quam Excellentiſſ. Dn. D. CARL, Archiater Regis Daniæ *Hiſtoriæ ſuæ Medicæ patholog. therapeuticæ*, nuperrime iterum editæ, ſubjunxit, paululum fuſius explanatum proſtat. Veriſſimum ſane & unanimi omnium prudentiorum Medicorum conſenſu confirmatum eſt, quod absque ſufficiente indagatione cognationis & conſpirationis iſtius, vix unquam morbi ſibi invicem ſuccedentes, aut inter ſe complicati, feliciter curari & funditus exſtirpari queant, adeoque tanto magis adlaborandum erit, ut illam nobis comparemus notitiam, quo major tam in Theoria, quam Praxi, abinde ſperanda eſt utilitas, hoc maxime tempore, quo copia obſervationum ſingularium caſuumque ſpecialiorum revera abundamus, ſicque eo facilius tranſitum unius morbi in alterum obſervare poſſumus. Hinc bigam caſuum jam ſiſtere lubet, & quidem in duobus ſubjectis, a juventutis annis ad extremam usque ſenectam ipſamque

mortem, variis ſe invicem excipientibus morboſis adfectibus obnoxiis, qui tamen, ſi exactius conſiderantur, minime confuſo & tumultuario modo oborti fuerunt, ſed potius exquiſitam inter ſe connexionem monſtrarunt, adeoque Medico clinico ad eam rite attendenti, tam in cognitione, quam curatione minus utique negotii faceſſerunt.

Caſus I.

Vir literatus, meditationibus ac lucubrationibus continuis indulgens, ſanguineo cholerici temperamenti, utplurimum ordinate, aliquo modo tamen plenæ diætæ adſuetus, ætatis 73. annorum, in puerili ætate frequentioribus urinæ ardoribus, ſeu *ſtranguriis*, ad ætatem juvenilem usque, in qua ſenſim hæc incommoda remiſerunt, moleſtatus fuit. Pariter quoque in utraque hac ætate *hæmorrhagias narium*, usque ad trigeſimum annum frequentiores & largiores expertus, earum intuitu circa annum vigeſimum aliqua indicia *hecticodeæ* diſpoſitionis monſtravit, quæ tamen ſucceſſu temporis plane iterum evanuerunt. Interim ſuperato vigeſimo anno, cum alibi extra patriam commoraretur, atque ibidem præter conſuetudinem unice dulciori illa cereviſia, quam *Breyhan* vocant, pro potu ordinario uteretur, levi quodam, diutius tamen continuante *hæmoptyico inſultu*, procul dubio ob turbatam narium hæmorrhagiam, corripitur, quem ſtatim paulo poſt excepit *Arthritis fixa* in digitis pedum majoribus, a qua tamen tempeſtive iterum liberatus fuit. Sequentibus annis varii ſuccedebant motus congeſtorii verſus ſuperiora maxime tendentes, ſcilicet *gravedinoſi*, *tuſſiculoſi*, cum leniori interdum hæmorrhagia narium intercurrente. Circa trigeſimum quintum ætatis annum *in febrem acutam*, vix elapſis duobus annis iterum majori cum vehementia recurrentem, incidebat; poſtea vero inſultibus nephriticis fre-

quen-

quentibus, cum *excretione copioſi ſabuli* ſubjiciebatur, continuantibus inſimul, præſertim circa æquinoctia, *gravedinoſis, rheumaticis, hemicranicis, arthriticis* & *odontalgicis* adfectibus. Et hæc ludebatur ſcena usque ad annum quinquageſimum, ubi ſabuloſa excretio cum variis intermixtis colicis doloribus moleſtior evadebat, & ſubinde per intervalla redibat, donec, ſuperato tertio ſupra ſexageſimum anno vera *Gonagra*, tandemque *Podagra* ſuccederet, cum ſemper intercurrentibus ſabuloſis excretionibus, & quandoque moliminibus *hæmorrhoidalibus*. Interim tamen complicatus hic ſtatus uſu contemperantium, reſolventium cum convenienti regimine, quamquam adhuc ſtatis temporibus intercurrerent tuſſiculoſi & gravedinoſi adfectus, tolerabilior permanebat ad annum usque ſexageſimum octavum, qui erat annus 1733. quo ipſo febris catarrhalis per totam fere Germaniam epidemice graſſabatur, dictumque hoc noſtrum ſubjectum itidem invadebat, cum hemicranici doloris exacerbatione. Ab eo tempore dein ſub laxantium, anticatarrhalium, & reſolventium continuato uſu, tuſſis, gravedo, ut & podagra, licet non totum, tamen in tantum a priſtina ſua vehementia recedebant, excepta tantum ſubinde intercurrente inſolita *vertigine*, usque ad ſeptuageſimum primum annum, quo podagra cum ſabuloſa excretione nova iterum incrementa ſumebat, immo illa ad retroceſſionem inclinabat, unde ſtatim agrypniæ, virium & adpetitus ſumma proſtratio, æſtus febrilis, nauſea atque flatulentia ſuccedebant, ſtatumque maxime periculoſum formabant, qui non niſi ab iterato clyſterum uſu, ſubjunctis aliis internis, remittebat, redeunte ſimul Podagra verſus extremitates, magisque augescente ſabuloſa illa excretione. Flatulentia interim ex levi quocunque diætæ errore recrudescebat, paucis vero interpoſitis diebus, ab imminente podagræ retroceſſione, hæmorrhoidum fluxus parciſſime & ad

aliquot tantum guttulas, cum dolore colico, prodibat. Viribus autem dein manifeſte decreſcentibus, æger easdem proprio auſu reſtauraturus, præterito vere paulo frequentius decoctum Coffée, Choccoladæ, Lac, aliaque nutrientia adſumebat, ſubjuncto potu vini Rhenani generoſioris, minus alias ſibi familiari, cum antea vinum Moſellanum, cum cerevíſia levi, minus lupulata, bibere ſueviſſet, unde hanc diætæ lautæ, nutrientis & orgasmum inducentis ſubitam mutationem preſſo pede excipiebat *narium hæmorrhagia*, in juventute quondam ſolennis, primo quidem parcius & tacite quaſi, dein vero largius, quæ tamen uſu remediorum temperantium, nitroſorum, & pilularum balſamicarum ſucceſſive remittebat, ſicque ſtatum aliquomodo tranquillum ſiſtebat, usque ad præteritum æquinoctium atumnale durantem, quo tempore priſtini reſuscitabantur cruciatus nephritici cum moleſtiſſimo urinæ ardore, per intervalla increbeſcente, quibus tamen venæſectio præſervatoria aliquod adferebat levamen, licet non admodum diuturnum; ſiquidem circa ſolſtitium hibernum in vehementiori redibant gradu, cum mox ſubſequente *Mictu cruento*, quæ omnia abunde nunc demonſtrant, omnia indies vergere in ſtatum pejorem, ipſaque hæc ſymptomata certiſſimum mortis ſucceſſive adpropinquantis prodromum denuntiare.

Epicriſis.

Quodſi propoſitum hunc caſum ſecundum omnes ſuas circumſtantias probe conſideramus, facile exinde colligere licet, ægrotantem noſtrum tam ratione vitæ generis ſedentarii, quam ipſius temperamenti ſanguineo - cholerici utique animi ſenſibilioris & tenerioris conſtitutionis corporis exiſtere, atque exinde non ſolum a prima ætate plethoricum fuiſſe, ſed & per omnes ætates cum adfectibus huic conſtitutioni magis propriis conflictari debuiſſe. Ratione

enim

enim *junioris ætatis* frequentius *ſtranguriæ*, tam ob ſenſibilitatem naturæ, quam diſpoſitionem internam, ex conſtitutione ad orgaſticas humorum commotiones valde proclivi, occurrebant, quas, ſimilem ob cauſam ſæpius quoque *narium hæmorrhagiæ*, ob nimiam ſanguinis abundantiam, maxime huic ætati familiares, ad annum usque trigeſimum comitabantur. Cum vero dein ſalutaris & autocratica hæc ſanguinis ventilatio procul dubio turbata, & in ſucceſſu ſuo impedita fuerit, remanente nihilominus plethora, præcipue in ætate ad eam maxime diſpoſita, cui etiam idcirco phthiſin facilius & frequentius evenire jam dudum obſervavit HIPPOCRATES; hinc mirum non eſt, quod etiam aliqua indicia *febris lentæ* ſe-ſe manifeſtaverint, in primis cum inſimul hæreditariam quandam diſpoſitionem concurrere fratris ex phthiſi obitus non obſcure indicare videretur. Quemadmodum vero ob viſcerum ſtatum adhuc ſalvum & integrum febris iſta lenta minoris momenti & periculi fuit, plenitudo tamen ſanguinis, & ex hac habitualis factus congeſtorius humorum motus verſus ſuperiora eo pertinacius ſubſtitit, potusque inſuetus, per integrum annum continuatus, cereviſiæ dulcioris, particulis copioſis nutritiiis plus minus ſubinde acribus, abundantis, ſanguinem adhuc magis accumulavit, ac exagitavit, narium hæmorrhagia interim impeditius ſuccedente; ita tanto facilius ex tali congeſtione ſanguinis, narium hæmorrhagiam reſpiciente, & ſimul circa pectus facta ſtagnatione induci & provocari potuit *levis hæmoptyſis*. Cum porro talis a natura incongrue ſuſcepta excretio per pulmones minime ſufficiens eſſet ad imminuendam plethoram, hinc tanto magis per alias vias, ſcilicet in inferioribus partibus convenientem intendebat depletionem, quæ vero, in moliminibus tantum ſubſiſtens, anſam præbebat ſubſequenti, huic tamen ætati minus

con-

congruæ, *Arthritidi fixæ.* Et quamquam paulo ante & poſt, circa initium *ætatis virilis*, trigeſimo nempe anno, hæmorrhagia narium tantiſper remitteret; tamen, quia majori cum impetu congeſtorii humorum motus & molimina verſus ſuperiora continuabant, ſtatisque temporibus actualem quidem evacuationem intendebant, haud vero obtinebant et perficiebant, immo potius circa caput & pectus ſubſiſtebant; facile hinc contigit, ut tam hujus cauſæ intuitu, quam ob impeditum tranſitum humorum, continuo per latera vaſorum ſeroſior ſanguinis portio ſecerneretur, indeque catarrhales, grauedinoſi, tuſſiculoſi adfectus orirentur. Emanente vero per aliquod tempus hæmorrhagia narium, hincque ſenſim increbeſcente plethora, ac tandem ſpiſſiore reddito ſanguine, excitabatur *febrilis motus acutus* circa annum 35. ætatis, procul dubio ex leui quodam circa non naturales commiſſo errore, eaque febris procul dubio Ephemera plurium dierum fuit, quæ potiſſimum familiaris eſt plethoricas, in florida ætate conſtitutis, ſanguineo-cholericis, ad narium haemorrhagias et harum motus irregulares diſpoſitis. Spatio vero duorum annorum hæc febris tanto majori cum periculo & vehementia recrudeſcebat, ac Synochum putridam ſiſtebat. Hac ſuperata poſtmodum gravedinoſi et tuſſiculoſi adfectus ob conſuetam in junioribus annis humorum congeſtionem verſus ſuperiores partes, adhuc continuabant, intercurrentibus ſimul gravioribus rheumaticis et hemicranicis doloribus.

In aetate autem *virili*, eaque robuſtiori ac conſiſtentiori, ubi natura etiam ſecundum HIPPOCRATIS obſervationem, motus in junioribus ad ſuperiora magis directos, iam ad inferiores partes magis revocat, quo et in iis regionibus abundantiam imminuat, colici et nephritici dolores, per motus tonici intenſionem, una cum excretione ſabu-

loſæ

loſæ materiæ, excitabantur, qui modo vehementiores, modo etiam mitiores adparebant, & quidem certis ſemper periodis, qua ratione etiam poſt annum ſexageſimum primo *Gonagra*, mox vero *Podagra* introducebatur. Quoniam vero & hac ratione ſuperflua ſanguinis quantitas vix removeri poterat, inſuperque natura ſemper priſtinis veſtigiis inhærebat, congeſtiones nempe ad ſuperiora continuando, hinc ibidem in motibus incompletis ſubſiſtens, mox gravedinoſos, mox rheumaticos aliosque pectoris adfectus excitabat, & ſub quibus tamen nulla actualis hæmorrhagia eveniebat, quoniam molimina iſta per convenientem diætam, animi tranquillitatem & ſedulo continuatum uſum ſcarificationum & laxantium, ſi non in totum, tamen in tantum intercipiebantur. Proinde etiam facile concipi poteſt, quod tam ad quantitatem ſanguinis augendam, quam motum ejus inteſtinum & orgaſticum accelerandum, eximiam ſuppeditaverit occaſionem præceps & ſubitanea illa, per ſe jam ſatis pernicioſa poſtmodum ſuſcepta mutatio in diæta, maxime in tali provectiori ætate, ubi, ob defectum ulterioris incrementi partium nutritiæ particulæ non conſumuntur, ſed unice in augmentum humorum tranſeunt, dum nempe loco Vini Moſellani, Rhenanum generoſum, loco dilutioris potus Thee ſaturatiores magisque nutrientes cum lacte ſeligebat; unde etiam mirum haud erat, quod, dum alia ratione tam facile abundantes non poterant imminui humores, tandem natura, priſtinarum viarum memor, denuo per *narium hæmorrhagiam*, ut ut jam huic ætati minus congruam, ſcopum iſtum adſequi intenderit & feliciter attingeret. Adpropinquante vero æquinoctio autumnali iterum novi exſuſcitabantur motus, uti hoc ſolenne eſt omnibus ſpasmodicis adfectibus, aliisque ex abundantia ſanguinis prognatis morbis, qui tunc temporis ut plurimum ſuos ſervant recurſus & periodos. Sic ergo varia pathema-

ta dolorifica rurſus circa urinæ excretionem oriebantur, quae tamen aliquo modo iterum evaneſcebant, quum extra paroxyſmi vehementiam Venæſectio inſtituebatur. At tempore ſolſtitiali hiberno denuo recrudeſcentia, brevi eo usque increbeſcebant, ut *Mictus cruentus* ſubſequeretur, dolorum equidem ferociam quadantenus mitigans, ob propriam autem ſuam ſonticam indolem & diſpoſitionem ad frequentiores recurſus novosque inſultus, nec non ob ſatis arctam, quam cum hæmorrhoidibus, in primis ſuppreſſis, fovet conſpirationem, tanto magis formidandus, maxime in provectiori hac ætate, ubi experientia ſatis abunde confirmat, quod tales ſenes, ita ſemel adflicti, vix diu ſuperſtites maneant.

Caſus II.

Matrona quædam An. 1675. nata & An. 1734. denata, temperamenti ſanguineo - melancholici, floridioris in juventute, ingraveſcente autem ætate pallidioris & gracilioris, immo emaciati habitus, diætæ mediocris frugalis, domeſticis negotiis ſemper valde occupata, & ex hereditaria diſpoſitione ad alvi ſegnitiem maxime prona,

1.) in *infantia* crebrius *achoribus* & *ulcerationibus* capitis, ſeri abundantiam nimiam denotantibus, laboravit. Circa 10. 12. & 14. annum experitur ſubinde *hæmorrhagias narium*, cum præcedentibus *cephalalgiis* æſtuantibus, *vertiginoſis* circumgyrationibus, partiumque inferiorum refrigeratione. Decimo quinto ætatis anno, præviis ſpaſticis & lancinatoriis doloribus in dorſo & abdomine, anguſtiis præcordiorum & calore volatico faciei, tandem prorumpunt *menſes*, ſtatisque periodis absque gravioribus moleſtiis continuant, cum notabili priorum ſymptomatum levamine.

Anno ætatis 17. nupſit viro, ſtatimque imprægnata conſueto tempore prolem edit ſat vegetum, altera vice

poſt

poſt aliquot annos iterum gravida reddita, *abortum* patitur perquam periculoſum, cum vitæ fere jactura, concomitante ac inſequente largiori hæmorrhagia abortiva, mitigationem difficulter admittente, & ſummam virium jacturam cum graviſſima cephalalgia moleſtiſſimisque *pathematibus hyſtericis* inferente, quæ etiam dehinc facile, data leviſſima occaſionali cauſa, ſive interna, ſive externa per totum reliquum vitæ decurſum, recrudeſcebant, inſtabant, perſiſtebant. An. ætatis 24. febre catarrhali petechizante, epidemice tunc graſſante, corripiebatur, indeque graviſſime decumbebat, cum deliriis, ac copioſiſſimarum macularum eruptione, ut per ſex hebdomadum ſpatium lecto adfixa eſſe cogeretur. Ab eo tempore iterum & ſæpius gravida facta eſt, inſimulque gemellos ſemel peperit. An. ætatis 38. cum per quinque annos fere improlis fuiſſet, ultimum enixa eſt partum, & quidem puellam, cum priores omnes maſculi fuerint. Per totum vero geſtationis tempus variis tunc adfligebantur incommodis hyſterico-cardialgicis, cephalalgicis intenſioribus, vomibundis, &c. alvo ſemper pertinaciter clauſa manente, cum inferiorum partium ſtrictura & frigore, ubi ſecundo graviditatis menſe practicus minus peritus & improvidus, in conſilium vocatus, nullam ingravidationem, ſed ſaltem ventriculi oppletionem a ſaburra viſcida, indeque obortam alvi obſtructionem in culpa eſſe autumans, incaute purgans quoddam draſticum, ex Reſina Jalappæ & diagryd. ſulphurato eidem exhibet, adeo violento cum effectu, ut per quatuor dies & noctes continuo ἄνω καὶ κάτω, ad lipothymias frequentiſſimas usque, purgaret, omnesque eandem certiſſime morituram eſſe judicarent. Tandem uſu convenientium remediorum ſiſtitur vomitus unacum frequenti ad deſidendum conatu, remanente ſumma virium proſtratione, utpote quas vix intra aliquot menſium ſpatium iterum colligere poterat, ſalvo interim, quod omnes mi-

mirabantur, embryone in utero ſuperſtite. Dehinc vero continuis flatulentiis, ventriculi debilitate, borborygmis, capitis temulentiis, itemque hemicranicis doloribus, clavo hyſterico, auditus gravitate, ſuſurru, odontalgiis adflicta manebat, adeoque mirum haud erat, quod dentes præmature fierent carioſi & tandem exciderent. Anno ætatis 46. menſes citius, quam erat, ceſſabant, eoque ipſo non ſolum hyſterica & cephalalgica augebantur pathemata, ſed & inſuper varia alia non minus gravia & moleſta, colica nempe tormina, ſuffocatio hyſterica frequentior, tuſſis fere indeſinens & habitualis, (ob concurrentem ſimul hæreditariam diſpoſitionem, ab initio magis ſicca, tandem vero ſatis humida, cardialgiæ, ventriculi & ſplenis inflationes, conatus ad vomitum cruentum, &c. ſuperveniebant, atque modo gravius, modo mitius, modo ſingulatim, modo conjunctim, pro circumſtantiarum, diætæ, tempeſtatis, animi commotionum, &c. diverſa ratione, ægram adfligebant. Sub finem anni 49. circa æquinoctium vernale, corripiebatur *febre tertiana* ſatis rebelli & chronica, cum algore, æſtuque graviori, ſiti intenſa, conatu vomendi, omnium virium proſtratione, & ſumma ad ſtatum hecticodeum proclivitate. Sub his circumſtantiis tuſſis habitualis magis magisque tranſibat in humidam, ſuffocatio uterina frequentius recurrebat, circa abdomen, infra umbilicum & in femoribus *efflore/centiæ* veſiculares valde prurientes prodibant, quorum exſiccationem, ſive ſponte, ſive arte inductam, ſemper excipiebant inſolita corporis laſſitudo, tormina abdominis, præcordiorum anguſtiæ, capitis vertiginoſæ temulentiæ, cum horrore & æſtu volatico, donec circa collum & pectus purpura rubra efflorеſceret, quæ ſenſim per totum corpus diffundebatur, ac tandem cum ſquamularum ſeceſſione evaneſcebat. Anno ætatis 52. ex congeſtione & ſtaſi circa caput intolerabiles ibidem experiebatur dolores,

lores, inprimis autem acutiſſimos lancinantes intra dextram aurem, apoſtematis ibidem formati indices, quod dein in ulcus verum manans degenerabat, externis & internis aptis remediis tandem conſolidatum. Anno ætatis 57. adfligebatur febre catarrhali, tunc temporis undique graſſante, mœrore vero, propter mariti obitum, paulo ante nimium emaciata, adeo graviter nunc decumbebat, accedente febre lenta & œdematoso pedum tumore, ut de vita ipſius actum eſſe omnes putarent, nihilo tamen minus ſpatio duorum menſium a potioribus ſymptomatibus liberata, vires fractas aliqualiter readſumit, remanente tamen & continuante tuſſi, cum multa expectoratione. Anno demum ætatis 59. hiemali tempore corripiebatur febre lenta, in hecticam transeunte, cum novo incremento œdematis pedum, jam antea per purpuram rubram aliquo modo ſoluti: Subſiſtebat hic tumor per aliquot menſes, reliquis ſymptomatibus interim magis magisque ingraveſcentibus, circa initium vero menſis Maji ſubito, & quidem ſponte, evanescebat, unde ſtatim gravior reddebatur febris, ſuperveniente inſolita lienis inflatione, doloribus intenſiſſimis lancinantibus ſtipata, ſub qua facies tandem tranſiebat in hippocraticam, ac cum vomitu ſanguinis nigerrimi & corrupti vitam placide finiebat.

Epicriſis.

Matrona hæc ſanguineo-melancholica vi diſpoſitionis ordinariæ in prima infantia, ubi ſanguis magis ſeroſus eſſe ſolet, *achoribus* ac *ulcerationibus* capitis ſeroſis laborabat, quoniam in hac ætate, uti jam olim *HIPPOCRATES* notavit, natura motibus ſuis, ſive intrinſecus ſive extrinſecus ſuſcitatis, excretiones humorum ſuperfluorum per caput molitur ac perpetrat. Hic ſeparatorius motus ſeri ſuperflui a ſanguine, poſtea circa annum 12. mutabatur, cumque na-

tura hac via antea ſeroſitates eliminaſſet, jam magis ad ſinceram ſanguinis depletionem inclinabat, unde loco prioris excretionis propter ætatem paulo vegetiorem, abundantem illius quantitatem, active verſus caput congeſtam, per *narium hæmorrhagias* eliminabat, hacque ratione ſymptomata *cephalalgica* & *vertiginoſa* vere mitigabantur, ſufficienti omnino teſtimonio, quod hæmorrhagiæ iſtæ, in ſuo legitimo ſucceſſu conſervatæ, longe meliorem præſtiterint utilitatem in plethora imminuenda, quam ſi multis artificiis therapeuticis, vel poſitivis adſtringentibus fuiſſent impeditæ, aut plane cohibitæ, donec decimo quinto ætatis anno, haud absque notabilioribus alterationibus œconomiæ corporis, eo ſpecialius motus ſuos excretorios dirigeret natura, quorſum tunc temporis ordinarie vergere debent, ſcilicet verſus *uterum*. Perpetuæ enim obſervationis in ſexu ſequiori eſt, quod principium vitale circa hanc ætatis periodum, (ſi modo ceteroquin omnia legitime conſtituta fuerint,) ſicuti antea nutritioni & augmentationi corporis potiſſimum invigilavit, ſucceſſive *generationis* actui proſpicere, omnemque, in eo perficiendo, operam & curam collocare incipiat. H[illegible] ſuſcipit actiones in ſuo corpore eo collimantes, quæ tamen in hoc individuo ita tacite & tranquille ſuccedere haud poterant, quoniam humorum motus hactenus ſemper verſus ſuperiora directi & fere habituales redditi erant; inde non ſolum præcordiorum anxietas & frequens æſtus volaticus, ſed &, concurrentibus ſimul congeſtionibus verſus uterum, pariter dorſi, lumborum, & abdominis dolorificæ tractiones originem trahebant. Hoc fine ſemel, licet non ſine difficultate, obtento, reliqui motus heterocliti ſucceſſu temporis ſenſim remittebant, *menſiumque fluxus* absque ullo fere incommodo in naturali magis & placido ordine ſuccedebat, & ita ſanitas, antea crebrius turbata, paululum obfir[illegible], de qua tamen vix admodum diu lætari licuit; ſiquidem

quidem in ſecunda ſtatim graviditate, *abortus* eveniebat, qui in ſubjecto tali florido & plethorico non ſolum enormi & ſumme periculoſa ſtipatus erat *hæmorrhagia*, ſed & aliis gravioribus ſymptomatibus morboſis viam pandebat. Idcirco mirum non erat, quod partim graſſante *febre catarrhali petechizante* itidem inficeretur, (dum ratione conſtitutionis plethoricæ præ aliis ad facilius recipiendum iſtud contagium magis diſpoſita erat,) partim etiam propter hyſterica pathemata & anomalias motuum periculoſius decumberet: Ubi enim labes viſcerum, veluti in hoc ſubjecto, unacum anomalico humorum & motuum ſtatu, præſto eſt, tunc experientia vera medica quotidie docet, quod talia ſubjecta, præ aliis, viscerum integritate gaudentibus & bene conſtitutis, in primis autem tranquilliori animo donatis, longe periculoſius decumbant, atque raro eluctentur; hinc majores ſentiebat præcordiorum anxietates & cephalalgias, tandem deliria accedebant, propter præcedentem humorum irregularem commotionem, jamjam magis habitualem. Superabat equidem periculoſum hunc & mortem fere minantem morbum, aſt corpus indies debilius reddebatur, inſimulque priora pathemata hyſterico-ſuffocativa & cephalalgica in vehementia & pertinacia ſua magis invaleſcebant. Sic tranſigebat vitam ſub variis aërumnis, donec ultimo geſtationis tempore ſingulæ hæ moleſtiæ quaſi unitis viribus recurrebant, eandemque gravius adfligebant. Tunc certe opus fuiſſet medico prudenti & provido, qui, circumſtantiarum omnium connexionem debite perpendens, non adeo cæco impetu ſtatim, propter alvi obſtructionem, nullo prorſus habito reſpectu ingravidationis, ad draſtica purgantia confugiſſet, hac enim ratione natura in præcipitium acta, ad extrema deveniebat, totiusque œconomiæ vitalis ruina quaſi inſtabat. Hinc aliter fieri haud poterat, quin, quamquam hyperemeſis & hypercatharſis mitigata fuerit, tamen

tamen prior anomalicus ſtatus magis magisque obfirmaretur, ac non ſolum matri, ſed & ipſi puellæ poſtmodum in lucem editæ, complura incommoda conciliaret, ſiquidem hæc per totam vitam præcipuæ motuum vitiis laboravit, variisque adfectibus hyſtericis, arthriticis vagis, cephalalgicis, odontalgicis, itemque menſium vitiis quam maxime obnoxia fuit & ſubinde adhuc eſt.

Quoniam vero ulterius in matrona noſtra, improvido hoc draſtici remedii uſu, ejusque violenta operatione, partium tam fluidarum, quam præcipue ſolidarum motus nimium turbatus & admodum irregularis redditus erat, hinc poſt puerperium, temporibusque ſubſequentibus *alvi obſtructio* pertinacior, *capitis dolor* inſolentior *ventriculi atonia* major, & *flatulentiæ* frequentiores obſervabantur, ſicque diſpoſitio totius œconomiæ, ſatis olim jam lubrica, multo debilior evadebat, inprimis, quum *menſium naturalis ceſſatio*, paulo maturius contingens, (utpote quæ etiam per ſe variis incommodis, teſte experientia, patulam ſternit viam,) omnia illa ſymptomata exacerbaret, atque, dum ſanguis circa confinia uteri nunc tanto magis congerebatur, frequentiores inſultus *hyſtericos*, abdominis moleſtas ſtricturas, aliaque ſymptomata excitabat. Interim natura ob fruſtraneum motuum iſtorum eluctatorum ſucceſſum alias ſanguinis depletiones, pariter tamen incompletas, intendens, verſus ſplenem & ventriculum congeſtiones formabat, unde *inflationes ſiniſtri hypochondrii*, ſplenis, & adparatus ac intenſiones ad vomitum cruentum eveniebant, admodumque facile & frequenter, data leviſſima occaſione, recurrebant. Dum etiam porro ob hanc frequentiorem congeſtionem humorum verſus ventriculum, tonus hujus visceris magis debilitabatur & ordinarius digeſtionis actus impediebatur, inſimulque cruditates magis accumulabantur, facile hinc quoque ſupervenire poterat *Febris tertiana*, utpote remedium ſalutare pro

pituita

pituita tenaci & viſcida, in ventriculo & inteſtinis hærente, reſolvenda, abſtergenda & removenda. Aſt, quamquam febris hæc vernali occurreret tempore, quo ipſo faciliorem alias admittit curationem, ſatis tamen nunc rebellis & pertinax erat, eoque ipſo manifeſte monſtrabat, quod tunc non niſi facilius ſolvatur, quando unice ex cruditatibus in ventriculo ab eſculentis viſcidis & dyſpeptis remanentibus, originem ſuam trahit; ſecus autem eveniat, ſi viſcerum interna mala diſpoſitio ac humorum regurgitatio verſus ventriculum concurrit. Interim poſtquam tandem febris hæc per varia hinc & inde conquiſita remedia profligata erat, minime idcirco de plenarie recuperata ſanitate lætari licuit matronæ noſtræ, ſed preſſo pede ſuperveniebant hypochondriorum inflationes, borborygmi, ructus, & quod omnium peſſimum, hecticus ſtatus & adparatus, quæ omnia aperte comprobare videbantur, quod magis incongrua & plane improvide ſiſtentia, ſeu vulgo ita dicta *antifebrilia* intempeſtive fuerint adhibita. Et quamquam hecticodeo ſtatui congrua remedia opponerentur, ac contabeſcentia incipiens ſenſim remitteret, reliqua tamen, quæ a juventute erat perpeſſa & in habitum degeneraverant, antea recenſita ſymptomata minime ceſſabant, ſed majus inde incrementum ſumebant. Inprimis autem hæreditaria *tuſſis* magis nunc obfirmabatur, cumque antea, (dum menſium negotium, licet ſubinde anomalice, adhuc in ſuo vigore & tenore ſubſiſtebat,) utplurimum *ſicca* & *clangoſa* fuerit, nunc poſt menſium ceſſationem in plane humidam degenerabat, præſertim hieme, ubique per externum frigus tranſpiratio inſenſibilis magis jam ſuppreſſa, interiori congeſtioni, accumulationi & regurgitationi humorum verſus pectus potiſſimum anſam præbet, adeoque ſic pulmonum parenchyma, ex perpetuo adfluxu, difficiliori tranſitu, immo infarctu humorum extenuatum, tono ſuo naturali eximie deſtituebatur. Hinc

ergo tandem natura occaſionem arripuit, per has quamquam incongruas & inſolitas vias plethoram ſibi moleſtam ſub hac mucida excretione imminuendi, hæcque expectoratio matutinis horis magis ſemper adaugebatur, dum per noctem & ſomnum quaſi ſiſtebatur. Etiamſi vero omnes fere humores colliquescere, aut reſolvi & per tuſſim evacuari viderentur, varios tamen alios motus translatorios, congeſtorios, eluctatorios, immo eructatorios principium illud activum intendebat, inprimis autem ejusmodi molimina, menſium reſtitutionem quidem reſpicientia, ſed nunquam eandem perficientia, ſtatis temporibus animadvertebantur, quæ idcirco fine ſuo fruſtrata *effloreſcentias* veſiculares in femoribus & abdomine, valde prurientes, ſerum acre plorantes, ſæpiusque recurrentes, efformabant, quæ excretio dein, cum pariter minus rite & ſufficienter ſuccederet, hacque ratione, ob diuturniorem ſtagnationem, ſerum acrius redderetur, alium facile invitabat morbum, huic haud abſimilem, *purpuram* nempe *chronicam*, ſudore critico graveolente tandem ſolutum, quæ dein vernali tempore utplurimum redibat, manifeſto indicio, quod ſerum ob defectum motus, durante hieme ſemper majorem conceperit gradum acrimoniæ. Alio tempore & anno incompletus hic depuratorius & depletorius motus & actus, forſitan ob recordationem ſolenniorum quondam in juventute hæmorrhagiarum narium, dirigebatur verſus caput, ibidemque varias tenſiones dolorificas, odontalgicas & *otalgicas* excitabat, præſertim vero in dextra aure critice formabat congeſtoriam depoſitionem & inflammationem, ſub perpetuo tandem adpulſu humorum in *abſceſſum* degenerantem. Proinde cum tota corporis œconomia per morbos prægreſſos valde jam turbata, motuum etiam anomalia prorſus fere habitualis reddita, inſuperque hoc individuum conſtitutionis & temperamenti ratione ad miasma quod-

quoddam contagioſum recipiendum maxime diſpoſitum eſſet, facile hinc non ſolum *febre catarrhali epidemica* corripiebatur, ſed & ob ſupra adlegatas cauſas, gravius ex eadem decumbebat, immo tandem *lenta febris*, cum *œdematoſo pedum tumore*, priori illi ſuccedebat, quæ quidem hac vice non adeo firmas agere poterat radices, ſequenti vero anno vires quaſi readſumens, majori cum vehementia, tam per ſe, quam etiam ratione œdematis conjuncti recurrebat, quod tamen iterum eruptione *purpuræ ſymptomaticæ* notabiliter mitigabatur & fere in totum diſſipabatur, donec ultimo, viribus magis magisque decreſcentibus, infelici quodam conatu, activum illud & de ſalvando ſuo habitaculo anxie ſollicitum principium, denuo recurſum ad abdominis viſcera cum V. P. connexa, maxime autem lienem & ventriculum, ſumeret, factaque humorum copioſiori, ad ea, reſtrictione, indeque ſuborto *vomitu cruento*, totam ſcenam funeſto & tragico eventu clauderet.

(*Battenberga Erfordiam miſſa d. 16. Sept. 1737.*)

OBSERVATIO LXXIV.

Dn. D. WILHELMI ANDREÆ KELLNERI.

De

Incompeſcibili hæmoptyſi, quam maſſularum carnearum, ad pulmonis ſubſtantiam proxime accedentium ejectio comitabatur.

Pannifex XXVIII. annorum, a patre ejusdem opificii conſummato phthiſico a) natus, alias crebrioribus obnoxius

 fuit

a) Exhalationes vappidæ, ſulphureæ, fœtidæ, ſaponariæ & oleagi-

fuit narium hæmorrhagiis, quæ vero poſt initum ante aliquot annos matrimonium, evanuerunt, absque ullo ſanitatis, qua fruebatur, detrimento. Anno 1734. a. d. 27. menſis Novembris, corpore paulo fortius moto, per elevationem & translocationem faſcium, ex lana conſtantium, præter omnem ſpem, tuſsi ſpumantem & floridum ejiciebat ſanguinem. Hanc excretionem licet crebrius revertentem, æger alta erga uxorem diſſimulatione premebat, usque ad diem tertium, quo ejus notabile incrementum, viriumque decrementum, nullum amplius occultandi concedebat locum, quare eodem adhuc die meum expetebatur conſilium. Exquiſitiſſima, ad effrenem hunc ſanguinis fluxum compeſcendum, remedia, ejus ferociam quidem mitigabant, aſt domare non poterant; quæ ſumma eſt totius a me peractæ curationis, ne cramben, toties quoties coctam, hic recoquere videar. Symptomata vero haud ubivis & ſemper obvia, quibus hæc hæmoptyſis erat ſtipata, hic rudi tantum delineabo penicillo. I) Pulſum in carpo manus ſiniſtræ, ſemper inveni debiliorem, quam in dextro. II) Hypochondriorum dextrum pungentibus doloribus, ad umbilicum usque ſe extendentibus, mire & continuo adficiebatur. III) Die morbi quinto anhelitus fœtor b) erumpebat plane abominabilis. IV) Die ſexto, maſſulæ unacum ſanguine ejiciebantur diverſæ magnitudinis, carnoſæ, quæ ad pulmonis

noſæ, quibus pannificum & lanariorum officinæ ſemper ſunt repletæ, haud obſcure docent, quare huic hominum generi, phthiſis aliique pulmonum ſontici morbi, tam ſint infeſti & familiares, vid. RAMAZZINI de *morb. artif. cap. XIV.*

b) Ex ſententia PECHLINI *Lib. II. obſ. 4. pag. 328.* varias fœtentis anhelitus cauſas explicantis, *tabidis & hecticis certum inhæreſcit virus, quod pulmonibus rejectum, animam corrumpit.* conf. ZWINGERI *Faſcic. diſſert. pag. 584.* Sic *Ephemerides N. C. Dec. II. A. II. obſ. 116. pag. 275.* in viro

monis ſubſtantiam proxime accedebant, & in aquam ac ſpiritum vini conjectæ, pertinaciſſime natabant. c) Evaneſcens die octavo hæmptyſis excipiebatur calore febrili, anxie-

per quinque annos, ob anhelitus fœtorem, aliis moleſto, poſt mortem in ſiniſtra tonſilla & intra laryngis cartilagines, medullam nigram & pus, illius fœtoris cauſam, inventa fuiſſe, perhibent. In noſtro ſubjecto, quantum conjectura adſequi licet, abominabilem hunc fœtorem produxerunt reliquæ cruoris, tum circa dentes & gingivas, tum in faucibus, & ipſius pulmonis veſiculis, remanentes, quibus, intra breve temporis ſpatium, ad teterrimum in his partibus odorem concipiendum & de ſe ſpargendum, nihil eſt aptius.

c.) Hæ in ſpiritu vini adſervatæ maſſulæ, copioſiſſimis obducebantur bulluſis, quibus paulatim evaneſcentibus, intra XIV. dierum ſpatium, ad fundum præcipitabantur omnes. Raritate hujus rei commotus, ad idem examen vocavi tres particulas, a pulmone vitulino recenti abſciſſas, fabamque magnitudine adæquantes, quas intra menſis ſpatium, in ſpiritu vini, ſimili modo ad fundum præcipitatas inveni. Hoc experimentum haud obſcure indicat, maſſulas a noſtro ejectas, neque polypoſas fuiſſe concretiones, neque pus induratum, tubercula morboſa, aut vaſa ſanguifera, ſed ipſam pulmonis ſubſtantiam. Ne vero illius adplicatio ultra limites extendatur, memori ſemper mente tenenda ſunt, quæ, de morboſorum pulmonum ſubmerſione in aqua docent *Ephemer. N. C. Dec. II. A. IX. obſ. 239. pag. 435. & Vol. I. obſ. 188. pag. 416.* De vaſis pulmonum ſanguiferis, tuſſi ejectis vid. *Ephem. N. C. Dec. I. A. II. obſ. 9. pag. 166. Dec. II. A. X. obſ. 102. p. 8. ſqq. & Vol. I. obſ. 196. pag. 432.* Ipſius vero pulmonis rupti fruſtula, in phthiſicorum arteria aſpera adhuc hærentia, aliquoties monſtravit culter anatomicus, vid. *Ephem. N. C. Dec. I. A. I. obſ. 41. pag. 131. & BONETI ſepulchr. Tom. I pag. 92.* Quid itaque impedit, quo minus illis Medicis fidem adhibeamus, qui pulmonis fruſtula per os excreta fuiſſe tradunt? vid. *DODONÆUS in obſ. med. cap.*

tatibus præcordialibus & agrypnia d) usque ad extremum vitæ halitum durante. Ægrotus die undecimo, medicamentorum pertæſus, eorum loco, ad refocillandas virium, quæ reſtabant, ſcintillulas, vini eligebat potum, a quo calor febrilis mirum accipiebat incremementum. Colophonem huic morbo addebant, vehementiſſimæ membrorum convulſiones, tandem die XVII. morte terminatæ.

OBSERVATIO LXXV.

Dn. D. WILHELMI ANDREÆ KELLNERI, De Cruore coagulato, lumbrici cruenti figuram exacte referente, mictione excreto.

Integra Litterati cujusdam, in ætate virili conſtituti, valetudo d. XI. Sept. a. c. abdominis teſtabatur vagis torminibus, initio colicam, adfectum aliquoties antea perpeſſum, ſimulantibus, id quod prægreſſo prandio, ex cibis flatu-

cap. 24. Ephem. N. C. Dec. III. A. II. obſ. 188. pag. 296. & Annal. medico-phyſ. Vratislau. Tentam. XXXVI. pag. 500. Aſt Medicos deſidero teſtes, eosque oculatos, non vulgum, qui omne fere phthiſicorum ſputum, craſſioris conſiſtentiæ, particulas pulmonis, aut hepatis, tuſſiendo ejectas eſſe, fingit, quem errorem merito reprehendunt *Acta Med. Haffniens. Vol. V. Obſ. 30. pag. 94.* Quæ RIVERIUS de cordis particulis per os ejectis *Cent. I. obſ. 81.* & *HILDANUS Cent. II. obſ. 30.* de pulmonum fruſtulis, cum urina excretis, narrant, inter rariora, ob rariſſimam, quam præ ſe ferunt veritatis ſpeciem, quis non referat?

d) Quibus placet ſingulari animæ vi animadverſivæ, hoc pervigilium attribuere, eo ſcilicet directæ, ne dormiente hoc ente ſecuro, ultimus vitæ halitus e corpore excedat, evadat, aut erum-

flatulentis cereviſiaque acidula compoſito, tribuebat. Semihora vix elapſa, lumbos dolorifica occupabat contractio, præprimis a dextri renis regione, ad pubem usque ſæviens, quæ ſingulari ſtipata erat cordis anxietate, & crebrioribus ad alvum veſicamque exonerandam ſtimulis, nec non partium externarum frigoris ſenſu. Tandem oborto inter atrociſſimos hoſce dolores ciborum vomitu, omnibusque ad urinam reddendam viribus intentis, ſolidiusculum quoddam corpus e pene erumpebat, ob figuræ ſimilitudinem, pro lumbrico habitum; cujus excluſionem largior floridi ſanguinis mictio & paulo poſt plenaria ſymptomatum excipiebat remiſſio. Hujus, quod videbatur, animalculi figuram, mihi ob dolorum ſævitiam accerſito, ad contemplandum exhibiti, lumbrico cruento inveniebam ſimillimam, qui longitudine quadrantem ulnæ, craſſitie autem calamum ſcriptorium mediocrem fere referebat; excepta altera extremitate, cui filum cruentum, informi maſſula rubicunda in fine præditum, erat adnatum. Inſtituto vero accuratiori examine, nihil aliud quam cruor coagulatus in conſpectum veniebat, ex partibus variis in longitudinem extenſis, inter ſe quaſi conglutinatis ſubtilique tunica cinctis, tam affabre coagmentatus, ut artificioſam ſpeciem lumbrici præberet. Generationis locum & modum inveſtigare non fert præſentis inſtituti ratio; hoc tamen ſilentio præterire non poſſum, quod idem ægrotus, abſoluto menſis ſpatio, haud levem mictus cruenti perpeſſus ſit recidivam.

OB-

erumpat, ſuo ſenſu abundent. Nobis arridet illorum ſententia, qui ex ſanguinis aliorumque humorum, in corpore humano penuria, ejusmodi agrypniam derivandam eſſe, præcipiunt. vid. *Ephemerid. N. C. Dec. I. A. III. obſ. 185. pag. 346.* & *PECHLINI Lib. III. obſ. 41.*

OBSERVATIO LXXVI.

Dn. D. WILHELMI ANDREÆ KELLNERI.

Infans, prægrandi labio leporino, deformatus, obeſus naſcitur.

Varias, a variis, ad probandam fœtus in utero materno nutritionem per os, excogitatas rationes recoquere, non fert inſtituti mei ratio. Hiſtoriam memoria dignam exhibent *Annales medico - phyſici Vratislavienſes in Tentam. XXIII. pag. 107.* de infante cum prægrandi & incurabili labio leporino nato, qui admodum fuit macilentus, faciemque vetulæ ſimilem habuit. Clariſſimus, cui hanc debemus hiſtoriam, Auctor, eam ſequenti proſequitur epicriſi: Vielleicht könte man ſagen, daß dieſerwegen an ihrer Ernährung ſolche Kinder den liquorem amnii &c. nicht ſo gut, wie etwa andere verſchlingen könten, und daß dieſer Abgang verſpühret würde. Cum itaque cardo hujus conjecturæ tantum in experientia vertatur, nemo mihi vitio vertet, quod jam duos alios, eodem modo deturpatos, minime tamen macilentos, ſed obeſos potius in medium proferam infantes. Unum deſcribit D. REISELIUS in *Ephemer. Nat. Curios. Dec. II. A. VIII. obſ. 53.* gemino & inſanabili labio leporino ſignatum, de quo idem Auctor, teſtimonium perhibet, quod fuerit robuſtus & ſanus. Alter mihi Anno 1734. menſe Aprilis inſpiciendus præbebatur, ſatis obeſus, cujus labium leporinum, adſpectu horrendum, conjunctum erat cum vuulæ defectu & fiſſura, per naſi foramen ſiniſtrum & palati oſſa, usque ad fauces penetrante. Hic infans vix unam alteramve lactis tepidi guttulam, ex cochleari parvo faucibus inſtillatam, una vice deglutire poterat, idque ſumma cum difficultate.

OBSERVATIO LXXVII.

Dn. D. WILHELMI ANDREÆ KELLNERI.

De

Gonorrhœa reſuſcitata, utpote remedio ad teſticuli tumorem Gonorrheæ ſucceden- tem præſentaneo.

Ea, quæ de febribus Celeb. D. MUYS in *Prax. med. chir. Dec. VII. obſ. 5. p. m. 279* profert verba: *Scio febrem aliquando ſatis difficulter poſſe ſanari, ſed puto eandem multo difficilius adhuc de novo poſſe produci;* optimo ſæpe jure ad gonorrhœam temerarie ſuppreſſam, adplicari poſſunt. Quam enim varia, quam gravia, ex hoc fonte propullulent mala, circumſpectis haud ignotum eſt Medicis. Anno 1735. a. d. 30. menſis ſeptembris, juvenis viginti annorum, poſt prægreſſum horripilationis ſenſum, calore febrili & dolore teſticuli dextri, ad femur & abdomen ejusdem lateris ſe extendente, corripiebatur acerbiſſimo. Altero die in conſilium vocatus, teſticulum inveni ad ovi anſerini magnitudinem tumefactum, notasque inflammationis haud obſcuras præ ſe ferentem. Æger ſponte hunc morbum ſubortum eſſe, adſeverabat, parentes perpeſſam contuſionem ſuſpicabatur. Meum non erat, inde exortam componere litem, quare ad inflammationem & tumorem reſolvendum, præſcripſi pulveres diaphoretico-nitroſos, ſpeciesque paregoricas, pro ſacculo externe adplicando. Die ſequenti, quo calor febrilis penitus erat ſublatus, alvus ſale Sedlicenſi ſubducebatur. Die tertio tinctura Antimonii cum Eſſentia ſuccini ter porrigebatur, cujus medicamenti continuatione tantum adlevabatur æger, ut de ſuperato morbo victoriam, licet ante triumphum, caneret.

Dies quintus, præter ſpem, novum doloris & tumoris adferebat incrementum, quo æger commotus, jam ultro hactenus tam ſcrupuloſe diſſimulatam inque herba latentem anguem, Gonorrhœam puto, cohibitam, mihi aperiebat. Cognita ſic cauſa mali, ad illius fluxus revocationem omnem dirigebam curam, exhibendo crebrius pulverem, ex Antimonio diaphoret. martiali, ſuccino, ſolutione Ocul. Cancr. & Nitro compoſitum, cujus auxilio gonorrhœam tam felici reſuſcitavi ſucceſſu, ut die nono, ne veſtigium quidem tumoris amplius ſupereſſet. Sunt inter Chirurgos, qui in ſimili caſu oleum Therebinthinæ in vino exhibendum, tamquam ſingulare arcanum colunt. Quantas vero turbas, hoc calidiſſimæ indolis medicamentum, in corpore præſertim juvenili & plethorico, excitare poſſit, ſciunt emunctioris naris homines.

(Iſenaco Erfordiam transmiſſa d. 27. Septembr. 1737.)

OBSERVATIO LXXVIII.

Dn. D. JOAN. PHILIPPI BURGGRAVII.

Hiſtoria χοληλιθογενέσιος in muliere.

Vetula vidua, jam ultra 60. annos nata, temperamenti olim eminenter ſanguineo - cholerici, a teneris ad perfecte adultam, ætatem, maxime intemperanter, eſui fructuum horæorum, mane etiam jejuno ventriculo, indulgens, tandem viro nupta, & anno ætatis circiter 19. vel 20. primum gravida, multa tædia plurimosque mœrores experiebatur, quæ ſæpiſſime, quoad maximam partem, prout erat & adhuc eſt ubique præſentis animi, diſſimulabat. Vix pepererat, cum

mox

mox quinto vel ſexto abinde die atrocibus totius dextri hypochondrii, anterius umbilicum verſus, poſterius ad dorſi ſpinam usque ſe extendentibus doloribus, cum vomiturítionibus & copioſiſſimorum ructuum exploſione moleſtaretur. Dolores hos tam Medici, quam adſtantes, hyſtericos eſſe judicabant. Vix ultra aliquot horas continuabant, interdum tanta cum ferocia, ut ægra miſerrime ſuper terram ſe volutaret, mortemque ſummi beneficii loco poſtularet. Mœrores interim & tædia ſupra memorata perennabant. Duobus a primo puerperio annis denuo mater facta, filium enixa eſt, per primos infantiæ annos ſubtriſtem & taciturnum, inque virili ætate conſtitutum in hunc usque diem ſolitudinis amantem, minime loquacem, eximio tamen præditum ingenio, & plurium mechanicarum, quas nunquam edoctus fuit, artium αὐτοδίδακτος. Primis ſecundi hujus puerperii diebus admodum alacris & vivax, ſubito veſperi delirio tentabatur melancholico, per plures ſeptimanas miſerrime continuante, ab eodem tandem iterum liberata, meticuloſitatem ſibi perquam moleſtam, diu retinebat. Cumulatis vero indies jam indicatorum tædiorum mœroremque cauſis, redeuntibus etiam frequenter per diverſa temporum intervalla, doloribus illis dextri hypochondrii, poſt aliquot dein annos Thermis Wisbadenſibus, interne & externe, magno emolumento uſa fuit. Pluribus poſtea annis, a ſævius hiſce doloribus, in tantum immunis vixit, ut non niſi facile tolerabiles inſultus interdum perciperet, legitime quoque ſemper menſtruata maneret: Cum vero aliquando panificii aliquod genus ex farina albiſſima, butyro, ovorum vitellis, ſaccharo, lacte, miſtis, leniterque fermentatis, inſtrumento ferreo, ex duabus planis bracteis ſecundum latitudinem, qua ſe mutuo tangunt, obtuſe dentatis, fabrefacto, ad ignem fervefacto, exceptum, & ſuper luculentam flammam toſtum, quod noſtrates Waf-

feln adpellant, adhuc calidum paulo largius comediſſet, immanes iſti recrudeſcebant dolores, illamque per duos integros dies miſerrime cruciabant, dextrum cum præciſe hypochondrium occupabant, totumque abdomen & pectus ſimul ſtringebant, inſuperque horrendæ vomiturītiones & innumerabiles ſurſum exeuntes flatus conjungebantur. Si dorſum juxta dextrum ſpinæ latus, inter ſcapulam & primam lumborum vertebram, manu in pugnum collecta fortiter fricabatur, aliquale levamen percipiebat. Ab illo tempore & paroxyſmo, pluries per ſingulos annos eadem perpetiebatur tormenta, & a Wisbadenſium Thermarum uſu inducias potiſſimum mutuabatur, a nullo alio, qualicunque etiam hactenus uſa erat remedio, lenimen alias ſentiens. Cum iſti dolores aliquando reverterentur, ego in conſilium adhibitus, & ægram attente obſervans, de cholelithis atrocium horum dolorum cauſis cogitare cœpi, propterea tum in paroxyſmo non niſi laxando, lubricandoque, per olei amygdalarum dulcium repetitam liberalem doſin, inunctionem loci dolentis, fotumque per lac calidum veſica exceptum, clyſterem emollientem paregoricum aliquoties injiciendum, malum impugnandum eſſe cenſui, hocque ipſo dolores non ſolum mox multumque mitigabantur, ſed & ſat cito finiebantur. Altero mane ad ægram accedens, illam a doloribus liberam ſed icteritio colore in facie notatam, quin & lotium ictericium turbidumque inveniebam. Per hæc ipſa phænomena de cholelithis dolorum horum cauſis confirmatus, & cum ægra, a doloribus jam ſalva, confabulationis potens eſſet, indicavi ipſi meam de cauſa horum dolorum ſententiam, inſimul ſuadens, ſi forte, de quo etiam timerem, dolores aliquando redituri eſſent, ad eos compeſcendos, modo adhibitam medendi per emollientia & laxantia methodum confeſtim repeteret, atque ſimul, numne calculos per alvum excretura eſſet, animad-

verteret, me enim perſuaſiſſimum eſſe, bilem ipſi coagulari in calculos, qui tranſitu ſuo in inteſtinum duodenum, toties atroces iſtos cruciatus excitarint. Et ecce! aliquot poſt hæc ſeptimanas dolores redibant: illa dato conſilio morem gerebat, & ſic ſat cito ab iisdem liberabatur, ac alvum deinde ſolvendo duos cholelithos irregularis figuræ, ſemipollicaris circiter craſſitiei, ſed leves XV. ac XVI. tantum granorum pondere, excernebatur, quos ablutione mundatos attonita mihi offerebat: alter eorum ex viridi & nigro, alter ex flavo & viridi colore variegatus conſpiciebatur. Rogabam tum ægram, ut acta vitæ ſuæ phyſica, ratione ſcilicet diætæ & morborum forſan perpeſſorum mihi enarraret; & ex iſta narratione relatio, quam modo præmiſi, nata fuit.

Intelligebam inde diſtincte, quomodo intemperanter pluribus annis adſumti horæi fructus, propter eorum copiæ exceſſum, in ſuccum & ſanguinem bonæ notæ ſubigi non valentes, ſed nativæ ſuæ craſeos tenaces, cruditatem acido-auſteram humoribus ſucceſſive induxerint. Quod humorum acido auſterum vitium, nec in prima, nec in ſecunda concoctione, ut dictum, correctum, ſed in tertiam usque, ſecretos puto ex ſanguinis alveo humores, derivatum, non ſolum horum defecationem, ſubtiliſationem ac lævigationem minime impedire, ſed e contrario etiam hos utcunque feculentos, craſſos, aſperos, ad coagula pronos, vaſculorumque extremitates pulpoſas ſtringentes, in copia potius demittere & colligere potuit. Tota inde tandem humorum moles, feculentis, craſſis, aſperis, terreſtribusque moleculis abundabat. Cognoſcebam ſimul, continuos mœrores ex humorum maſſa, ex dictis cauſis jam per ſe cruda, acida atque auſtera labe infecta, mobiliores partes alioquin jam quantitate juſto parciori præſentes, diſſipaſſe, relictas immobiliores conjunxiſſe, ſicque ſanguinem hunc jam cru-

 dum

dum reddidiſſe craſſiorem, atrum, terreſtrem, acidi auſteri illius vitii adhuc participem. Quoniam vero ſanguis non perfecte ſubactus, ſed utcunque adhuc crudus, neque in omnibus minimis ſuis maſſulis ita ſolide compactus, neque ita ſphæricus & lævis eſt, ut ſanum ſanguinem alias conſtitutum eſſe debere, in phyſiologicis demonſtratur, ſed multas partes juſto leviores, angulosas, ſcabras, viſcidas continet, hinc talis crudi ſanguinis circulatio maxime eſt operoſa, & viribus impellentibus reluctans, crudis moleculis ejus, non ut ſani humores, recta via & conſtanti velocitate, ſed tarde atque oblique progredientibus. Propterea & heic in præſenti caſu evitari haud poterat, quin crudus talis ſanguis, circulari ſuo motu per aortam vectus, deſcendentem ejus ramum non ſolum inprimis ingreſſus fuerit, ſed & maxima etiam crudarum ſuarum maſſularum parte in tres capaces abdominis arterias, cœliacam puto, binasque meſeraicas obliquo ſuo exortu cum aorta deſcendente, angulum verſus, apicem acutum formantes, ſeceſſerit. Inde per varias harum arteriarum gyrationes, lente in radices & truncum venæ portæ actus, tandem in ejusdem venæ ramis, haud aliarum venarum more continuo amplioribus, ſed arteriarum more gracilioribus fientibus, ingentem reſiſtentiam, quam non niſi tardiſſime ſuperare valet, incurrens, itidem non potuit non continuo ſpiſſior tenaciorque fieri, quem characterem & bilis inde ſegregata, neceſſario retinet, ad concretionem coagulaque propterea prona. Perſpiciebam denique, frequentiſſimis indignationibus ſuppreſſis, partes hepatis ſæpiſſime convulſas fuiſſe, ſicque humorum per hoc viſcus tranſitum, natura tardum, propter expoſitam cruditatem jam p. n. tardiorem, nunc propter dictarum partium a memoratis cauſis frequentiſſimam convulſionem, tardiſſimam ſæpiusque hæſitantem redditum, atque hac ipſa mora craſſos, tenaces humores ad coagula & concretiones di-

ſpoſi-

ſpoſitos fuiſſe, unde ſane aliter fieri haud potuit, quin bilis inde ſeparata, facillime grumeſcens evaſerit. Quodſi nunc inſuper conſidero, eo, quo ægra primum utero gerebat, tempore, tranſitus humorum per hepar præſentem jam tarditatem & moram, per extenſi uteri preſſionem, auctam, coagulaque & concretiones in vaſis hepatis promotas fuiſſe, dum interim uteri expanſi vaſa dilatata multum immo plurimum ſanguinis, alias in abdominis alia viſcera derivandi, reciperent; viſceribus vero vaſisque abdominalibus excluſo fœtu, a preſſione iſta liberatis, uteroque contracto, ac ſanguine iterum pleno rivo in illa derivato, & per regimen puerperis ſolenne calidiusculum agitato, & hæſitantes grumescentesque humorum, ſeorſim bilis in hepate partes impellente & propellente, videor mihi cauſas atrocium iſtorum dolorum, primum iſtud puerperium adeo triſte & moleſtum reddentium, & pro hyſtericis tum quidem reputatorum, ſatis evolviſſe. Nec dubito, ſi tum ægræ excrementa alvina examinata fuiſſent, cholelithos tunc ſtatim repertos fuiſſe. Eædem graviditatis & puerperii rationes cauſæ fuerunt delirii melancholici, ſecundum puerperium inſecuti. Agitato ſiquidem atrabilario in vena portæ hærente humore, & aut reſorpta perruptave in ſurculos venæ cavæ, ramulorum venæ portæ extremitatibus reſpondentes, aliqua ejus parte, hacque per vim circulationis humorum ad cerebrum delata, nec transpelli valente, delirium illud melancholicum natum fuit. Liberata tandem utcunque ab humore iſto atrabilario, per internum potiſſimum thermarum Wisbadenſium uſum, non vero penitus correcta univerſali humorum acido auſtera cruditate, quid mirum, pertinaciter tamen ad bilis grumescentiam diatheſin perſtitiſſe, quin in habitum alteramve naturam, nunquam plenarie corrigendam, jam pridem transiiſſe.

Cogitabam igitur, quomodo tantum ægræ ſolatium miti-

mitigationemque mali adferre valerem; cumque hæc ſub initium Octobris 1735. fierent, tam pro cruditate acido-auſtera in genere, quam pro bilis grumeſcentia in ſpecie impugnanda, præſcribebam extracta centaurii min. Fumariæ, ſaponemque venetum in pilulas redigenda, earumque ſcrupulum unum ter quaterve de die ſumere juſsi, infuſum rad. Graminis foliorumque Beccabungæ ſuperbibendo, idque per aliquot ſeptimanas continuare, ſubinde interpoſito purgante melanagogo. Atque ab eo tempore hucusque ab iſtis cruciatibus libera vixit: Vere ingruente præſentis anni, optimo cum ſucceſſu ordinavi juſcula, ex ſuccis herbarum recentium ad modo dictum ſcopum directarum parata, maxime Graminis, ſecundum SYLVII *Prax, Lib. I, c. 45.* §. *13.* notatu digniſſimam obſervationem.

OBSERVATIO LXXIX.

Dn. D. JOAN. PHILIPPI BVRGGRAVII.

Ovulum humanum in uterum devolutum, ibidemque ſpiſſo cruoris coagulo immerſum & tamen vegetans.

Honeſta mulier, triginta quatuor circiter annorum, aliquot liberorum jam mater, per duos menſes, diverſis temporum intervallis, catamenia tantum prodeuntia, mox iterum vero ceſſantia, ſentiebat, dubia an gravida ſit necne. Tandem d. 29. Jan. a. c. hora noctis ſecunda ingenti uteri hæmorrhagia corripitur. Meam hinc opem ſollicitanti ſuadeo ſitum horizontalem corporis, ſtragulis non niſi leviter tecti, quietiſſimum, jusculumque carnis frequenter ſumendum; quo ſcilicet utroque medio & contiguitatem ſanguinis circulantis prope cor, & vaſorum ſuf-

ficientem repletionem conſervarem, ſicque lipothymiam arcerem, abortientibus & puerperis adeo periculoſam. Dum vero de venæſectione revulſoria & pharmacis, cogito, ecce! prodit maſſa cruoris conglobata, robuſti viri pugnum magnitudine fere ſuperans, qua excreta, terribilis hæmorrhagia, utero inanito ſponte ſe ſucceſſive contrahente, & hiantia ſua vaſa arctante ſucceſſive minui incipiebat. Poſtero mane, maſſam illam cruoris conglobatam, pauca aqua adfuſa ablutam, perfectum hemiſphærium repræſentare video, (haud ſecus ac ſanguis phlebotomia emiſſus, quiete in ſerum & cruorem ſecedens, hunc ipſum in hemiſphærium cogere ſolet) in cujus partis ſuperioris planæ medio, fila alba, longa, ſed ſanguine leviter tincta, & rariſſima laxiſſimaque textura, fere glomerata invicem, obſervo. Dum glomerata hæc fila circumſpecte ſeparo, veſiculam pelluciditate, ovi turturini magnitudine, maſſæ huic cruoris immerſam, exque ipſa veſicula, fila illa modo dicta prodeuntia, facile tamen ſeparabilia, deprehendo. Veſiculam hanc verum ovum eſſe ſuſpicans, eximo, & caute diſſeco: Lympha pellucida exibat: Interiora hujus veſiculæ, vel ovi, mox rimor, & video globulum ad parvi piſi magnitudinem vix accedentem, tenui filo interiori veſiculæ ſuperficiei cohærentem, quæ embryo cum funiculo umbilicali mihi videbantur. Eximo quanta poteram circumſpectione globulum, & vitro, aqua puriſſima ſemipleno, excipio, ambo non nihil agito, globulus explicatur, qui & ab ægra, & ejus marito, & mulieribus adſtantibus, me ſtudio tacente, & ipſis rem monſtrante, agnoſcitur pro embryone, vix tres lineas longo, fere diffluente, in cujus trunco artus non niſi ut tubercula plana notabantur, perfecte ut RVYSCHIVS *Theſ. Anat. VI. Tab. II. fig. 5.* talem embryonem depinxerat. Petebam a genitore, cederet mihi hunc embryonem, adfuſo alcohole vini indu-

durandum & adſervandum, ſed præter expectationem recuſabat. Hoc imprægnatum ovulum in uterum devolutum, cruori in cavo uteri contento videtur immerſum, eoque ipſo, quo minus utero adcreſceret, impeditum fuiſſe; quoniam tamen fœcundatum fotumque fuit, nihilominus in ipſo cruore, cui immerſum erat, utcunque vegetabatur, haud ſecus ac ſemina vegetabilia, (cum quibus magna ovis animalibus intercedit analogia) quamvis terræ haud mandata, udo tepore fota, facile vegetare cernimus.

OBSERVATIO LXXX.

Dn. D. JOAN. PHILIPPI BVRGGRAVI.

Mutuus & lethalis inteſtini Ilei ingreſſus.

Puellus quatuor annorum, Bibliopolæ cujusdam noſtratis filiolus, per tres jam annos rhachitide, lenta, ſed levi febricula ſtipata, cruciatur; continuo in lecto cubans, interdum ſedens; ampliſſimo capite; dentibus prorſus orbus; abdomine valde prominente, artubus extenuatis & admodum flaccidis; valde edax, ſed feces ſemper liquidas, nunquam figuratas, & intolerabiliter p. n. fœtidas, alvo excernens; d. 4. Martii 1734. corripiebatur torminibus abdominis non adeo gravibus, jungebantur vero frequentes vomitus, & ingens ſtatim in corpore jam languido virium proſtratio, ſomnolentia & pulſus valde exilis; ſuccedebant tandem æſtus & ſitis. Cum pharmaca ore ſumta ſtatim revomeret; enemata ac inunctiones nullum levamen adferrent; pulſus exilis quamvis, altero tamen die juſto celerior fieret, ac ob viſceris alicujus abdominalis inflammationem metuendam venæſectio indicari videbatur, at tamen corpus rhachitide exhauſtum & pulſus, neutiquam depreſsi, vera & ingens exilitas debilitasque, phlebotomiam diſſuadebant,

debant, ne hoc remedii genere æger citius, quam morbo perderetur. Enematum igitur & inunctionum uſus continuabatur, ſed medio tertii diei miſellus expirabat.

Impetrata a parentibus corpus incidendi licentia, adſcito in operis ſocietatem dexterrimo chirurgo noſtrate *Barrot*, aperto abdomine viſcera omnia mire flaccida, mollia, hepar ſolito grandius, nullibi vero vel minimum prægreſſæ inflammationis ſignum conſpiciebatur. Miratus rem, totum canalem alimentarium ſcrupuloſius per univerſum ejus tractum rimor, & ecce! medium inteſtini Ilei, quoad partem ſuperiorem ingreſſum in partem inferiorem, conſpectui ſe ſiſtebat. Lente igitur & attenta mente ingreſſam partem extrahendo, obſervabamus hanc ultra trium pollicum longitudinem, inferiorem partem ſubiiſſe. Nec heic tamen, vel minimum prægreſſæ inflammationis veſtigium notari poterat. Intacto thorace ad caput inſpiciendum cum properandum eſſet, cerebrum admodum molle & flaccidum, ceterum pro ratione ætatis valde magnum, in ventriculis ſuis unciam unam circiter lymphæ puriſſimæ continens, deprehendebamus.

Exin hæc mihi nata ſententia; Ab acrimonia copioſarum, ex multo cibo, (nam edacem fuiſſe jam monui,) fecum, abominabili modo ſemper fœtentium, vellicata & ſtricta fuiſſe inteſtina, & excitata primum tormina: horum vero vellicantium fecum, mediante periſtaltico inteſtinorum motu, provolutione, cum inteſtina per illam ipſam a modo provolutis iſtis acribus fecibus, ubique ſucceſſive magis, quam quidem a naturali periſtaltico eorundem motu fieri ſolet, ſtringerentur, inteſtinum ileum in medio ſui ita etiam ab iiſdem modo deſcendentibus fecibus acribus & copioſis ſtrictum, nec cito ſatis a ſtrictura iſta expeditum, proximam inferiorem dicti inteſtini partem, ob rhachiticam laxitatem valde flaccidam, & modo ingreſſis copioſis

fecibus dilatatam, ipſo dictarum fecum ulteriori deſcenſu ingreſſum, quin intruſum fuiſſe. Quoniam vero ſub hoc inteſtini ingreſſu vaſa ex meſenterio, dictam hanc inteſtini portionem ſubeuntia, premebantur & arctabantur, hinc tranſeuntis ſanguinis attritus augebatur, lenta illa, antea levis febricula, nunc non nihil inſurgebat, nulla tamen vera ſtaſis & inflammatio naſcebantur, nec in debili valde, multumque laxo flaccidove, ac viribus jam, diuturnitate morbi, exhauſto corpore, febris valde furere poterat. Sufficiebat tamen ad exanimandum vitaque privandum corpus, gravi & chronico hoc morbo ſatis jam debilitatum.

Adductam hanc ingreſſus inteſtini ætiologiam juvabit pulcro PEYERI experimento, *Parerg. anatom. & med. I. exercitationis de glandulis inteſtinorum parte poſteriore, cap. IX. p. 47.* confirmare, quod hujus eſt tenoris: *Torminum geneſin atque modum, quo inteſtina coarctata ſe mutuo ſuſcipiant, ranæ jucundo admodum & utili experimento, inter alia perquam curioſa, oculis noſtris exhibuerunt. Etenim inteſtina vivente amphibio laceſſita in diverſis locis pertinaciſſime mox ſe conſtringebant, contentis violenter ſurſum deorſumque, quo data porta protruſis, atque hinc inde in cumulos quaſi congeſtis. Inde quædam inteſtini portiones valde impletæ ac turgidæ, aliæ prorſus inanes & arctiſſime clauſæ perſtiterunt, donec ſoluta fibrarum ſtrictura meatus liberior redderetur. Inteſtinis autem hinc inde ſe conſtringentibus, & ſive chylum, ſive feces ſurſum deorſumve projicientibus, factum, ut inteſtini partes quædam alicubi plus debito ampliarentur; hæ ita ampliatæ, ac in ſacci morem dilatatæ, intra ſe receperunt conſtrictas ejusdem inteſtini alias portiones vicinas, easque ſinu ſuo abſconditas aliquamdiu detinuerunt, donec fibris ſe mutuo exporrigentibus, inteſtini pars una e latibulo alterius, velut ex domunculo limax in propatulum priſtinamque ſedem rediret.* (*Francofurto Erfordiam transmiſſa d. 22. Nov. 1737.*)

OBSER-

OBSERVATIO LXXXI.

Dn. D. RUDIGERI FRIDERICI OVELGUN.

Calculus inteſtinorum iliacæ paſſionis cauſa lethalis.

Matrona generoſa, ſereniſſimi Principis quondam aulæ præfecta, litteris, in primis Philoſophia haud leviter imbuta, Iliaca corripitur paſſione. Data ſunt ab Archiatro, Avunculo meo *de Weſthoven*, varia, & nihil non tentatum. Aſt quod malum omni remedio majus eſſet, omnem eluſit operam medicam. Cum proinde diem obiiſſet ſupremum, cultro anatomico ſubjecta, in culpa fuiſſe cauſam paulo rariorem, fidem faciebat calculus inteſtino firmius adhærens, deſcenſum fecum alvinarum, occluſo tantum non meatu, per inferius guttur impediens. Multorum oculis uſurpata hæc res eſt. Cui vero inteſtino adcrevit, concrementum hoc calculoſum, memoria excidit, ob multorum annorum decurſum, & quod tum temporis Medicus aulicus, aula abeſſem.

OBSERVATIO LXXXII.

Dn. D. RUDIGERI FRIDERICI OVELGVN.

Mentha plures per annos virens.

Duodecim, & quod excurrit, anni ſunt, quibus Illuſtriſſimæ Comitiſſæ *Joannettæ*, Viduæ Waldeccenſi Medicinam feci. Quæ pauperum mater, decus & ornamentum ſexus ſui ſummum, ſeptuaginta & quinque ferme annos nata, vitam cum morte commutavit, ſubita febre epidemica correpta, dum Gueſtphalus, illa adnuen-

te, patrios lares inviſerem. Per omne id tempus vel hieme, vel autumno, vel primo vere Landaviam vocatus, in hypocauſto pediſſequæ ætate gravis, virtute nulli ſecundæ, Mentham criſpam in vitro virentem inveni. Sciſcitanti mihi, & circumſtantias curioſius exploranti, ſequentia reſponſi loco dedit: Odor menthæ mihi ſemper fuit gratiſſimus. Dum proinde forte fortuna, menſe Majo, digiti longitudine Menthæ aliquot cauliculos ſine radicibus decerperem, hos, aquæ in vitro capacioris colli immerſi, quovis mane perparum aquæ adjeci, relicta ſemper priori aqua, & nunquam effuſa, ſic tractu temporis cauliculi, radiculis ornabantur plurimis, quæ in Mentha, per duos annos ſic virente, vitrum ſatis capax, jucundo ſpectaculo, tantum non opplebant, aquæ innatantes. Ne γρῦ terræ unquam aquæ injecit; vitrum æſtate ad feneſtras, hieme, urgente frigore, paululum propius, aſt certe non multum, ad fornacis regionem collocari juſſit. Hyſterica ſeptuaginta annorum, illud ſe inde commodi percepiſſe adfirmat, quod, nullo non tempore, digitis virentem Mentham fricare, & odore cum digitis communicato, ſe reficere potuerit, odoris hujus amantiſſima. Eodem tempore, cum meliſſa, aliisque, eodem modo experimentum cepit, ſed fruſtraneo prorſus effectu. Negabat etiam cum Mentha ſucceſſiſſe negotium, ſi alio menſe iſthuc ſuſcepiſſet; menſe autem Majo decerpto ramulo, ſemper ſe voti compotem facti fuiſſe.

OBSERVATIO LXXXIII.

Dn. D. RUDIGERI FRIDERICI OVELGUN.

Radix caryophyllatæ aphrodiſiacum.

Avus maternus *de Weſthoven*, Regum, Electorum & variorum Imperii ſtatuum quondam Archiater, nunquam mihi ſine grato animi ſenſu nominandus, ſæpe nume-

numero mihi mirum in modum commendabat Radices caryophyllatæ, tanquam ant-acidum, ceu dicebat, ſummum, cum experientia propria, tum experimento ſat noto, quo cereviſiæ in hunc finem inditur, confirmatus. Vinis proinde medicatis, neque minus decoctis, cum aliis in hunc finem, commiſcebat, quem in adfectibus hypochondriacis & ſcorbuticis teneriorum, ſæpenumero ſequutus ſum, additis variis, pro vario ſcopo. Illud autem non memini, me vel audiviſſe, vel, niſi me memoria fallit, legiſſe, hanc radicem inter *aphrodiſiaca* locum obtinere. Caſu certe mihi iſthoc innotuit. Vir namque Primarius, cholerico - ſanguineus, ex cauſa levicula iraſcens, radices acetoſæ, aquæ cum ſemine aniſi incoctas, uſurpabat, quarum efficacia, in bile volatili oleoſa ut memorabilis, ita color a radice hac eleganter rubellus pergratus eſſe ſolet. Procedentibus annis, bile volatili imminuta, radices cichorii, loco radicum acetoſæ commendabam ad aperiendum hepar, ductusque choledochos reſerandos, qua in re, in primis in calidioribus, operæ pretium mihi ſemper fecere. Ætate altius provecta, ſubſtituebam his radices caryophyllatæ, pro hepatico deobſtruente. Cum per aliquot tempus hac radice, cum ſemine Aniſi, loco ptiſanæ uſus eſſet, quærit ex me, litteris haud leviter initiatus hic vir: Quibus viribus radices caryophyllatæ prædita ſint? Ex ordine enuncio, per experientiam obſervata, & varia variorum lecta. At taces, infit, de vi aphrodiſiaca, qua gaudere hanc radicem exiſtimo. Tempore interjecto, uxor illius quærebat, quo nomine hanc radicem adpellarem, idiomate Germanico. Edico nomina conſueta varia, adjiciens, Wildungæ a vulgo vocari, Krafft-Theriac. Hic vulgo audit Manns-Krafft, illa regerebat, quod certe veritati conſentaneum ſit, adnuente marito. Cum proinde hæc ipſa ſemel atque iterum hanc vim urgeret, & nimiæ Veneris impatiens videretur, Ptiſanam diſſuaſi, ex

ſi, ex quo hæc Matrona, marito natu minor, nihil amplius conqueſta eſt, certo documento, expiraſſe cum uſu radicis caryophyllatæ ſtimulum veneris nimium.

OBSERVATIO LXXXIV.

Dn. D. RUDIGERI FRIDERICI OVELGUN, De Nauſea maris nonnulla.

Cum valetudini minus proſperæ viri cujusdam Generoſi præeſſem, & de nauſea marina ſermo incideret, adfirmabat ille, temperamento phlegmatico-cholerico præditus, ſibi ab Archiatro ſuecico, ex Suecia iter in Germaniam ingreſſuro, datum fuiſſe conſilium, antequam navem conſcenderet, vitrum plenum aquæ marinæ biberet. Paruit, & effectum demirans, morbo marino adflictus non fuit. Ut primum hoc audirem, rapiebat me in admirationem vis hæc ſingularis, donec memoriæ ſuccurreret, verſus ſcholæ Salernitanæ, qui negat, nauſeam marinam quemquam vexare poſſe,

Undam cum vino mixtam qui ſumſerit ante.

ARNOLDUS *Novicomenſis* in Enarrationibus ſuis ait, hic tradi remedium nauſeæ, ſeu vomitus, ex marina trajectione in non adſuetis, ut ſcilicet, priusquam navem conſcendant, dies aliquot, vino ſuo, aquam marinam miſceant, ſi divites ſint, ſi pauperes, aquam marinam ſine ulla admixtione bibant; id quod in hoc caſu, ſine longiori adparatu, unicum vitrum effecit, aqua marina plenum. Idem ARNOLDUS ex AVICENNA monet; Vectorem marinum a principio non debere retinere nauſeam, vel vomitum, ſed dimittere, hoc enim a multis ægritudinibus non ſolum præſervare, ſed etiam curare, nimium tamen vomitum reſtrin-

gen-

gendum eſſe, fructuum ſtypticornm eſu, per cotonea, granata, reliqua. Vir facetus, amicus meus, ſermones mecum habens, ſequentibus quædam ex his confirmare, quædam vero infringere videtur. Is ſanguineo-melancholicus, adhuc puer mari ſe committit, cum fratre natu minore, non bibit aquam marinam, manet in inferioribus navis, neque tamen corripitur nauſea, vel vomitu marino: aſt fraterculus ſibi aquam marinam porrigi curat, & vomit inde egregie. Navis ventis agitata majorem agebatur in modum. Ubi tandem adpuliſſent, ille natu major, febre per ſex menſium decurſum infeſtabatur, natu minore optima gaudente valetudine. Chirurgus, qui haud ita pridem diem obiit ſupremum mihi per multos annos amicus, indolis robuſtæ, ad ſcorbutum tamen inclinans, melancholico-ſanguineus, in inferioribus navis degebat, extemplo male ſe habebat, alta proinde petebat, & oculis aërem liberum uſurpabat, inde non vomebat, nec nauſeabat, ſed illico cum valetudine & ventriculo in gratiam redibat, neque tamen valetudine minus proſpera uſus eſt, mari relicto. Is in ea erat ſententia, cauſam vomitus nauſeæque marinæ eſſe motum navis, mox ima, mox alta petentis, oculis libero aëris adſpectu privatis, vel ſuo exemplo, ut putabat, confirmatus. Cui opinioni cum accedat *Adamus* OLEARIUS in *Deſcriptione Itineris Orientalis*, quam publici juris fecit Schlesvvici 1647. lubet latinitate donare, quæ ille de hoc morbo idiomate germanico expreſſit: „ *Ortum non ducit morbus*, ait „ ille, *marinus, ex nonnullorum ſententia ab odore aquæ ſalſa ſed* „ *unice a motu navis, qui in plurimis vertiginem cauſatur, ex* „ *qua cauſa nonnulli, huic motui adſueti, ad vertiginem non incli-* „ *nantes, hoc malo non infeſtantur: in ea proinde ſum ſententia,* „ *ob eandem cauſam tenellos infantes, cunis adhuc dum adſuetos,* „ *vel prorſus hoc malo non adfici, vel levius ſaltem, quam ſenio-* „ *res. Id quod ulterius vel inde videre eſt, cum plurimi non*

„ *æque primo temporis articulo hoc morbo adfligantur, modo tum* „ *ventus lenius agat cum nave, ſed demum poſt aliquot dies, ob-* „ *orta tempeſtate. Fluvius, Wolga dictus, qui non ex aquis* „ *ſalſis eſt, iſthoc non minus me edocuit, cum namque per lon-* „ *gum temporis ſpatium, placide his in aquis veheremur, oborta* „ *tandem magna tempeſtate, & nave parum tantum mota, ſta-* „ *tim corripiebamur hoc morbo.* Hæc ille. Notus eſt mihi Illuſtr. Comes S. R. J. qui quantumvis ſæpius undis marinis vectus ſit, nunquam tamen vel quicquam, hujus mali ſenſit. At vero ne multus videar, finio, plura & fortean meliora, Medicis relinquens, hoc iter expertis. Interea vero temporis ex adlatis concludere licebit; 1.) aquam marinam remedio eſſe, non tamen ſemper, ceu vult Schola Salernitana; 2.) aquam marinam potam quantumvis ſucceſſerit vomitus, melius tamen rem ſucceſſiſſe, ea non ſumta, nec vomitu ſubſecuto; 3.) vomitum marinum multis utique eſſe proficuum ſcopo præſervatorio & curatorio; 4.) odorem ſalſum maris poſt principia ſtare; 5.) tempeſtatem obortam, & proinde motum navis, non in omnibus eſſe cauſam hujus mali; 6.) motui navis nihilominus non adſueto, turbato, tempeſtati & naturæ ad vertiginem, nauſeam & vomitum inclinanti, primas deberi, in eruenda cauſa morbi ſic dicti marini.

OBSERVATIO LXXXV.

Dn. D. RUDIGERI FRIDERICI OVELGUN.

De

Lapicidis & pulvere lapidum nonnulla.

Quum in oppido *Volckmarsheim*, quod vulgo *Volckmeſſen* audit, aliquando praxi medicæ vacarem, more meo, numerum civium, regionis, murorum, & nul-

nullius non rei conditionem inquirenti mihi, in oculos, inter cetera, incurrebat magnus numerus lapidum, in uſum potus pro bobus & equis excavatorum, ita, ut vix tale quid ex ligno illic videas. Quum exinde facillime hariolarer, civitatem gaudere lapicidinis non adeo paucis, lapidarius denique me conveniens, certiorem me fecit, erui illic loci lapides longitudine quadraginta pedum. Sermonem cum illo de morbis lapicidarum miſcens, negabat lapicidam, cum alias, tum inprimis æſtate in opere ſuo ſedulum, ſexageſimum attingere annum, niſi rariore fortean exemplo; æſtate namque lapides ſole exſiccatos multo plùs pulveris lapidoſi, in atmosphæram ſpargere, quam hieme, pulmonibus per inſpirationem communicandi, cum contra hieme lapides humidiores, & aër craſſior ſit. Singulare ſubjiciebat experimentum, indolem & penetrationem edocens pulveris hujus lapidoſi. Si veſica bubula, inquiebat, ſuſpendatur, ubi lapidarius operam navat, videre eſt, dictum pulverem penetraſſe per veſicam, ipſi aquæ imperviam, ita, ut hunc ipſum in veſica reperire liceat, poſt duos, tres, vel plures dies, pro vario lapicidarum labore, nullo externe adhærente pulvere & ſubſtantia veſicæ incruſtata. Qui hæc aliaque attento perpendit animo, haud mirabitur, ſi ætate virili vix transacta, neminem non fere lapicidarum diligentium mecum obſervabit aſthmaticum.

Scholion.

Quod particulæ quælibet ſubtiliores, tanto magis autem tales, quæ ſpecifica ſua gravitate aliis præpollent, quales v. g. lapidum arenoſorum ſunt atomi, per membranas etiam denſiores facili negotio ſucceſſive penetrare valeant, adeoque itidem cum aëre attracti, pulmonum non ſolum ſubſtantiam maxime poroſam ſubire, ſed & intimius progredi & aliis arctioris texturæ partibus inſinuari queant, neutiquam iis ad minimum videbitur paradoxon, qui cum Il-

luſtri BOYLEO, *Tentamin. Porologic.* aliisque noſtrorum temporum oculatioribus Philoſophis, tam animalium, quam etiam quorumvis aliorum ſolidiorum corporum poroſitatem conſiderantes, hæc pariter, ac alia primo quidem intuitu obſcuriora & difficulter coucipienda, veriſſima tamen eſſe, obſervarunt. Confirmat idem hoc Celeberr. STISSERUS *in Actis Laborator. chem. Specim. I. cap. VII.* alio ſatis pariter curioſo ac notabili experimento, quod propriis ipſius verbis huc transſcribere haud dubito, utpote priori, in obſervatione hac adducto, perfecte analogum: *Cum aliquando*, inquit, *Hamburgi cum Illuſtri Domino* KERKRINGIO *hac de re ſermonem haberem, retulit mihi, veſicam bubulam inflatam & exacte ligatam, poſtmodum in ſuperiori parte illorum officinæ ſuſpenſam, qui pannos radere ſolent, & germanice vocantur* Tuch-Scherer, *poſt quadrimeſtre ſpatium, facta diſſectione, vel manipulum flocculorum ſubtiliſſimarum in ſe continuiſſe, quæ omni proculdubio ab opificibus agitatæ veſicæ poros penetraverant.* Non minus etiam admirationem meretur, quod curioſiſſimus TAVERNIER, *Itinerar. Indiæ Lib. II.* ſequentibus refert verbis: *Ipſemet plus ſimplici vice obſervavi hoc; ſi illis, qui Indigo per cribrum trajiciunt, tempore matutino proxime adponatur ovum, & circa veſperam illud diffringatur, interne totum livido colore tinctum obſervari.* Facile ergo hinc liquet, quod multorum & ſæpe graviſſimorum morborum cauſæ cum pabulo illo vitæ, aërem puto, frequentiſſime communicentur, primaque ſic eorum rudimenta & fundamenta inſenſibili prorſus modo, inſciis nobis ponantur, adeoque omnino opus eſſe, ut & minimorum, quæ alias non curat prætor, exactiſſimam ubique habeat rationem Medicus tam pro conſervanda, quam reſtituenda ſanitate debitam navaturus operam.

(*A. E. Büchnerus.*)

OBSER-

OBSERVATIO LXXXVI.

Dn. D. RUDIGERI FRIDERICI OVELGUN.

Diarrhœa vehemens torminoſa, cruenta, ex obſtructis menſibus, per acidulas Wildungenſes, triplici exemplo, curata.

Præterita æſtate me convenit virgo ruſtica, ex Haſſia, lacrymis profuſis ſortem ſuam miſeram mecum communicans, hunc in modum: Ante ſex menſes flumen navigio trajectura, menſibus tum temporis fluentibus, navicula, dum ripam adpropinquat, repletur aqua, multitudine hominum plus juſto onerata. Illa ſuccumbit aquæ, aliis ægre fugientibus. Mentis tandem compos facta, ſentit per terrorem, & aquæ ſatis magnam frigiditatem, debitum lunare ceſſaſſe. Non rediit fluxus menſtruus, ſed per dies atque noctes, ab eo tempore, ultra annum dimidium correpta eſt diarrhæa ſumma torminoſa atque cruenta. Per omne id tempus, ut ſolet, hocce genus hominum, uſa eſt remediis variis, a variis empiricis petitis, at fruſtraneo, ex more, effectu. Tandem, ut fieri pariter adſolet, ad me mittitur, tamquam ad ultimum, ceu dicebat, refugium. Ego, omnibus ponderatis circumſtantiis, pronuncio, unicum auxilium in acidulis Wildungenſibus, ſic dictis urbanis, poſitum eſſe, more conſueto adſcendendo & ad ſummum per quatuor ſeptimanas, quinque vel ſex pondera civilia, quovis mane potando. Subjungebam e re fore, ut interdum ſimul ſeminis cumini drachmam unam adſumeret. Illa reſpondet, ſibi per pecuniæ inopiam, quoniam ab Empiricis variis emuncta, non licere acidulis his uti. Lacrymarum tantum non imbre motus, dimitto eam cum litteris commendatitiis ad Illuſtriſſimam Comitiſſam Waldeccen-

 ſem,

ſem, directis, cui aquas has medicatas commendaveram, quæ illi generoſiſſime cum potu & cibo, aliisque neceſſariis proſpici curavit. Ad Sereniſſimum Ducem Palatinum, vix elapſo octiduo, Wildungam vocatus, illa extemplo ad me venit, ſummo gaudio perfuſa, adſerens, per diem jam dejectiones, adeo doloroſas & cruentas, eſſe rariores, nec nocturno tempore numerum transcendere ſeptenarium, antea, ut in Dyſenteria, per omne illud tempus frequentiſſimas. Finito tempore, ad potandum præſcripto, gratias agens, colorem vividum, quod mirabar, denuo præ ſe ferebat, ac in omnibus melius ſe habebat. Juſſi, ut morbi reliquias anno ſequenti, ex more Wildungenſi, iterato harum aquarum potu, prorſus dilueret. Cum ibi loci tum temporis per aliqot dies commorarer, muliercula ruſtica alia me viſitavit, eadem menſium obſtructione, eademque diarrhœa torminoſa cruentaque, per annuum ſpatium adflicta, eodem modo variis, ſed pari fruſtraneo cum effectu uſa. De re familiari, conquerebatur, eſſe conclamatum, quod doloribus, diarrhœa cruenta, & viribus fracta, omni illo tempore nihil laborare potuerit, nec etiam unquam illud ſibi poſſibile futurum autumaret, id quod inprimis ægerrime ferre maritum probe obſervaret. Suaſi aquas medicatas urbanas Wildungenſes eodem modo, eodemque cum effectu. Auctor olim fui & mihi & aliis, in deſcriptione acidularum Wildungenſium, *cap. VI. §. V.* magno reipublicæ medicæ fore emolumento, ſi conditionem aquarum mineralium, non generatim tantum ſecundum virtutes cum pluribus communes, id quod fere ubique fit, ſed ſigillatim, & ſecundum vires ſpecificas, huic aquæ medicatæ magis, quam aliis, proprias, ſedula & attenta obſervatione, præſens in loco aquarum talium Medicus indagare, & obſervata dein cum publico communicare adlaboraret, id quod & ego præſtitiſſem, niſi locum, huc vocatus, mutaſ-

ſem.

ſem. Interim nullus dubito, quin urbanis ſic dictis fontibus Wildungenſibus, ſpecifica efficacia præ aliis multis competat, in menſium obſtructione indeque oborta diarrhœa torminoſa cruenta. Si enim ingredientia ſpectes, gaudent urbanæ iſtæ multa terra alcalina, tenero martiali principio, & ſale pauciſſimo, adeoque non æque alvum irritant, & ſtimulant ut plurimæ aquæ Germanicæ, ſale plurimo impraegnatæ. Inter quas de principatu utique certare poteſt ipſa Wildungenſis aqua mineralis *Saſſa* dicta, (der Salzbrunn) quam primus deſcripſi, aſt eam ob cauſam in tali caſu nunquam commendavi. Terra alcalina & martialis quid hic præſtent, in propatulo eſt. Si ad fontes aquæ urbanæ deguſtantur, grata & lenis adſtrictio linguam ferit. At de his fuſius egi *l. c. cap. III. & IV.* Si vero acidulas urbanas ulterius ad incudem experientiæ revocare animus eſt, en obſervationem *l. c. cap. VI.* §. *17.* adlegatam, ex qua præcipua latine reddere lubet, partim ut veritas ex triplici exemplo eo magis diſpaleſcat, partim vero, quod ex prædictis duabus perſonis poſt uſum acidularum plura ſciſcitari non potuerim. Quædam ruſticæ gentis, nondum maritata, vigeſimum ſeptimum annum agens, coloris cachectico flavi, Ao. 1720. ſe contulit ad aquas medicatas Wildungenſes. Quatuor jam anni erant, cum dyſenteria correpta fuerat. Ab hoc tempore ſemel tantum menſium experta fuit fluxum, cauſam adlegans, quod ſtatim poſt excretionem iſtam pedibus nudis aquam frigidam calcaverit. Haud ita multo poſt intolerabiles dolores abdominis perpeſſa fuit per medium ventris, ex uno latere in alterum excurrentes, ſubſequente dein per totum illud tempus, & vel ſingulis, vel ad minimum alterinis aut ternis diebus, cum ſummis dictis doloribus, redeunte excretione ſanguinis ex flavo- vel atro-rubicundi ac purulenti ſub alvi depoſitione. Acceſſere inſuper dolores humeri lancinantes, inprimis vero lumborum, & hieme

hieme pedum tumor. Quoniam ergo dolores & virium defectus labori incumbere haud permittant, omnibus ſimul bonis, fruſtraneorum remediorum comparatione, per tam longum temporis intervallum abſumtis, ſequuta hinc eſt pauperies maxima. Procuravi igitur illi neceſſaria, ſuaſi uſum herbæ & florum Bellidis in jusculis, & ut libras ſex indies conſueto more adſcendendo, potaret, & per quatuor ſeptimanas continuaret. Finita cura, neque melius, neque pejus ſe habuit. Suaſi diætam exactam, abſtinentiam a remediis, & ut lentam poſt acidulas operationem expectaret. Id namque ſæpius ſolicita obſervatione, in morbis inveteratis deprehendi, delaſſatum vel turbatum principium vitale, multitudine aquarum, ad morbos chronicos neceſſarium, ſub uſu nihil levaminis attuliſſe; ſanguine vero per has acidulas tantem repurgato, viis apertis, & tono viſcerum roborato, finito potu, ſenſim non advertentibus ægris ceſſaſſe ſymptomata, & priſtinam rediiſſe valetudinem, id quod etiam ruſtica hæc anno ſequenti rediens, confirmavit, ſpeciatim ſimul indicando, quod per integros novem menſes indies aliquid levaminis ſenſerit. Reiteravit ergo hoc anno uſum iſtarum aquarum optimo cum effectu, adeoque anno tertio non rediit.

OBSERVATIO LXXXVII.

Dn. D. RVDIGERI FRIDERICI OVELGVN,

Veternus cum malo hypochondriaco junctus, per aquas medicatas Wildungenſes. curatus.

Ex eadem deſcriptione Wildungenſium aquarum mineralium 1725. publici juris a me facta, juvat ſingularem caſum, ſi indolem excretionis ſpectes, heic loci addu-

adducere, & latinitate donare. Theologiæ Candidatus, nunc Paſtor Haſſiacus, melancholico-ſanguineus, ante quadraginta annos, veterno, nocte dieque ita adflictus fuit, ut Eccleſiam viſitans, vel menſæ adſidens ex alto ſopore, forti non niſi tractione excitari potuerit, redeunte extemplo veterno. Tum ſymptomatibus ſimul hypochondriacis majorem in modum adfligebatur, pedibus non minus præ gravitate inceſſum omnem fere recuſantibus. Variis in locis a variis quæſivit remedia, quæ tamen nihil utilitatis attulere. Tandem matrona, nobiliſſimo genere nata, ſuaſit uſum aquarum medicatarum Wildungenſium, ſpeciatim urbanarum, per integras quatuor ſeptimanas mane ad ℔ viij. ponderis civilis. Per omne id tempus ſomnus ille nimius, non imminutus, ſed auctus eſt, id quod fere in omnibus ſubjectis ſub uſu harum aquarum ſolenne eſt. Neque tamen finito hoc tempore effectus laudem merebatur. At vero trium menſium ſpatio elapſo, noctu critica ſe exeruit in capite excretio, ceu ſæpius mihi retulit, mixta ex ſanguinea & purulenta alba materia, viſu horrida, per totum caput mane coagulata. Per trium menſium intervallum ita ſe res habebat, abſterſa namque indies dicta materia, ſuccedebat alia, illæſa prorſus cute, quod ſane mirandum erat. Ubi vero dicta excretio cutem extimam occupabat, coagulabatur inſtar gummi arborum. Medici omnes, quibus hoc referebat, ſe ignorare faſsi ſunt, quo nomine inſignienda eſſet hæc excretio, cum nec eſſet ſcabioſa, nec alia, ſed quaſi exſudaret, cute poſt plenariam deterſionem manente naturali. Quam primum hæc excretio prorupit, ſenſus ille gravativus in capite decreſcere incepit & indies dein melius ſe habuit. Sæpiſſime hæc mihi adfirmavit, vir fide digniſſimus, nunc ſeptuagenario major, quoties his aquis utebatur, quas potavit quadraginta fere vicibus, magno ſuo emolu-

mento, quoniam optimum hypochondriacorum aſylum ſunt.

(Fritzlaria Erfordiam miſſa d. 13. Nov. 1737.)

OBSERVATIO LXXXVIII.

Dn. D. JOAN. JACOBI von DOEBELN.

De

Oſſibus Giganteis, in aggeribus laterariæ, prope Falckenbergum in Hallandia repertis.

Anno 1730. Conſul Falckenbergenſis, Dn. *Severinus Severini Falckmann*, officinam laterariam ab auſtrali parte Efvæ, vel Eteræ, civitatem præterlabentis fluminis conſtruendam curavit, ubi lateribus apta argilla eruitur & exaggeratur. Hac interim foſſione continua, cum arena ſuperincumbente ſubinde prolabente, murus antea inviſibilis prominuit, ſuper quo priſcis temporibus arx Falckenbergica fuit exſtructa. Hujus muri, octo ulnas alti, lapides craſſitie reſpondent tribus ulnæ partibus, ita quidem poſiti, ut ſuperiore lapide, ſubjacentem non prorſus tegente, prementi a tergo terræ omnes reſiſtant. Longo autem temporis decurſu hic murus tam a prolapſa arena, quam ſuperædificatis, at dudum in rudera converſis domiciliis prorſus obtectus, adhuc integer & conſpicuus, verſus orientem & occidentem longus eſt ulnas triginta, ex quo argumento dilucide conſtat, ipſam arcem mediocris fuiſſe amplitudinis, in qua tamen quam plurimas maximi momenti res expeditas, veterum monumenta comprobant. Lapidum prima ſeries in aggeris medio 20. ulnas a dicto flumine diſtat, atque ex meris ſaxis murus eſt compactus, ſine ullo intermixto latere; ſed viginti inde ulnas alius eſt murus, ad quatuor ulna-

ulnarum altitudinem adſurgens, qui ex plurimis ſaxis, paucisque ſed magnis, iisque ad ſummam duritiem coctis lapidibus conſtat, quorum compage ſeparanda labor magnus conſumitur. Cum hoc alius adhuc murus, ad flumen directus, triangulum conſtituit, qui in lapidum fruſta dudum corruit. Pavimentum denique intra hos parietes fuit latericium, in arena alba, novem ulnas longum, maximam tamen partem corruptum ab uda terra & ætate. Spatium hisce muris comprehenſum *ſepulchri* locus hodie vocatur, poſtquam Anno 1733. menſe Majo tria ibidem oſſa, ſolito majora, fuerunt reperta, qui habebantur fragmenta brachii & colli, figuris *3. 4. 5. 6. 7. 8. Tab. V.* delineata. In ruinarum materie, a continua ruderatione cumulata, plura quidem oſſa integra non fuerunt eodem anno inventa, aſt Ao. 1734. adhuc alia quædam a primo ſtatim contactu valde fragilia, & in his cranium humanum, ad dimidii modioli magnitudinem, aquilonem & orientem ſpectans, ex cœruleo album, & quaſi combuſtum, viderunt operarii. Horum modeſtiores & prudentiores, præſente laudato conſule absme examinati & admoniti, pollicebantur, oſſa parva & magna, fracta & integra ſe in poſterum ſervaturos, dolentes interea rudera ibidem ita eſſe coacervata, ut duorum dierum ſpatio, triginta operarii ruderum acervum in ſepulchro vix repurgare poſſent. Ceterum commemorata tria oſſa a Dno. Conſule mihi donata, in Amphitheatro anatomico conſpicienda adſervantur, de quibus ſequentem ſubnecto ſententiam:

I) Circa quæſtionem, an dentur gigantum oſſa? in memoriam revocare oportet, quæ de PLATERI ſceleto, 19. pedum longitudinem adæquante, & a *Joan. Bock*, pictore Baſilienſi Anno 1584. depicto, dudum innotuerunt. Commemoraſſe e re duco exemplum de oſſibus majoris magnitudinis, in Italia olim erutis; hæc quidem academia Phyſico-mathematica pro giganteis agnovit, ſed poſtquam cum

ſceleto Elephantis in muſeo Mediceo Florentino fuerunt collata, academicorum unanimi conſenſu fuit decretum, quod tam recenter, quam olim inventa, & pro giganteis habita, oſſa Elephantum fuerint, ex India ad ludos ſcenicos expetitorum.

II) Silentio quidem prætereo varias de gigantum generatione opiniones, unicam tamen non poſſum reticere ex J. V. CROPPENBERGII, Geometræ primarii in Muſeo Geometrarum, quod eſt in Columbo inſulæ Ceylon, ſub imperio Regis Candiæ, in Provincia Mature, Anno 1734. d. 30. Oct. exarata Geographica delineatione & deſcriptione ſepulchrorum Adami & Evæ, perhibentis, Adami corporis longitudinem fuiſſe 33. Evæ autem 38. pedum.

III) Quod ad oſſa Falckenbergica attinet, ſi ea cum ſceleto Elephantis, in Celeberr. VALENTINI *Amphitheatro Zootomico* delineati, conferantur, nulla in eo reperitur oſſium ſimilitudo: multo minus ſuſpicio quædam foſſilium & lapidum, oſſa mentientium, locum hic habet, ſi notas characteriſticas, quibus vera oſſa & foſſilia diſcernuntur, attenderis. Quomodo autem quodlibet horum oſſium nominari debeat, conjecturare magis, quam determinare licebit.

IV) Longum illud *Fig. 3. & 4.* $6\frac{1}{4}$. libras pendens, cum integrum non ſit, maximas parit cognoſcendi difficultates. In extremitatum altera proceſſum habet, locis *a. a.* ab ætate & forte ligonibus excavatum, quemadmodum etiam ligonis veſtigia utrinque *c. c. c.* adparent. *Clavicula* hoc os dici nequit, quod nec figura conveniat, nec in eo capitulum, cum ſterno conjungendum, nec proceſſus, acromio adæquatus, conſpiciatur. *Coſtæ* pars eſſe nequit, quia 1) in eo nulla adeſt verſus inferiora proclinatio, adeoque 2) haud debite incurvatum, 3) nullus in hoc oſſe eſt ſulcus pro coſtarum vaſis,

4) nulla

4) nulla adſunt capitula, pro excipienda vertebra, verbo: Quocunque modo lateri vel dextro, vel ſiniſtro adplicueris thoraci, nulla cavitatis thoracis formandæ aptitudo invenitur. In hoc oſſe porro tres quidem adſunt anguli, ſed nulla intus cavitas, adeoque nec tibia nec fibula dici poteſt, nimis præter ea eſt incurvatum, & proceſſus, ſpinam potius mentiens, malleolum non conſtituit.

V) Brevius illud *Fig. 5. & 6.* libras octo pendens, videtur eſſe calcaneum, in ſuperficie interiori ad vaſorum tranſitum excavatum, & foveis latiusculis binis notatum Ceterum *a. a. a.* deſignat loca vel ab ætate, vel a foſſoribus excavata.

VI.) Tertium os, *Fig. 7. & 8.* quod 8¾. libras pondere exæquat, cuboides eſt, ſive *os teſſeræ*, ſex irregulares ſuperficies exhibens, unde *Cubiforme*, & Græcis πολύμορφον dicitur.

(*Lundis Scanorum Erfordiam miſſa*
d. 26. Novemb. 1737.)

OBSERVATIO LXXXIX.

Dn. D. PAULI HENRICI VOGELII.

Febris petechialis variolarum eruptionem concomitans.

Puer 7. annorum, alacris ingenii & vegetæ conſtitutionis, qui primo & ſecundo ætatis annis, per novem menſes quartana conflictatus fuit febre, abhinc vero inconcuſſa gaviſus eſt ſanitate, die 20. Octobris, quæ hujus 1737. anni, peractis ſacris, quibus interfuit, antemeridianis, menſæ, ut prandium caperet, adcumbens ſubito omni privatur adpetitu, de capitis & dorſi doloribus apud parentes conquerens, ob mox inſequentem animi & virium de-

jectionem lectum petit. Inſequitur febris acuta ſatis vehemens, cum crebris ventriculi ſubverſionibus, cardialgia & averſione omnium eſculentorum & medicamentorum; altera die poſt meridiem in cute plures adparent petechiæ lividæ & nigricantes, cum graviore morbi incremento, quæ tertio die iterum copioſiores in facie & omnibus corporis partibus conſpiciuntur, macularum rubicundarum varioloſarum ſimul magna copia faciem potiſſimum occupante. Notabatur in ægro ſumma virium proſtratio cum pulſu debili, ſed frequente, conjuncta ſimul anxietate & inquietudine maxima; Sermones præferebat balbutiente lingua incompoſitos & crebros, delirii indices, quæ omnia quarto morbi die ſimiliter procedebant. Quinto iterum res ægri in deterius abibant, quibus accedebat, quod lingua nigra & ſicca fieret, & in oculi ſiniſtri adnata verſus canthum majorem tunica, ampla ſugillatio cum intumeſcentia quædam obſervaretur. Tandem verſus meridiem nectare virali per os, nares & anum, ad ſtuporem omnium per 3. horas fere continuo fluxu exundante, animam expiravit.

OBSERVATIO CX.

Dn. D. PAULI HENRICI VOGELII.

Hepatis particulæ, unacum pure, erupto ejus abceſſu, vomitu excretæ.

VIr ſeptuageſimum ſextum ætatis agens annum, temperamenti ſanguinei, mediocriter obeſi corporis & procerioris ſtaturæ, ceterum in provectiore iſthac ſenectute firma & conſtante fruens ſanitate, cujus etiam conſervationi temperata & bene compoſita vivendi ratione data ſtudebat opera, anno 1730. exeunte Junii menſe, ob ſonticas cauſas intentioris iræ flammis plus ſemel accenſus,

inde

inde vero gravioribus animi mœroribus demorſus, inſolito epigaſtricæ regionis, hypochondrium ſiniſtrum verſus, dolore adfligebatur, cujus cauſam ventriculo infirmiori reddito ideo tribuebat, quia eundem poſt adſumta alimenta ſemper experiebatur paulo exaſperatum, ructibus ſimul obortis copioſis. Malum hocce adeo tenaciter perdurabat, ut ne minimum quidem medicamentis, ex conſilio ordinarii ægroti Medici adhibitis, cederet, reliqua ceteroquin ſanitate nihil in deterius mutata: progreſſu autem temporis, ſuperveniente punctionum in loco adfecto ſenſu moleſto, ipſi ægroto de latitante circa ventriculum apoſtemate conjectura verſabatur in animo. Rebus hinc ejus, hiemali præcipue ingruente aura, indies in deterius ruentibus, nihilque opis ex hactenus continuato remediorum uſu emergente, viribus ſimul attritis, cum adpetentia ciborum tantum non omni extincta, lecto adfixus tenebatur. Accedebat tandem ſumma nauſea, qua incitatus ventriculus omnia, quæ exhibebantur, evomebat, cujus cauſam tetrum & abominabilem ſaporem & odorem, fauces atque nares continuo adfligentem, accuſabat. In tam deplorando detentus ſtatu, inſequentis anni d. 25. Februarii maximo cum niſu notabilem ſanguinis & puris fœtidi copiam vomitu ejiciebat inſequentibus mox aliquot hepatis portiunculis, unciæ circiter unius pondus æquantibus. Hoc facto, ægri res nihil mutabantur in melius, ſed continua averſatio omnium eſculentorum & potulentorum, vomitus per duas adhuc ſeptimanas crebro repetitiori & naribus adverſi halitus cadaveroſi, unacum lento, corporis ſuccos abſumente calore, eundem adeo conficiebant, ut omnibus exhauſtis viribus, tandem die 22. Martii ultimum emitterent ſpiritum, Inſtituta hinc cadaveris ſectione, ſequentia occurrebant notanda:

1) Hepatis lobus dexter quoad colorem, magnitudinem,

nem, formam & conſiſtentiam naturaliter conſtitutus; in ſiniſtri vero convexa parte monticulus, thaleri magnitudine, pallidior & mollis, tactui cedens.

II) Ventriculus inanis, totus collapſus & ſumme tenuis, cum cujus ſuprema, quæ duo interiacet & orificia, parte ſiniſter hepatis lobus adeo firmiter erat coalitus, ut nullam cultello permitteret ſeparationem.

III) Facta eminentiæ, in ſiniſtro lobo notatæ, apertione, ulcus viſui ſiſtebatur excavatum, ſphaceoloſa intus nigredine infectum & teterrimo expirante fœtore noſtras replens nares, quod eo in loco, ubi hepar ventriculo præternaturaliter accreverat, amplo foramine in eundem patebat, per quod ſine dubio in hiſtoria deſcripta materia purulenta, cruore permixta, unacum quibusdam hepatis portiunculis in ventriculum adſcenderat, inde eundem ſtimulis ſuis ad vomitum laceſſens.

IV) Inteſtina omnia erant vacua, ne flatibus quidem diſtenta, lien inſolitæ parvitatis, ceterum tamen naturaliter conſtitutus. In medii ventris viſceribus nullum omnino deprehendimus vitium. Pulmones inprimis cum corde adeo laudabili erant habitu, ut horum intuitu centum annos complere potuiſſet.

Scholion.

Inter rariores præſentem referimus caſum, partim ob inſolitam connexionem & ſitum ventriculi & ſiniſtri epatis lobi, quam a nativitate fuiſſe, nulli dubitamus adſerere; partim ob apoſtematis in hepate oborti, in ipſo utriusque viſceris coalitionis loco rupturam, per quam factum, ut in illo contenta materia purulenta, cum portiunculis hepatis, a reliqua ejus ſubſtantia ſuppuratione ſolutis, per ventriculum excreta fuerit, cujus alias rationem, vel acutiſſimo ingenio pollens, nec conjicere quidem valuiſſet. Invenimus

equi-

equidem apud SALMUTHUM *Obſ. poſthum. Cent. I. Obſ. 27.* & in PAULLINI *Obſervat. rar. Cent. II. Obſ. 4.* ἄνω excretarum hepatis particularum caſus, ſed vias per quas illæ ad ventriculum delatæ fuerint, a nemine adhuc repertas & detectas fuiſſe, ipſe laudatus PAULLINI adlegato loco ingenue faſſus eſt.

(Erfordiæ exhibitæ d. 17. Decembr. 1737.)

OBSERVATIO XCI.

JOANNIS FRIDERICI HENCKELII.

Volatiliſatio Argenti.

Inter alia, quæ Chymicos tangunt & angunt, haud infimum occupat locum *volatiliſatio metallorum.* Imperfecta horum, ut & Zincum, mediante ſale ammoniaco ad cacumina montium, levi opera & copioſe aguntur, in ſubſtantiam corneam ibi abeuntia. Reliqua ſemi metalla, Regulus, Arſenicum & Bismutum, ſponte, absque adminiculo quodam propellente, avolant. Perfecta ex unguibus aquilæ ſeſe eripi vel plane non, vel admodum difficulter patiuntur. Quod mercurium attinet non tam de alis ipſi addendis, ſed potius adimendis & comburendis cogitant laborantque omnes. Inprimis autem mercurius & arſenicum e Dianæ columbario ſunt, quæ quod pinnis ſuis adpropriatis Deam ſuam volantem reddant, jam docebo, nimirum non arſenicum illud cryſtallinum album vulgo notum, ſed nativum metallicum; non mercurium currentem, ſed ſulphuratum, h. e. cinnabarim, huc convenientiſſima deprehendens. Jam multus, in ænigmate illo de columbis Dianæ vexativo, non ero, quamvis convictus ſim, plures quam

duas ejusdem dari ſpecies non amplus quoque ero in reddenda ratione de experimento, quod nunc aperiam: neque tamen parcum me adpellari patiar, in tradendis iis, quæ ad experimenti, quod alias non niſi cum quibusdam amicis communicavi, methodum & encheireſin pertinent. Eo magis autem lectorem in explorando illo, quod hoc in labore ad ulteriorem progreſſum & imitationem ducere poteſt, adſiduum ſpero, negligentem vero & deſidem, arte plane indignum pronuntio.

Recipe igitur, id quod dico ſine omni decipe, argenti præcipitati albi, ſale communi facti, drachmam dimidiam; arſenici nativi, vulgo Cobalti teſtacei, drachmam unam; cinnabaris unciam dimidiam: Hæc omnia comminue ſeorſim & miſce invicem exactiſſime: ſublima commixtum ex vitro in arenam poſito, duabus forte horis, per gradus: ſepara ſublimata, quæ triplicia, ſatis diſtincta ſe exhibebunt, mediante cupella, & quidem vel unum quodque ſeorſim, ubi inferius cinnabarinum, argento magis dives offendens; vel conjunctim, quod dein tertiam vel quartam partem illius, in luna cornea exiſtentis, & in ſublime acti communiter continet.

OBSERVATIO XCII.

Dn. D. JOANNIS FRIDERICI HENCKELII.

Cœruleum Martis.

Metalla tingunt vitrum varie, primo per ſe, deinde juxta qualitatem vitri, id quod vel ſine addito alcali, vel cum eodem, vel cum adjecto plumbo liquatur; porro prout ſilex, vel quod idem eſt, cryſtallus, comparata eſt; tandem, quod quidem primo loco numerandum erat, quatenus metalli aut lapidis metallici præparationes factæ

ſunt,

ſunt, quarum certe innumerabiles dantur modi, pondus ingredientium, ignis gradus, durationem, & reliqua ut taceam. Campus hic quam vaſtiſſimus in regione, non dicam vitrificationis, ſed tantum vitri tingendi ſit, experientia deſtitutus minime autumabit; excurſionem autem ampliorem illuc alio tempore tentaturus, nihil jam repetam, niſi quod ad ſcopum, quem circa cœruleum vitri mihi propoſui, brevi me ducit tramite.

Aurum imbuit vitrum dictum colore rubro; cuprum viridi elegantiore; ferrum vulgariter praſino; regulus antimonii flavo; ſtannum & Zincum lacteo, obſcure flammante. Viride & cœruleum colores ſibi adfines ſunt: præeſt illis Mars & Venus: hæc duo metalla pariter, ut ſibi invicem agnata, non uno ſe exerunt modo; cuprum interdum ſiſtit vitrum ad cœruleum vergens, a viridi non plane abſcedens, verbo aqua-marinum: quamvis & ſolo auro colorem aqua-marinum, utut pallidiorem, ſiſti poſſe, experientia doceat. Malachites & Lazuli lapides cupreæ indolis ſunt, ille viridis, hic cœruleus. In via humida habitus mutantur, dum Venus cœruleum colorem, Mars vero virentem induit, quod vitriola monſtrant. Hinc aliqua inter hosce Deaſtros de coloris characteribus diſceptatio oborta eſt, cujus tamen intuitu cœruleum Cobalti, tamquam productum a Venere minime habendum eſt, licet omnes communiter ab illius ſtent partibus; ut autem pro Marte quæſtio ſaltem moveretur, nemini hactenus in mentem venit. Omne illud, quod de Cobalti, utpote tinctura cœrulea gaudentis, indole cuprea teſtimonium ferre videtur, ab illo Cobalti genere ſubrubicundo, quoad faciem tantum externam tali, quod Kupffernickel adpellatur, deſumunt; ne atomum quidem cupri ex illo unquam producturi, neque id conſiderantes, qui nempe eveniat, quod in venis cupri, quibus tamen arſenicalis, (quale etiam Cobaltum eſt,)

familiaria ſunt, nunquam tale Cobaltum, quod pigmentum cœruleum ſuppeditet, deprehendatur. Ego, utut de ſententia vulgari nondum convictus, aliud tamen certiusque demonſtrare hactenus nequaquam valens, narrabam cum patribus, donec, in vitris colorandis, res cum ferro mihi feliciter ſuccedebat, atque cœruleum verum elegantiſſimum inde reſultabat. Vſtulaveram in teſta ſub tegula, in furno docimaſtico, chalybis ſtyriacæ ſubtiliſſime limatæ, tertiam forte drachmæ partem, per dimidium horæ quadrantis, aut ultra, rudicula nihil agitando, usque tum colorem ex purpureo obſcure violaceum induceret. Hujus in vaſe cryſtallino bene tritæ commiſcui granum dimidium cum ſilicis albiſſimæ & alcali puriſſimi drachmæ quadrante, committens pulverem crucibulo, tundendo formato, curatiusque tecto, igni intenſiſſimo. Furno refrigerato, producebam ex vaſe vitrum ſaphirinum, quo nec colore, nec pellucidate elegantius quidquam oculis blandiri poteſt. Repetii experimentum, non equidem ſingulis vicibus ex voto ſuccedens, quin aliquoties ad ſubnigrum inclinans, quandoque etiam quoad colorem plane evanidum; ubi tamen lector ſciat, hoc maxime evenire ſecundum diverſum ignis gradum & ejus durationem, de quibus regulæ ſpecialiores ſuppeditari haud poſſunt, atque idem illud circa Cobalti tincturam contingere, vel ut nimirum loco cœrulei nigredo emergat, quando minera illa, etſi optimæ notæ ſit, aut nimium quantum uritur, aut igne vitrificatorio diutius, quam par eſt, detinetur.

Confirmatur hæc ſententia primo eo ipſo, dum cœruleum dictum, vi ignis rurſus evaneſcit; porro ſi croci Martis memorati largior adſumitur portio, vitrum fumido-topazon, immo nigrum inde reſulta , quale pyrites albus, minera ferreo-arſenicalis; vulgo Mißpickel, ſiſtere ſolet. Secundo magneſia vitriariorum noſtras, minera martialis ni-

gra,

gra, fuliginoſa, reddit vitrum amethyſtizon, ceu purpureo-violaceum, quem colorem rubri & cœrulei quidpiam ſimul ingreditur. Tertio in medium jure hic proferri poteſt terra, cujus alias mentionem feci, martialis, ab omni cupro immunis, plerumque quidem cinerea, non parum tamen cœrulea, ac hujus intuitu ita egregia, ut pigmento Cobalti cœruleo, Schmalte, quaſi conſperſa, imbuta, immo hinc inde plane ex illo compoſita eſſe videatur. Reperitur illa inter Schneebergam & Eibenſtockium in ſuprema telluris ſuperficie. Quarto non dicam de cœruleo Berolinenſium, ſine vitriolo Martis non parabili. Tandem quinto offeram illi, quidquid velit qui ex cupro præſtabit, quod vitrum colore cobaltino imbuat. Quid denique ſexto objiceret quispiam, ſi ipſi minera Cobalti, quæ puræ ochrei coloris eſt, immo mineræ ferri lapideæ plane ſimilis, ob oculos poneretur.

OBSERVATIO XCIII.

Dn. D. JOAN. FRIDERICI HENCKELII.

Alcali volatile minerale.

Antiqua apud Phyſicos conſuetudine receptum eſt, ut corpora naturalia, tam in globo terraqueo contenta, quam ex eo producta, in tria regna diſpertiant, immo quaſi includant. Differunt equidem iſta modo non uno, fiendi nempe proximis initiis, incrementis, ſtructura, motu, duratione, interitu, immo etiam materia, eaque craſſa & ſubtili, compacta & laxiore, nec non aliter inprimis concurrente aëris influxu & energia elaborata & modificata. Neque adeo abſonum illud eſt, ſalia ſimpliciora, alcali fixum, alcali volatile & acidum, ſecundum ſigna diſponere, nempe fixum vegetabili, volatile animali, & acidum mine-

rali attribuere. Verum enim vero, ſi recte meminimus, differentia eorum tanta, uti quidem videtur, non eſt, & temerarie nimis extenditur; quin tantos errores, tantaque ſcientiæ phyſicæ illud adfert impedimenta, ut melius omnino eſſet, ſi de illa adeo decantata regnorum triplicitate, vel plane nihil, vel ſerius & parcius dictum fuiſſet. Nonne enim omnia recte ſatisq; exacte demonſtrari, aut potius, uti decet, prius examinari potuiſſent, ſi, ordine ſimul aliquali ſervato, per capita, aquarum, terrarum, metallorum, lapidum, ſalium, oleorum, lignorum &c. & quidem ubivis curatius & operoſius actum fuiſſet? Sed ſyſtema plerumque deſignatum, fictum & mente conſtructum eſt, antequam lignum, ſaxum, calx & arena cognita & adquiſita fuerunt. Verbo: Quæ videmus & tangimus conſanguinea ſunt omnia, & ſi quis ad dividendum, etiam invitus, cogitur, naturæ & nexui rerum convenientius nihil ſtatuere poterit, quam ſi globum terraqueum, cum ſua atmosphæra, inſtar matris, vel fontis, ſic dicta vegetabilia & animalia ut provenientia, atque ita matri ſubordinata, non vero adæquata, conſideranda proponet. Quidquid denique horum ſit, tamen regula illa juris: Quod in enumeratione ſpecialium, quæ non incluſa, pro excluſis cenſeri debeant, hic minime valet. Alcali fixum in vegetabilibus proſtare fateor, idque dein cum iis, in larga ſatis copia, intra corpus noſtrum defertur. Alcali volatile obſervamus & invenimus abunde ſatis in animalibus. Acidum in mineralibus, ſulphure inprimis atque hinc orto vitriolo & ſale communi; verum hæc neutiquam intelligantur cum plenaria excluſione alterius, quin potius non niſi vel in prædominio, vel in ſtatu exquiſitiori. Acidum enim in regno vegetabili non exulat, quamvis eatenus animalia peculiari gaudeant exceptione, vel extantiore laborent defectu. Alcali fixum quis ignorat adeſſe in ſale communi atque hujus immenſam quantitatem occurrere in oceano & ſalinis? Alcali

vola-

volatile, plantarum, Tartari & ſimilium, noſtris temporibus inter adeo raras aves non amplius numeratur, quin immo, ut ad rem accedam, etiam in claſſe mineralium hinc inde deprehenditur.

Atque hoc ultimum illud eſt, quod hactenus curioſis vix in mentem, nedum ad manus venit, hincque potius in dubium vocatum, immo a phyſicis dictatoribus, ex præconcepta ſalium, ſecundum regna ſibi ficta, diſtributione, communiter negatum eſt; ego vero multoties de vera ejus exiſtentia confirmatus, alio jamjam loco quondam ejus mentionem feci, atque idcirco fuſius nunc illud unicuique ob oculos ponere, conſultum duco. Haud equidem mihi animus fuerat, ſalis volatilis mineralis, inveniendi gratia labores ſuſcipere, niſi aliud agendo, præcipue primum aquas Lauchſtadienſes explorando, harum reſiduum ſalino - ochreaceo - terreum deſtillando, liquor in excipulum defluens nares feriiſſet, atque acido junctus auribus obſtrepuiſſet. Videatur *Bethesda portuoſa pag. 29. 30. 39. ſqq.* Accedit ſal ammoniacale, quod in eodem examine ex dicto fonte manifeſto ſe ſe prodidit, *pag. 24. & 27.* eoque ipſo luculenter inſimul comprobavit, dari ſal ammonicale purum putum minerale, eique conſtituendo ſal commune cum terra aliqua calcaria ſufficiens deprehendi; id quod Puzzolo mons aliæque ejusmodi regiones abunde teſtantur. Ex fonte ſoterio Gishübelenſi idem obtinui, adeo tenui quidem qualitate, ut illius cum acidis tentatam efferuescentiam, nec oculis, nec auribus diſtincte ſatis, eo luculentius autem ex luna cornea inde obtenta, naturam ejus perceperim. Quis vero mirabitur hujus avis in omnibus vel plurimis ejusmodi aquis obvia veſtigia, quarum contenta ordinaria alcali ſalis communis, immo ſal commune ipſum & terra calcarea ſunt? Quid denique mirum, ſubodorari vel expiſcari illud ex terris & lapidibus iſtis, quorum inprimis origo eſt ex aquis ſalis,

lis, vel ſalſuginoſis, earumque ſubſidentia & coagulatione; ubi nimirum materiæ in lapidem coëunti, ſalſi quidpiam, quod ab officina, vel matrice lithogeneſeos non peregrinum erat, nec procul diſtabat, ſimul ſe inſinuavit.

Hac igitur ratiocinatione præparatus, lapidis vel terræ cujusdam nunquam ſuſcepi qualemcunque per retortam, inprimis lapideam, ſedulo inſtituendam docimaſiam, quin volucri iſti captandæ undiquaque inſidiatus ſim. Quantum quidem recordari licet, primum in Carolinarum topho ochreaceo; dein in ſtalactite foſſili Freibergenſium; in creta; in lapidibus calcareis compluribus; tum in ſaxo ſerpentino Zœblicenſium; porro in terra cœruleo-gryſea, circa Schneebergam & Eubenſtockium foſſili, de qua in obſervatione de cœruleo martis alio fine ſupra egi; tandem in ſciſſili bituminoſo-cupreo, vulgo *ardeſia Islebienſium molliori & nigricante;* nullus hinc dubitans, volatile illud ex aliarum quoque terrarum generibus facilius elici & demonſtrari poſſe, quam quidem unquam vel unica *Hermetis avicula*, aut toties celebratæ *Dianæ columbæ*, inveſtigari aut captari poterunt. Tophis terrisque quæ ex aquis medicatis ſubſidendo coëunt, nemo facile ſtatus hujus movebit quæſtionem. Hisce adfinia deprehendi cretam, corallia, quosdam ex lapidibus calcareis, Seleniten glacioſam & Stalachtiten a calcareo proficiscentem. Creta uſta, adhuc calida aqua conſperſa, odorem volatilem ſpargit, & ex ea recenti, addito aliquando, nescio jam quo fine, pyrite albo, Mißpickel, liquorem notabiliter alcalico volatilem obtinui. Quod ad ſciſſile nigrum cuprigerum attinet, præter jam memorata hoc quoque conſiderari meretur, quod bituminoſa, quale iſtud eſt, communiter ſal volatile, ut ut acidum præbeant, in acidis autem alcali delitescat. Ab hisce recenſitis mineralibus diſtat lapis Zœblicenſis ſerpentinus, cujus extortus liquor ad minimum lunam corneam præcipitando alcali-

cum

cum ſe monſtrat. Ab hoc rurſus terra memorata martialis differt utcunque, adeo, ut ratio de prioribus quoad alcalicam ſuam facultatem, conſtans, ad hanc minus adplicari queat. Cretacea & calcarea fuſioni refragantur, hæc vero, nempe lapis ſerpentinus, & terra martialis liquabilia ſunt, quod non ultimum diſcrepantiæ argumentum eſt. Quid tandem refert? unius rei plures poſſunt eſſe cauſæ. Cauſarum numerus nondum liquet, quoniam nondum cognitum perſpectumque habemus, quæ & quot lapidum terrarumque genera, præter hactenus recenſita, ſal quæſitum ex ſe extrahi patiantur, & quod maximum eſt, quia lapidum terrarumve eſſentiali & ſpecifice differenti cognitione adhuc deſtituimur, cui adquirendæ non levem operam hactenus inſumi. Interea Lector ex adductis exemplis hoc teneat, ſal illud etiam delitescere in iſtis corporibus, in quibus comparative ad alia, haud probabile foret. Adparet tandem exinde, quod minime pro adeo raro producto in mineralibus reputandum, aut tamquam inutile, vel accidentaliter tantum concurrens, ad eſſentiam vero rei minus quaſi pertinens, negligendum aut plane rejiciendum ſit.

Ante omnia autem nemo anxie cogitet, quod pro ſale hoc volatili alcalico, e mineris educendo, ejusmodi quoque ſubtili, qualis circa vegetabilia deſideratur, opus ſit encheireſi, aut quod, ſicuti in animalibus requiritur, viam putrefactoriam operoſe quærere & ingredi hic neceſſum habeamus, vel etiam alia præparatione indigeamus pro hoc experimento; ſed ſimpliciter tantum committimus terram, vel lapidem, hunc in finem ſub examen revocanda, retortæ vitreæ, vel, in caſu majoris tenacitatis & pertinaciæ, figulinæ; hanc igni, excipulo adaptato, & commiſſuris vel agglutinatis, vel cæmentatis imponimus, tum, vaſe nondum obſcure candente, ſal noſtrum fluidum prodire videbimus. Duo autem hic momenta præterire nequeo; quorum pri-

mum eſt: Arrige oculos Pamphile, & diligenter reſpice guttulas & excipulum, (id quod etiam aliis in laboribus tibi commendatum habeas,) ſique advertes, heterogenea ſe invicem abſorbentia & deſtruentia, ſucceſſive exſtillare, excipulum ſtatim mutare queas; alterum in eo conſiſtit, ut, ſi ſubjectum operationis non ſtatim reddit illud, quod expectas ad aſylum impoſſibilitatis, vel potius pigritiæ & impatientiæ confugiens, minime animum deſpondeas, quin potius eundem erigas, in auxilium vocatis mediis ſeparativis & propulſivis, quæ certo reſpectu etiam unitiva ſunt, atque id præſtare valent, quod alias paradoxum & impoſſibile eſſe judicatur.

Forma igitur, ſub qua illud in minera hæret, non eadem cum iſta eſſe poteſt, quale in vegetabilibus & animalibus, (in quibus motu inteſtino, per aërem ingredientem concitato, valde alterativo, reſuſcitari debet,) illud exiſtere, experimenta probant. Intimam equidem lapidum ſubſtantiam oculis luſtrare non licet, conjecturam tamen eam probabilem duco, quod ſub ſchemate ſalis ammoniacalis, in terra reliqua minutiſſime diſperſi & incarcerati, volatile illud latitet. Hujus adſerti argumentum evidens in ſublimato ſupra memorato, quod ex terra reſidua aquarum Lauchſtadienſium prodiit, utpote in qua pars ſalis volatilis a compage terræ calcareæ libera nondum evaſerat, proſtat. Deinde, ſi jam plane ſui juris in minera foret, ſine dubio leniori igne, immo ſolo aëre molitante, avolaret. Porro ſoli aquæ ſe præberet extrahendum, id quod de eo, ut ammoniacali, adeoque magis terreo & terræ matrici tenacius adhærente, non æque deſiderari poteſt.

Originem ſalis alcalici mineralis potiſſimum in ſale communi quæri debere, extra omnem dubitationem poſitum eſt. Primo enim ſal commune non quibusdam tantum fontibus medicatis, v. gr. in Lauchſtadienſibus, a me

ipſo

ipſo; in Wisbadenſibus, ni fallor, ab HORSTIO; & (ſicuti non ita pridem in *Hiſtoria Regiæ Academiæ ſcientiarum Pariſienſis An. 1729. pag. 367.* a Domino BOLDVC demonſtratum eſt,) in Bourbonio - Archambaudenſibus latitat, ſed ſine dubio in pluribus ſeſe in poſterum manifeſtabit, dummodo debita in analyſi fontium, quorum ingredientia variæ qualitatis & minimi ponderis ſunt, adhibebitur patientia & circumſpectio, qualem in eo a me obſervatam, tironibus (non Doctoribus) alias oſtendi. 2) Pauciſſimum ſal commune aquis ejusmodi, inprimis ſic dictis *acidulis*, ex aliqua ſui eaque potiori alcalica fixa parte, ſeſe manifeſtat, ſiquidem ex alcali alio nullo, quam ex eo, quod ſali communi ineſt, *ſal* decantatum *mirabile Glauberi* obtinetur, immo in iſtis aquis idem ſal Glauberianum jamjam præſto eſt. 3) Salinæ ipſæ, quod ex Teudicenſibus, Lûcenæ adjacentibus, jam dudum palam feci, ſal hujusmodi tertium continent, & ex ſuo reſiduo, quod Mutterlauge vocant, illud reddunt. 4) Creta productum marinum eſt, quid ergo mirum, ſi ſalſa? 5) Pumex ſimile marinum eſt, atque ſuum ſine dubio etiam monſtrabit ſal, quod equidem me nondum expertum eſſe fateor. 6) Creta & lapis calcareus non differunt, niſi ut terra & lapis. 7) Lapis calcareus alabaſtrites, glacies Mariæ, Selenites, ſic dictus fluor, ſpatum, ſtalactites, non ſolum cognata inter ſe, atque ſimul indolis ſalino-alcalinæ ſunt, quod experimenta, quæ hic recenſere, ob ſpatii anguſtiam, non licet, ſufficienter docent; ſed & in ſalinis pariter & in fontibus ſoteriis intime commixta deprehenduntur: quin in ipſo ſale communi, tam foſſili albiſſimo, quam coctili, optime depurato & cryſtallino, ſeleniticæ deliteſcunt reliquiæ, id quod vitrum commune, ſi quando illi parum ſalis dicti additur, vel caſu ſub fuſione accedit, lactea ſua opacitate, quam & reliquæ hoc numero recenſita eidem conciliant, ſufficienter oſtendit. 8) Quis eſt,

qui ex ſalis ammoniaci indole, ex luna cornea aliisque hujus indolis, ex natura aqua regis, & ex ſalis communis ipſius per ſolum aërem humidiorem eveniente colliquatione, peculiarem ejus ſubtilitatem non perſpiciat? 9) Herba kali, ſale communi prægnans, aqua fontana parumper imbuta, per 14. dies macerata, inſtar animalis putreſcit, adeo, ut non ſolum fœtorem animalem, fecibus alvinis humanis prorſus ſimilem de ſe ſpargat, atque vermes caſeis innaſci ſoliti, inde enascantur, ſed etiam ſalis volatilis alcalini ſicci non parum prodeat, qualia phœnomena, utpote vegetabilibus minus propria ſali communi, herbæ dictæ, implicito, merito adſcribo, vid. *Flora ſaturnizans p. 653. ſqq.* 10) Quid igitur erraremus, ſi ſal volatile urinæ & excrementorum, ſali communi, ſi non abſolute & ſolitarie, tamen ſimul tribueremus. 11) Ut reliqua jam præteream, argumentum illud, quod, ſi non centum boum, tamen ad minimum unius mactatione dignum judico, ſerio vobis amici commendo, ſal nempe commune per ſepties & ultra repetitam, ad ignitionem usque aquæ fontanæ abſtractionem & cohobationem, volatile fieri.

OBSERVATIO XCIV.

Dn. D. JOAN. FRIDERICI HENCKELII.

Sudor phosphoraſcens, materiæ phosphori argumentum.

Quod de ſale alcalino volatili in regno minerali ad memoriam revocare ſuſtinui, illud & de acido inflammabili, concentratiſſimo Phosphoro nempe, in eodem obſervandum exiſtimo. Utrumque ex ſale comuni; utrumque maximi momenti. O ſal incomparabile! urina humana primum, ſecundum & ultimum, neque a re alienum,

Phos-

Phosphorum petentibus eſt, quorum tamen plurimi ignorant, in quo potiſſimum cardo hujus rei verſetur, adeoque parum curant, quinam fontes atque origines ſint, unde, nempe ex mineralibus, in primis ſub aëris concurſu, ea, quæ vel plane ita formaliter non præ extiterunt, verbi gratia phosphorus, atque ita nova, vel minimum largiori quantitate, uti e. g. ſal volatile alcalinum, ad nos deveniant. Quod ad primum, ceu illud, de quo maxime iam nobis ſermo eſt, attinet, veſtigia ejus non obſcura deprehenduntur, inter alia maxime in lapidibus, qui in officinis noſtris fuſoriis *fluores* dicuntur, amethyſtinis, ſmaragdinis, ſaphirinis, topaſinis, &c. quorſum etiam lapis Bononienſis pertinet, quando igne vel ſuper fornace ferreo incaleſcunt. Hos ſalinæ indolis eſſe, atque nomen & omen habere, fluxilitas, ſine adjumento ſalis obtinenda, ac mineris tenacioribus coquendis inſerviens, ſatis probat. HIÆRNE *in Prodromo Hiſtoriæ naturalis Sueciæ* meminit terræ, quæ ſolo tritu lucida fieret, qualem vero non vidi, neque ab aliis deſcriptam fuiſſe recordor; hinc inde tamen occurrere poſſe, neque regioni iſti ſolum ratione climatis talem propriam eſſe, multo minus e globo evanuiſſe, certo credo. Igitur experimentatores & hoc pro regula circa indagationem corporum habeant, ut in tenebris vel umbra, ad ea phænomena, quæ ſive tritura, ſive igne proveniunt, ſedulo attendant. Recordor jam Cadmiæ fornacum, maxime flaveſcentis, quæ ſolo attritu, aut frictione rapidiore, mediante cultro, vel clavo ſcintillat, ſicque Zinci, utpote baſeos cadmiæ hujus, peculiari inflammabilitate, validum perhibet teſtimonium. Taceo jam Zincum, pariter ac arſenicum igne inflammabilia eſſe, & quod maximum, Zincum æque, ac phosphorum ex urina paratum, uniformem ſpargere fœtorem arſenicalem. Sic ergo facile quilibet paululum emunctæ naris explorator ſubodorari poterit, originem phosphori plus

 ultra,

ultra, quam in fabrica microcoſmi, nimirum in officina minerali quærendam eſſe. Verbo, ſal commune promus condus eſt, qui ſal volatile tradit: Sal commune quod phosphorum porrigit. Adminiculabor meditationi huic hiſtoria quadam vera, cujus analogam, ni fallor, in *Decuria II. Ann. VIII. obſ. 172. Ephemeridum Academ. Nat. Curios.* me legiſſe reminiſcor.

Amicus quidam meus νῦν ἐν ἁγίοις, litteratus, ſanguineus, ſalis amantiſſimus, jam dum arthriticus incipiens, inter bonos bene ſaltando, corpus usque adeo commoverat, concuſſerat, humores conquaſſaverat, ſudoresve provocaverat, ut animo delinquens, parum abeſſet, quin expiraret. Dum ipſi in loco tenebricoſo veſtimenta exuebantur, adſtantes animadvertunt, induſium ejus lucidum & quaſi flagrans; ipſe ad ſe rediens, attonitus, convocari jubet ſocios; hi adfirmant & mirantur ſpectaculum; adferunt candelam, atque ita, quod facile præſumendum erat, lumine quodam majori obfuſcant minus, ſimul tamen conſpiciunt in induſio maculas rubellas, iis non abſimiles, quæ in faſciis infantulorum non raro adparent. Perſentiſcunt inſuper, quod in primis Medicus præſens dijudicavit, fœtorem urinoſum, aſt non tam alcalico-volatilem, quam muriatico-acidum acerrimum, qualem braſica capitata vetuſtior, fortiter ſalita & valde fermentans de ſe ſpargit. Candela remota induſium adhuc phosphoraſcere, ſed levius videbatur; quam diu autem duraverit, nemo obſervare potuit, quoniam cum toto phoſphoro ad lectum properaverunt.

Phænomeni hujus ætiologia probabiliter eo redire videtur: Arthriticorum humores, immo & aliorum, peccant ſæpenumero muriatica aciditate. Acidum & ab aceto, cerevisia, vino, lacte, ſpiritu vini, & a pluribus eſculentis, tum per ſe humoribus commiſceri, tum per fermentatio-

nem

nem in corpore produci, nemo inficiabitur: muriaticum autem graveolentem illum acorem, quem vulgo exprimunt, es rieche, wie altes ſcharffes Sauer-Kraut, a dictis potulentis & eſculentis ſolis minime, ſed a coincidente ſale communi, quod multis modis adſumimus, oriri, manifeſtum eſt. Ex vulgari illo œconomico experimento, dum braſſica capitata, vel cucumeres, ope aquæ ſalſæ aceſcunt, & aqua illa ipſa ſimul aceſcit, ſatis luculenter adparet, quod talis aciditas in vegetabilibus, ſine accedente ſale communi alias haudquaquam emergat. Perſpicimus inde, quod ſal commune ſine igne & propulſore hoc modo acidum ſuum depromat & porrigat, vel, quod adhuc ignorare me profiteor, totum aceſcat; motu ſcilicet aliquo fermentativo inteſtino, qui, concurrente ſucco vegetabili, & mediante adfuſa aqua, in loco tepido concitatur. Acidum vero hoc muriaticum, utique nec prorſus inodorum eſt, nec linguam ita acriter ferit, ut pro ſpiritu ſalis communis haberi poſſit, neque etiam acetum vegetabile eſt, ſed mixtum & tertium, quod, ut differentia ejus ſpecifica tam per ſe, quam quoad energiam in alia corpora activam, itemque quid alcali ſalis communis in hoc fermentationis negotio proprie præſtet, paulo exactius eluceſcat, peculiari & penitiore eget inveſtigatione. Quid impedit autem, quo minus in ventriculo humano ac inteſtinis idem evenire poſſe credamus, etiamſi fundamento illo demonſtrativo, a characteriſtico acris ſudoris fœdore deſumto, plane deſtitueremur? Concurrunt in corpore iſto omnia, immo plura, quam in vaſe ligneo, aceſcentia & aceſcentiam coadjuvantia & exaltantia. Primo enim vas microcosmicum coctorium & digeſtorium ſuo gaudet deſtinato fermento, ſeu menſtruo, quod quidem exacte definire neſcimus: non dicam de iis, qui, gulæ nimium indulgentes, ventres ſuos nunquam non ab adſumtis onuſtos, & ab excernendis opple-

tos

tos gerunt, ex quo ſecretiones & excretiones impediuntur, & humores degeneres, ſpiſſi ac inprimis acres fiunt. Secundo in hac officina motus partium datur proprius, unde calor, tonus, progreſſus, miſcela & fluiditas. Tertio accedit motus corporis voluntarius, motus prædictos vitales ſalutariter adjuvans & augens. Quo celerius igitur, vehementius, atque diutius voluntarie nosmet movemus, eo promtior & citatior redditur pulſus & efficacior tonus; proinde etiam exactior humorum conquaſſatio & quaſi trituratio eſt; hinc fluidorum tenuiorum per peripheriam largior percolatio & evaporatio ſuccedit; immo tandem craſſiorum, terreorum, ſalinorum, eorumque concentratiorum propior colliſio, alteratio; denique violenta tranſudatio & propreſſio, ita, ut hac ratione ſudor præternaturalis terreo-ſalinus, acerrimus, immo phosphoraſcens cogi & extorqueri queat.

OBSERVATIO XCV.

Dn. D. JOAN. FRIDERICI HENCKELII,

Butyrum antimonii ægro per errorem propinatum, lethiferum.

Ex præcedenti, de ſudore phosphoraſcente atque ſalis communis acido, conſignata obſervatione, ante oculos adhuc mihi obverſantur varia ſalis hujus producta & compoſita, inter quæ ſal ammoniacum, mercurius ſublimatus & butyrum antimonii alta mihi mente repoſita adſervo. Hac occaſione non poſſum non commendare illis, qui de acidi præſtantiſſimi hujus viribus ſolidiora & practica quædam legere exoptant, Dn. D. KUHNSTII, Practici jam Ronneburgenſis, amici mei ſingularis, Halæ nuper ventilatam, de *Menſtruo univerſali*, Diſputationem, quam mihi,

mihi, non niſi ob cumulatos in me titulos diſplicere, ingenue fateor. Sed ſunt medica miſcenda chymicis. Quid poſt animæ curam prius antiquiusve habemus, in quo ſtudium omne collocandum eſt, quam ſanitatem & vitam? Hoc unicum ſaltem, quod ad propoſitum vergit, hic ad animum omnium revocari velim, quanta temeritas ſit, adeo facilem, immo avidum in adſumendis medicamentis eſſe, cum tot tantosque errores in eo quotidie committi, experientia proh dolor! doceat. Ut taceam illos, quibus perinde eſt, ſive a vetula, ſive ab hiſtrione talia cocta vel cacata ſint.

Occaſione butyri antimonii memorati ſuccurrit mihi caſus tragicus, quamvis non tragice finitus. Vir quadraginta annorum, qui nuper diem ſupremum obiit, ante ſedecim annos, febre, neſcio qua, ſe laboraſſe mihi ſæpius narravit, ubi Medici, ob nimiam ejus debilitatem, purgare primas vias hæſitarunt, inſiſtentes ſexcentis ſuis bezoardicis & roborantibus, nihil vero iis efficientes. Uxoris ſuæ de mixtura quadam a Medico præſcripta, ſtato tempore inſtillaturæ infauſta manus, butyrum antimonii rectificatum, (quod æger ad uſus quosdam ſepoſuerat, aſt non recondiderat,) malis auſpiciis arripiens, exſtillat viginti guttas rapidiſſimi hujus corroſivi in juſculum, & porrigit marito. Quantum ardorem & conſtrictionem in faucibus & ſtomacho exinde perceperit, quilibet facile hariolabitur. Cum hactenus fere adfixus lecto miſer fuiſſet, ad minimum nunquam, niſi cum inſigni difficultate, ſurgere potuiſſet, incendio quaſi in interioribus domus ſuæ orto, corpus repente in pedes conjiciens e ſtrato proſiliit, exclamans: Incendium, Incendium! Feuer in meinem Munde, Feuer im Leibe! Infunduntur ipſi ſtatim, quæ ad manus forte erant, juscula, lac, quæ ex culina & mulctrali, (quorſum tum temporis, & non ad theriacarium eundum eſt,) citiſſime conquiri poterant, atque re aliquatenus adhuc inte-

gra feliciter conquirebantur. Subito inde vomuit aliquoties, & largiter egeſſit caſeoſa coagula, manifeſto indicio, pharmaci cauſticitatem obtuſam aliquatenus eſſe, quo minus in partes, quas non attingere poterat, adeo furioſe amplius & in viſcera ſævire potis crederetur. Hoc non obſtante, os, linguam, fauces, œſophagum & inprimis ſtomachum, cui tandem tota moles mali incubuit, illæſa haud quaquam evadere potuiſſe, ſed aduſta, eroſa, inflammata, criſpata fuiſſe; hinc ardorem, aciditatem, ſitim, inadpetentiam, apepſiam, febrem, emaciationem, inſecuta, quilibet ſibi facile imaginari poteſt. Analepticis quidem, lubricantibus, juſculis, emulſivis, ſero lactis & aliis hujus generis, æger pededentim, trimeſtri forte emenſo ſpatio, eo usque reconvaluit, ut mortis periculum, quod & a lenta febri imminebat, diſpareret: verum plusquam per annum, non niſi ſorbilia, eaque valde parca quantitate, adſumere potuit, & a ſolidis, præcipue carnibus, per duos vel tres annos ſenſit ſemper dolores preſſorios, vulgo cardialgicos, intolerabiles. Hac diæta, per plures annos exactiſſime ſervata, donec tunica villoſa ventriculi rurſus lubrica & extenſilis reddita fuerit, eo usque tandem profecit, ut ſolidis adſueſcere inceperit. Verum ad illum perfectiorem ſtatum nunquam devenit, ut comedendo punctum ſaturationis attingere auſus fuerit. Hoc anno febre acuta correptus, & me abſente ſepultus eſt, quod, ob non inſtitutam corporis ſectionem & ventriculi inſpectionem, valdopere doleo.

OB-

OBSERVATIO XCVI.

Dn. D. JOAN. FRIDERICI HENCKELII.

Jaſpis viridis, hieroglyphica, amuletum Ægyptiacum.

Repertum forte fortuna eſt apud noſtros, cum in horto aliquo foderetur, monumentum antiquum, gemma nempe, cujus magnitudinem & figuram apographon adjectum exhibet *Tab. V. Fig. 9. & 10.* Eſt Jaſpis viridis, pallida, unicolor, fabrefacta, parum vel plane non polita, craſſitie ſextantis forte pollicis; uno latere, cui hieroglyphica inſculpta viſuntur, plana; altero, cui gyrales inciſæ lineæ, paululum convexa; ſuperius collo aliquantum uncino, quod a poſtica parte diffractum adparet, prædita, manubrii, uti videtur, loco inſerviens, cui filum, ad ſuſpendendam eam & geſtandam in pectore gemmam, tamquam amuletum adligari potuit. Similiorem qua colorem hujus lapidis nec habeo, nec alias vidi, quam illum, qui Braunsdorfi, non procul abhinc in puteo Spei Dei, per ſaxi genus, quod metallarii *Kneis* vocitant, venulatim & parce ſparſum nonnunquam effoditur, viroris tamen elegantia illum quadantenus exſuperans.

Jaſpides, inquit DIOSCORIDES *libr. V. cap. 100. plures ſunt. In eorum genere alius viridi ſmaragdi colore eſt: alius glaciem repræſentat, ſalivæ ſimilis; aërius alius; fumoſus alius, fumo veluti denigratus; alius albescentibus per transverſum lineis renitens,* Aſſyrius *vocatus; alius poſtremo a therebinthinæ reſinæ colore* terebinthizon *dictus, Calai gemmæ ſimilis. Omnes*, pergit, *pro amuletis adligari feruntur, privatimque femoribus prægnantium adligatos puerperii celeritatem facere.* PLINIUS *lib. 37. cap. 8. & 9.* cum DIOSCORIDE conſentit, ſuperaddens

quidem Jaſpidis plura nomina, quæ vero ad eandem a DIOſCORIDE recenſita redeunt. Ut ſummatim dicam, apud utrosque quod res eſt, diſtinctoria hujus gemmæ tunc temporis hæc fuerunt genera: 1.) *Virens*, & ſæpe tranſlucens, ſmaragdo ſimilis; 2.) *Cyanos*, *cærulea*, *aërizuſa*, ſeu aëri ſimilis; 3.) *rubra*, jam purpurea, jam roſea, jam auroræ, jam ſardo ſimilis, jam violas imitata, jam rutilis punctis ſtellata; 4.) *onychina*, quorſum *therebinthizuſa*, *fumoſa*, ſeu *Capnias*, veluti fumo & nubibus infecta, & nives & ſalivas imitata; porro *onychipuncta*, vel *Jaſponyx*, quæ ſive viridis, ſive rubra, punctis vel maculis onychinis diſtinguitur, pertinent; 5.) quæ lineis albis notantur, *grammatias* & *polygrammos* adpellata, concionantibus præcipue utilis fuiſſe dicitur. Potuiſſet PLINIUS ſub hoc ſchemate longe plura enumerare, dummodo aliquot duodenos teſſerarum ludi chartacei gallici, Spiel-Zeichen, quæ ex lapide ejusmodi polymorpho & verſicolore in palatinatu inferiore ſecantur, & Lipſiæ in ædibus Rothauptianis venduntur, vidiſſet, quæ infinite variant, & apud collectores æque ac gemmarios noſtros ſub *Achatum* nomine plerumque veniunt. Noſtro, neſcio jam ex quo, tempore, & apud nos, Jaspides ſunt communiter unicolores, vel virides, vel rubræ, vel fuſcæ, ſive lineis, ſive ſtellis, ſive punctis, ſive Zonis, ſive nubeculis gaudeant, ſive minus, cujusmodi notæ nonnullæ e contrario apud veteres Jaspides primi ordinis deſignabant. Antequam Hiſpani Siciliam proximis occuparent temporibus, miſit mihi exinde rei metallicæ Magiſter, gemmarum huc ſpectantium genera, in flumine *Achate*, unde achates gemmæ nomen habent, reperiundarum. Inter illa Jaſpis viridis, non adeo ſmaragdo, quam olivæ ſimilis, fuſcis maculis porro eadem grammatias; aërizuſa, ſeu cyanos; flava onychina; rubra onychina; nigrorubra, lineis albis, interdiſtincta, clare conſpiciuntur, itemque lapis Lipari, circa quam inſulam PLINIUS ab Ætnæ

furo-

furore periit, quem ceu monumentum hujus naturæ curioſi, non ſatis devenerandi, mihi adſervo.

PLINIVS in ſupra citato capite nono, quod *de Jaſpidum generibus* titulum gerit, poſt cyanum longe plura, quam quæ hactenus ab initio de quibusdam ediſſeruit, nempe Sapphirum ipſam, Amethyſtum, Hyacinthum pæderon, Chryſolithum adnumerare videtur, utrum autem voluerit, obſcurum eſt, & minus probabile. Equidem de illis magicas aliquas prædicat virtutes & formoſitates, v. g. quod Hyacinthus quædam ebrietati reſiſtat atque iſta inprimis, cui nomen lunæ ac ſolis inſcriptum; pariter & Smaragdus, cui inſculpta aquila, vel ſcarabæus eſt, e collo, capillis cynocephali, vel plumis hirundinis ſuſpenſa, veneficiis contraria, ut & præcautione addita, grandinem, locuſtas & ſimilia avertant; item de aſtroita miras laudes in magicis artibus cecinerit ZOROASTER. Sed ex ejusmodi dictis aliud adparet nihil, quam quod ad magicos uſus illæ gemmæ fuerint adhibitæ; quin alias intelligimus, quod longe plures, quam in memorato *cap. 9.* PLINII enumeratæ proſtant, Orienti ut magicæ adriſerint.

Proinde res redit ad iſtam quæſtionem, utrum Jaspides certum determinatumque magicarum gemmarum genus, an vero Jaſpis & gemma magica veteribus unum idemque fuerit. Pro poſteriore opinione primo intuitu ſpeciem aliquam præ ſe ferre mihi videbatur ſymphonia vocum, *aſpis* & *Jaſpis*, ubi altera a prima ſuperaddita tantum littera initiali leniſſima *Jod*, tamquam ſpiritu aſpero, aut per dialectum novam, aut per errorem descendere videtur. Dum hæc ſcribo, in manus mihi forte venit MARBODÆVS de gemmis, & in hoc PICTORIVM *Villingenſem* ex Anglici *libro 16. de Lap. & de re metall.* eadem conjecturantem offendo, quando ait, *Jaſpidem quaſi aſpidem vocari.* Aſpis ſerpentum genus Ægyptiis, Phœnicibus & plurimis

 Orien-

Orientalibus ſacrum, venerabile & magicum fuit; unde in characteribus, quibus monumentum hocce diſtinctum eſt, primum aſpides locum occupant. Perſuadere mihi inſuper phyſicus grammaticus adnitebatur, illud Ophitem eſſe, & pro tali dictatorie mihi obtrudebat. Aſt cum exactis rimarer, res ipſas ſecundum numerum & differentiam ſpecificam intuens, & per experimenta examinans, non niſi criticam litteralem & luſum ingenii ſubeſſe, deprehendebam. Ceterum Ophites olim non gemma, ſed marmor erat, ex qua non niſi columnæ parvæ conficiebantur; vid. PLINIVS *lib. 36. cap. 7.* Cum contra Jaſpidis magnitudo, quæ modo ad undecim unciarum pondus accedebat, & ex ea formata Neronis effigies thoracata inter rariora gazophylacei poneretur; vid. *lib. 37. cap. 9.* id quod de marmore admiratione dignum minus fuiſſet. Ideoque in Jaſpidum cenſu ne nominatur quidem, ſed ab eodem in peculiari ſub marmorum claſſe deſcribitur. Ebraica potius vox Jaſpis eſt יָשְׁפֵה Jaſchpe dicta, uti *Exod. XXVIII.* in pectorali Aaronis inſertam legimus; atque ita ſpecioſa iſta conjectura locum minus invenit. Rabbi *Jonathan* in commentario ſuo cognomen ipſi tribuit פְּנְשֵׁירִי *gemmæ pantherinæ*, a maculis pantheræ ſimilibus, neque id ſine ratione, ſiquidem maculoſa Jaſpis & veſiculor Orienti omnium acceptiſſima fuit. Rabbi memoratus cognomen illud ex ALBERTO *Magno lib. II. tr. 2. cap. 13.* de Panthero, vel hic a Judæo mutavit. Ophitæ veterum exemplum congruum habemus in marmore noſtro Zœblicenſi, *Serpentino* dicto, ceterum apud muliercculas noſtras etiam pro magico habito, quando iſtæ illum ſub titulo Schreckſtein, de collo infantum, contra pavores & incantamenta ſuſpendunt, & neſcio quam alexipharmacam virtutem, quæ etiam in vaſe ſerpentino, forte venenato, per ſpontaneam rupturam ſe exſerere debet, fabuloſe eidem adſignant. De nephritico, lapide, virente, ſemidiaphano, du-

to, non dubito, quin ad Jaſpidum claſſem illum retulerint antiqui. Ut tacem, titulum hunc a medicamentoſa virtute deſumtum non niſi poſterioribus irrepſiſſe temporibus, neque liquido conſtare inter omnes, utrum durus ille pro vero nephritico communiter æſtimatus, an vero potius, quod mihi per rationem æque ac experientiam vero ſimilius eſt, margodes & Smectinus, pro ſpurio habitus, qualis in Zœblicenſium lapidicina & aliis occurrit, in morbo nephritico uſum aliquem præſtet. Ne-Neque vero Ophites viridiusculo-cinereo-rubro-maculoſus Zœblicenſis omnem abſolvit numerum, quin plures alios, non tam quoad colores, maculas & lineas, quam etiam qua eſſentiam intrinſecam differentes, & ſecundum ſerpentum characteres variantes, occurriſſe & adhuc inveniri, merito ſtatuimus. Quid denique refert, vocum & nominum acceptiones antiquas, vel anguſtiores, vel latiores vel æquivocas, vel ſynonymias fuiſſe, jam autem vel ambiguas, vel obſoletas, vel plane alias noſtris invaluiſſe temporibus, dummodo nos invicem explicemus & intelligamus in rebus, quæ, qualesve tam apud veteres, quam apud nos ſub aliquo nomine & definitione comprehendi debeant ſoleantque.

Unde interim monumentum hocce Jaſpideum, de quo ſermo eſt, in Germaniam venerit, non eſt, quod anxie inquiramus. Ægyptii in magia ſymbolica & amuletis geſtandis laudantur tamquam primi inventores aut præcipui doctores. Characteres ipſi inſculptos ad modum Ægyptiacorum ductuum eſſe, nemo, antiquitatem conſulturus, inficiabitur. Conf. SCARABÆVS apud MONTFAVCON *Ant. expl. Tom. 2. Tab. 135.* & quoad figuram BANGIVS *Excercit. 2. de lit. Adami p. 112.* Ad Lapponiam vel Finnlandiam multo minus recurrendum eſſe, SCHEFFERVS in Lapponia per tympana Lapponum magica & illa monumenta,

menta, quæ Calender Stäbgen vocant, quia eorum hieroglyphica ab Ægyptiacis figuris non parum differunt, probare nititur; cur non vero, & SCHEFFERO tacente, alicubi in locis ſeptentrionalibus ſtilum Ægyptiacum in imitatione fuiſſe crederemus? Accedit, quod iſtæ gentes magicæ vanitati præ aliis adhuc inhæreant, & tempore belli tricennalis per Germaniam hinc inde vagati ſint. Neque ſcire intereſt, utrum in Palæſtinam peregrinantes ejusmodi monumentum ex metropoli Ægypti, Cairo, quam petunt, an vero Romani vel uſus cujusdam vel memoriæ, vel raritatis gratia in patriam ſecum adportaverint; omnium minime, per quot varios caſus id demum ad locum, ubi inventum eſt, pervenerit. Inquirere tandem in id, quid characteres innuant, haud ſupervacaneum foret. Verum neque KIRCHERVS in *Oedipo Æpytiaco* & *Obeliſco Pamphilio*, neque alii ejusmodi hieroglyphica ſatis explicarunt. Litteris obſcurus ſenſus plerumque adſignantur ſecundum animi propenſionem, qua mortales pro re ſua, circa quam verſantur & quæſtum habent, abundant ac reguntur. Quod quis maxime vult, id maxime credit. Hiſtoricus in iis geſta ſuæ gentis & principium patriæ; myſta, divina; Medicus, pharmaca; magus, precationes, incantationes pro ſpiritibus citandis; Alchymiſta lapidem Philoſophorum, ſibi imaginatur: Navita de ventis, de tauris narrat arator. Sed ubi clavis ad abſcondita deficit, incaſſum eſt clauſtri tentare reſerationem.

(*Freyberga Erfordiam transmiſſa d. 17. Jan. 1738.*)

OBSER-

OBSERVATIO XCVII.

Dn. D. JOAN. CHRISTOPHORI KÜHNST.

φλογιςὸν quod metallis ineſt ſulphurificatione demonſtrare.

Quid φλογιςὸν? quid ſulphur, & quibus ex partibus illud conflatum ſit? Illuſtr. b. m. STAHLIUS in præclaris ſuis ſcriptis, præcipue autem Tr. *de ſulphure*, ad ſatietatem usque demonſtravit. Quod autem φλογιςὸν, ſive principium inflammabile corporali acceſſione, concretione ac immixtione metalla contingat, atque pars eorum conſtitutiva ſit, idem nominatus STAHLIUS non aliis docuit experimentis, quam quod metalla exuſta atque diverſimode in calces atque cineres immutata, nusquam ad metallicam ſuam integritatem reduci poſſint, niſi ſola fuſione per medios carbones; hisque nexus, ſolidiſſime demonſtratum dedit, metallica mixta continere omnino aliquid, quod ignea emotione in auras diſtrahi queat, uti in quolibet carbone vegetabili & animali, quin tenerrima penitus fuligine conſpici facile tale quid poſſit; inflammabilem quoque ejusmodi ſubſtantiam, cineribus denuo additam, illis adeo de novo adſociari, ut metalla in priſtinam faciem ſuam reſtituantur. Verbo, ut omnia complectar, exuſtionem quidem itemque calcinationem, & calcium metallicarum reductionem multis experimentis atque præclaris, minime vero φλογιςὸν, quod metallis ineſt, combinatione cum acido vitriolico, ſeu *ſulphurificatione* oſtendit. Verum enim vero cum φλογιςὸν illud, quod metalla ingreditur, minime diſcrepet ab eo, quod in regno vegetabili & animali exiſtere obſervamus, luce meridiana clarius omnino adparet, hoc metallorum φλογιςὸν, recta combinatione inſtituta,

cum acido vitriolico poſſe conjungi, ſulphurque producere, eodem fere modo, quo in carbonibus, & aliis inflammabilibus id fieri obſervamus, quæ cum Tartaro vitriolato funduntur. φλογιςὸν enim omni aquoſitate liberatum, cum acido vitriolico ſumme concentrato jungi, & in ſulphur abire certum eſt; in metallis autem ejusmodi φλογιςὸν, atque in Tartaro vitriolato acidum vitriolicum concentratiſſimum, alcali fixo incorporatum, reperiri cognoscimus; Alcali vero fixum cum fluxionem in igne non ſolum promovere, ſed & receptaculum ſulphuri producto præbere, ac cum ipſo *hepar ſulphuris* conſtituere ſoleat, quisque facile perſpiciet, φλογιςὸν quoque, quod metallis ineſt, purum, & ab omni aquoſitate liberatum, cum quocunque alcali acido vitriolico imprægnato & ſaturato ſocietatem inire ſulphurq; componere poſſe, quale cum carbonibus & aliis inflammabilibus mixtum præparatur. Hæc igitur ut clarius eluceſcant, quædam proſequi experimenta neceſſe eſt. Attendamus igitur, quomodo metallorum φλογιςὸν cum acido vitriolico ſe gerat, quando cum ipſo fuerit combinatum. Recepi nempe metalla præſertim ignobiliora, e. g. ferrum, cuprum, ſtannum, plumbum, marcaſitam, Zincum, regulum antimonii, &c. hæcque omnia partim adhibita lima prius in ramenta tenerrima, ex parte quoque in pulverem diviſa, atque cum anatica vel dupla Tartari vitriolati portione, mixta, vaſi clauſo, ne peregrini aliquid ſe immiſceat, indidi. Ex his dein metalla, quæ funduntur, antequam actu candeſcant, retortæ vitreæ injeci, quæ non niſi ignis gradu fortiori adhibito, crucibulo tecto lutatoque, Vulcano concredidi. Vaſis refrigeratis atque perruptis materiam exemi: Illam ſalinam, quæ locum tenuit ſuperiorem, ſejunxi, inque pulverem redegi, quem odorem hepatis ſulphuris ſpargentem, aqua fervida ſolvi, ſolutum filtravi, filtratum aceto deſtillato præcipitavi, præcipitatum leni calore ſiccatum

tum autem a reliquis particulis metallicis adhærentibus terreisque ſeparavi, ſeparatum atque depuratum ſulphur, ſulphuri naturali in omnibus ſimile eſſe deprehendi. His in laboribus, quibusdam metallis, dum fluant, in ſuperiori regione magma quoddam ſalinum ſupernatare conſpicitur, alia vero metalla mediante ſulphure in fluxu jam producto ac alcali fixo mixto, hepar ſulphuris conſtituente, corroduntur in calces; omne enim Φιλογιϛὸν, quod huic illive metallo ineſt, cum acido vitriolico, in Tartaro vitriolato exiſtente, intime conjungitur; ideoque reliquam metalli partem in calcem fatiscere & hepati ſulphuris ſe immiscere neceſſe eſt, quæ, hepate ſulphuris in aqua fervida ſoluto, in forma pulveris ex parte relinquitur. Ejusmodi hepati ſulphuris, aqua fervida ſoluto, ſi acetum deſtillatum inſtilletur, metalli quid, in hepate ſulphuris antea exſolutum, cum ſulphure ad fundum ſimul dejicitur, quod deinde a particulis metallicis diverſimode poteſt ſeparari. Hisque evolutam ſatis atque illuſtratam eſſe exiſtimo obſervationem hanc, ope Φλογιϛȣ̃, metallis concreti adhærentis, ex acido vitriolico ſulphur componi, quam obſervationem non parum ad facilitandos labores chemicos atque metallurgicos facturam eſſe, certiſſime habeo mihi perſuaſum. Juvat interea ſequentes in medium proferre uſus: 1) Neminem certe fugiet, niſi chemicorum laborum expertem, diverſa eſſe admodum additamenta, metallorum fluxionem promoventia, inter quæ fluxus ſalini locum merentur primarium, ex iisque præcipue ſalia alcalica fixa, *fluxus albi* & *nigri* titulo inſignita, nec non ſalia, quibus aliquid principii inflammabilis intermixtum eſt. His vero ſalibus non recenter paratis, cum acidum aëreum ſe adſociet, quo accedente alcalia ſal medium conſtituunt; prono inde alveo ſequitur, in fluxione metallorum promovenda non ejusmodi adhibenda, ſed recenter parata eſſe adjicienda. Addimus 2)

fluxus ſalinos, quibus aliquid acidi vitriolici ſe immiſcuit, metallis reducendis damnum inferre, dum ſcilicet φλογιστὸν, quod metalla in ſuam integritatem reducit, cum acido ſocietatem iniens, ſulphur conſtituit, id quod vero cum alcali in hepar abit, & ut hepar ſulphuris metalla arripit ac illorum impedit reductionem. 3) His cognitis ad fluxionem metallorum promovendam, eaque reducenda non ſolum Tartarum vitriolatum, Arcanum duplicatum, ſal polychreſtum, ſal mirabile Glauberi, cineres quoque clavellatos, omniaque ſalia alcalia fixa, quibus acidum vitriolicum hoc illove modo ſe adjunxit, cane pejus & angue eſſe vitanda; quibus 4) adjungimus, omne φλογιστὸν maxime inter ſe convenire, id quod exinde cognoſcitur, quoniam ex φλογιστ acido vitriolico invicem inter ſe mixtis ſulphur arte producitur. Recipiatur enim reſina, vel oleum ex regno vegetabili, vel axungia & pinguedo ex hoc vel illo animali, vel e regno minerali metallum quoddam, ac fundatur cum Tartaro vitriolato, hepar ſulphuris adquires, ex quo deinde ſulphur arte productum ſeparetur atque colligatur.

OBSERVATIO XCVIII.

Dn. D. JOAN. CHRISTOPHORI KÜHNST.

Camphora in figuram orbicularem colliquata.

Multi Medicorum diſputant, num per ſublimationem, an vero colliquefactionem Camphora in figuram orbicularem redigatur? Qui pro ſublimatione acriter pugnare conſueverunt, colliquefactione plurimam Camphoræ partem in auras diſtrahi exiſtimant. Ex iisque præſertim D. GRONOVIUS, in *Diſſ. de Camphora*, & Celeberr. Berolinenſium Profeſſor NEUMANNUS, in *Tract. de Camphora*,

ra, ſe hunc laborem ſublimatorium Amſtelodami, ubi Camphora cruda tunc temporis depurata fuit, vidiſſe adfirmant; ipſi vero fatentur, depurationem, vel ſic dictam *refinationem*, arcani inſtar certis, iisque paucis familiis familiarem eſſe; neminemque eo tempore, quo Camphora ſublimandi cauſa fornacibus imponitur ſublimataque eximitur, admitti; quibus addunt, vaſa vitrea, quæ vocant nidrige Nonnen-Gläſer, quæ ad manus altitudinem ejusque cum placentis camphoræ capacitatis eſſe dicuntur, huic ſublimationis labori adhiberi, eaque arena obtecta eſſe inter ſublimandum. Accuratam vero figuram orbiumque gravitatem conſiderantes, dubium omnino incidit, dum ad alia ſublimata ſimul reſpicimus, an ejusmodi Camphora, quæ orbicularis figuræ a Belgis ad nos transfertur, ad ſublimatorum claſſem commode referri queat. Non enim mihi de Camphora ſermo eſt ex vegetabili ſuo ſeparandæ, neque de cruda illa Camphora ab impuritatibus purganda, quam utramque operationem ſublimationis ope peragi conſtat; ſed quæ cauſa ſit Camphoræ in figuram orbicularem redactæ, utrum ſublimando id fiat, an vero colliquando. Sublimationem figuram hanc ipſi non procurare, omnia, quæ inſtituta ſunt, docent experimenta, etſi modo dictus D. GRONOVIUS & NEUMANNUS in Laboratorio Amſtelodamenſi fuerint præſentes & vidiſſe ſe quid, neque tamen recte, teſtentur. Attendamus modo ad quædam momenta, quæ ex eorum relatione in Laboratorio hoc obſervationem merentur, quæ ſequentibus breviſſime comprehendemus. Vitra nimirum, quibus in figura Camphoræ determinanda utuntur Belgæ, ad manus altitudinem, ejusdemque ac orbes illi camphorati capacitatis ſunt, eaque arena ſatis obtecta, arenæ balneo imponuntur. Si concreditur Vulcano atque eximitur, omnis peregrinorum aditus prohibitur. Hic labor familiis quibusdam arcano a majoribus accepto ſo-

 adhæret

lemnis eſſe fertur. Hi vero peregrinantes, cum verum modum Camphoram ab impuritatibus ſeparandi penetrare ſatis non potuerint, ad additamentum quoddam hiſce familiis notiſſimum confugiunt, cujus ope ſordes has depelli a camphora ſibi perſuadent, id quod tamen non pro certa veritate, ſed hypotheſi tantum vendunt. Licet vero ignoremus hoc additamentum, ſi camphora ſublimationis ope accuratam ejusmodi figuram in vitris his humilibus, Nonnen-Gläſer, dictis, reciperet: fugit me ſane ratio, quare non quivis chemicorum laborum haud expers, camphoram in ejusmodi figuram accuratam orbicularem, ſublimatione rite inſtituta, valeat commutare, quamvis candor atque pelluciditas ipſi deeſſent. Id quod cum mediante ſublimatione, eaque in vaſis clauſis humilibus arenaque obtectis inſtituta, fieri nequeat, aliam ſubeſſe rationem facile mihi perſuaſi. Quam ut eo felicius explorem, utrum ſcilicet per ſublimationem, an vero colliquationem in figuram orbicularem mutetur camphora depurata, vel ſic dicta refinata, varia inſtitui experimenta. Primo itaque tentavi cum camphora, in vitro globoſæ figuræ, a ſordibus alias immuni nullisque uſibus antea adplicato, colliquata & vehementi igne ſublimatorio, balneo arenæ expoſita, num vitrum diffringeretur. Recepi inde vitrum globoſæ figuræ, anguſtique orificii, unius circiter menſuræ, cui Camphoræ indidi uncias quatuor, luto optimo munito, balneo arenæ expoſui, talemque ignis gradum excitavi, qualem mercurius dulcis alias expoſcit. Vitri diffractione propoſita periculum diligentiſſime cavi, ſed fruſtra. Tantum enim abfuit, ut diffractum fuerit, ut potius, quoties introſpexerim, toties Camphoram olei inſtar in fundo fluentem invenirem. Refrigeratis omnibus, Camphoram in ima vitri parte Belgicæ illi Camphoræ & ſoliditate & forma ſimillimam deprehendi, fovea medio ſuperficiei ſuperioris impreſſa. Paranda

randa mihi deinde curavi vitra ad eorum modum, quibus Belgæ utuntur, uti ſupra docuimus, ad inſtar vitrorum conſervalium, germ. Zucker-Gläſer, fundis excurvatis, latitudine ad ſex digitos accedente, quibus alembicos cœcos & planos cum inferioribus exacte convenientes, impoſui. Vitrum ejusmodi, Camphoræ libra una, vel una & dimidia indita, pro ipſius magnitudine, alembico cœco optime lutato, Batavorum ad morem balneo arenæ impoſui, igneque ſubminiſtrato legitimo, usque dum omnia confluxerint, refrigerari paſſus ſum. Depoſito alembico camphoratam placentam deprehendi, quæ calefacto pauliſper vitro ab ipſo fuit ſeparata. Acuta parte in ſuperiori globoſitate placentæ hujus cultri ope, obtuſa pauliſper reddita, ut in Belgicis his placentis conſpicere licet, Camphoramque deprehendi, figura orbiculari Belgicæ illius camphoræ perfectiſſime præditam, neque in alia ulla re ab ipſa diſcrepantem. Camphora itaque cum in vitris bene clauſis, humilibus, arenaque tectis, ceræ ad inſtar, igni concredita, confluat, neque mediante liquatione ſuperiori parti vitri adhæreat, refrigerata vero firmiter admodum in fundo coaguletur, figuramque inferiori vitri regioni reſpondentem, habeat, unusquisque facile hinc perſpiciet, figuram orbicularem colliquando adipiſci, non vero ſublimando. Fovea vero, quæ in medio camphoræ hujus, globi ad inſtar, fuit, impreſſa, aëri attribuenda eſt, & refrigeratis demum vitreis vaſis ſpiſſeſcenti & prementi. His itaque ſufficienter me demonſtratum dediſſe arbitror, camphoram figuram ſuam colliquatione induere, non vero ſublimatione. Crudæ vero illius camphoræ ab impuritatibus depuratio duplici potiſſimum methodo peragitur, vel aquæ ope, vel ſpiritus vini rectificatiſſimi. Aquæ adminiculo id perficitur, ſi camphora cruda vaſi deſtillatorio injecta, adfuſa aqua, impoſito alembico, additoque excipulo, deſtillatur; deſtillando camphora ſuperiori regioni adhæ-

ret pura, remanentibus in fundo impuritatibus. Spiritus vini rectificatiſſimi ope ita depuratur; Camphoræ crudæ infuſus ſpiritus viui rectificatiſſimus camphoram ſolvit omnem, relictis in fundo inquinamentis: ſpiritus hic camphora imprægnatus deſtillatur in cucurbita vitrea. Camphora relicta in fundo, vel ignis gradu fortiori excitata & in ſublime lata colligitur. Spiritus vini rectificatiſſimus ad ejusmodi operationes denuo ſubeundas idoneus admodum eſt. Duplici itaque modo depuratur camphora, deinceps figuram orbicularem, uti ſupra prolixe indicavimus, in clauſis ejusmodi vaſculis colliquando nanciſci poterit.

OBSERVATIO XCIX.

Dn. D. JOAN. CHRISTOPHORI KÜHNST.

Sal commune ex oſſibus animalium.

Sal commune omnium vegetabilium animaliumque partem conſtitutivam eſſe, chemica arte ex iis corporibus producta teſtantur. Licet enim illud non in omnibus, ob admixtas inſimul terreſtres & oleoſas particulas, manifeſte in ſenſus incurrat: in multis tamen illud eſſentialiter elici poſſe animadvertimus, cujus adſerti oſſa animalium argumento nobis eſſe poſſunt. Recipias itaque animalium oſſa, illaque duriſſima, e. g. lamellam cranii exteriorem, partem oſſis femoris mediam, tibiæ, fibulæ, ulnæ, radii, dentes, ceteraque, quæ neque ſpongioſæ, neque corneæ ſunt naturæ, eaque aqua calida ab omni pinguedine mundata ſicces & limaturæ ope in raſuram convertas. Poſtea fortiter in aqua decoquas, & ex iis paratum decoctum leni evaporatione aliquantenus inſpiſſetur. Maxima humiditatis parte ſic exhalata, in fundo ſal conſpicitur, quod depuratum, ſalis communis inſtar quadrangularem figuram exhibet, ce-

teraque in omnibus cum ſale communi perfecte convenit. Ex magna itaque raſpatorum oſſium quantitate, licet parum ejusmodi ſalis præparetur; demonſtrari tamen exinde poteſt, ſal commune & duriſſimas animalium partes, oſſa ſcilicet penetrare, eorumque partem eſſentialem conſtituere.

OBSERVATIO C.

Dn. D. JOAN. CHRISTOPHORI KÜHNST.

Sal commune e ſucco Galeopſidis.

Sal commune ut ſal eſſentiale e ſucco Galeopſidis faciliima ratione elici poſſe non eſt ſententia, ſed encheireſes certæ ut adhibeantur, eſt neceſſe. Ideoque huic ſeparando duplex præſertim methodus inſervit, cujus prima ſequens eſt: Succus nimirum depuratus, & ad extracti liquidioris conſiſtentiam inſpiſſatus, vitro inditur charta leviter modo munito, ut partes aquae ſenſim exhalare queant, poſtea in loco convenienti ac temperate calido per 3. 4. 5. 6. annos quieſcere permittitur. Hoc durante tempore ſuper extractum cryſtallos ſalinas quadrangulares concreſcere conſpicimus, quæ collectæ depurataeque purum ſal commune conſtituunt. Quibus altera methodus placet, propius finem attingunt. Succus nimirum expreſſus & depuratus in vitro adſervatur, vitreo obturamento lutoque optime munito, ne aër mutare in illo quid poſſit, niſi ſub acerrimo hiemis frigore. Quo tempore per vices conglacietur, ut partes gummoſæ & mucilaginoſæ a ſalinis avellantur. Succus ita concretus & denuo ſolutus, filtratione præmiſſa, leniori igne evaporetur. Maxima aquoſitate in auras diſſipata, in muſeo adſervatur, ut omne humidum ſenſim exſpiret, ſic cryſtalli ſalinæ cubicæ figuræ in vitro concreſcunt. Hanc obſervationem primo me Extra-

ctum Galeopſidis docuit, quod per 5. annos adſervatum ſalinis cryſtallis refertum eſſe deprehendi. Quo facto, num ſal commune, ut ſal eſſentiale in ſucco Galeopſidis certe reperiatur, inſtitutis his experimentis certior fui factus.

OBSERVATIO CI.

Dn. D. JOAN. CHRISTOPHORI KUHNST.

Sal commune è pleriſque vegetabilibus.

Vegetabilia omnia combuſta in cineres converti, hosque cineres aqua elixiviatos ſal alcali fixum, modo in minori, modo majori copia, pro plantæ diverſitate ſuggerere, eſt notiſſimum. Verum enim vero non ita cognitum hucusque fuit, ſal commune etiam ex his cineribus, licet in minori quantitate, poſſe elixiviari. Id quod ut clarius pateat, ſali ejusmodi alcalino fixo, ex quacunque herba, radice, vel vegetabili parato, inſtilletur oleum Vitrioli, ita vaporem album acidum, alias ex ſale communi prodeuntem, exſurgere videbimus. Quodſi vero certius experiri placeat, num fumus iſte ſalis acidum communis vere conſtituat, ſal alcali retortæ tubulatæ injicias, cui vel Vitriolum calcinatum, vel oleum Vitrioli addas, ita acidum in vaſe recipienti obtinebis, acido ſalis communis in omnibus perfecte ſimile. Hoc ſi certo reperiatur cum alcali fixo junctum fuiſſe, ſal commune in omnibus vegetabilibus eſſentialiter deprehendi neceſſe eſt. Hujus autem ſalis in multis major, ut Soda Hiſpanica & ſpeciebus herbæ Kali omnibus, in aliis minor reperitur quantitas, in omnibus tamen vere adeſt, ut adducto experimento demonſtratur. Cum itaque in omni alcali fixo, per vegetabilium incinerationem parato, ſalis communis in ſubſtantia aliquid deprehendatur, quisque certe, niſi maxime

me vegetabilium mixtionis ignorans, facile judicabit, ſal commune ante combuſtionem, licet ſeparari non queat, in majori copia vegetabilibus ineſſe, quoniam ſub incineratione multæ ſalinæ acidæ particulæ, ope inflammabilium partium ſimul junctarum, volatiles redditæ in auras disjiciantur.

(Ronneburgo Erfordiam miſſa d. 26. Januar. 1738.)

OBSERVATIO CII.

Dn. D. JOAN. CHRISTIANI KUNDMANNI.

Veneficium, quo filia, novercam Arſenico rubro, patrem vero & tres ſorores Cobalto occidit.

INter laudabilia Rerumpublicarum bene conſtitutarum inſtituta hoc in primis referendum eſt, quod nemini aromatariorum & pharmacopolarum venenum ſine antapocha, aut nullis, niſi hominibus certæ fidei, ſuosque alicubi fundos habentibus, vendere liceat: immo edictis medicinalibus & conſtitutionibus Boruſſo-Brandenburgicis, item renovato catalogo pharmaceutico, (*Taxam* vulgo vocant) adjunctum eſt juramentum pharmacopolæ & proviſoris, quo uterque obligatur, ut nemini opiata, multo minus venena absque ſufficienti inquiſitione & cautione vendat; atque inſuper proviſorem jurare oportet, ſe nullum omnino venenum, inſcio Medico aliquo & Domino ſuo eſſe venundaturum. Hanc ipſam legem ſancte ſemper obſervavit *Vratislavia* noſtra: Aromatarii vero & pharmacopolæ illam plerumque tantummodo de Arſenico albo & Mercurio ſublimato intellexerunt, inter alia autem Arſenicum rubrum,

vel ſandaracham, itemque Cobaltum, vendere, nihil dubitarunt. Hunc morem mulier quædam plebeia hic loci, ante portam Olavienſem, impio auſu in rem ſuam vertit: uti & præter veneficium ſimpliciores & incallidos homines ſeduxit, ut philtris, amoris excitandi & reprimendi cauſa, uterentur, ut meretrices fœtum abigerent, ut alii artem divinationis tentarent, ut reſtitutionem rerum furto ablatarum, procurarent, &c. Ad hanc inopiam mulierem, vel ſagacem matrem, (ut adpellari voluit,) adiit ſartoris cujusdam ante prædictam portam habitantis, filia, conquerens, male admodum tractari ſe a noverca, quæ ipſam minime ferre poſſit: His auditis ſuadet ei mulier, ut Arſenicum rubrum emat, &, ne colorem proderet, una cum braſſica rubra non capitata coquat, quæ & ipſa rubrum funderet juſculum; ſic enim nullam veneni fore ſuſpicionem: quod conſilium quoque ipſi ex animi ſententia ceſſit, ita ut hac braſſica comeſta, noverca inter maximas abdominis torſiones vehementiſſimosque vomitus, paucis poſt horis mortua ſit. Cum vero nemo in ſuſpicionem vocaret privignam hancce impiam; eadem ipſa poſt fata novercæ ex hereditate ejus adpetit veſtem aliquam, quam tamen pater ei dare recuſat, ideo, qnod paucula illa defunctæ veſtimenta, ſint quatuor germanorum liberorum ſuperſtitum. Hoc dicto, filia graviter exacerbata, iterum confugit ad illam ſagacem mulierem, conquerens, patrem ex hæreditate nullam ipſi portionem velle concedere. Confeſtim mulier iſta impia ſuadet ei, ut unius groſſiculi pretio Cobaltum ex pharmacopolio (vulgo Fliegenſtein) petat, ſimulque pira ſylveſtria exſiccata emat; hoc ipſo enim vehiculo venenum commode inſinuari poſſe patri & liberis, quoniam alias pulvis ille venenatus lenem quendam fragorem intra dentes ſub comminutione excitaret, quod tamen nemo ſuſpicaturus ſit, dum & in pulte ex piris exſiccatis cocta permulta occurrerent

rent granula, & hac ratione ipſam facillime adire univerſam hæreditatem poſſe, adfirmat. Pulte ergo hac, veneno infecta, veſcitur pater cum reliquis liberis omnibus: hinc moritur ipſe vir quinquagenarius inter vehementiſſima tormina, vomitus & frigidos ſudores poſt XIII. horar. ſpatium; puella decennis poſt IX. horas: puella ſexennis poſt XVIII. horas: puella $2\frac{1}{2}$. annorum, quæ tantum modo reliquias pultis ex olla eraſerat, poſt VI. dies; & filiolus ſesqui anni, qui matris veneno necatæ ubera, dimidia poſt ipſius mortem hora, ſuxerat, poſt undecim menſes, tabe extinguitur.

Dehinc cum paucis poſt horis a me una cum chirurgo ſectio inſtitueretur, in patris corpore cum pectus fuiſſet adapertum, vaſa pulmonum adaparebant ſanguine tumentia; in abdomine hepar ſaturato colore rubens, ventriculus bilioſa aqua plenus, extrinſecus minime inflammatus; cum vero ſurſum in longitudinem aperiretur, totus rubicundis ſtriis latioribus, & maculis refertus conſpiciebatur, & verſus oeſophagum ſanguis nodorum inſtar ſtagnabat; ibidemque dura granula muco obducta reperiebantur: In œophago autem & inteſtinis, item in reliquis viſceribus, extraordinarium nihil obſervabatur.

In corpore filiæ decennis ventriculus deprehendebatur undique maxime inflammatus, vaſaque adeo erant adroſa & corroſa, ut ſincerus ſanguis dilutus in ejus cavitatem defluxerit. Ceterum in aliis viſceribus nihil ſingulare obſervabatur, niſi quod hepar ſaturato colore rubens & fuſcis maculis paululum conſperſum, compareret.

In corpore puellæ ſexennis inflammatio ventriculi interne quidem non ita vehemens erat, uti in præcedentibus, attamen valde conſpicua; externe vero verſus pylorum nodus ſanguinis extravaſati perſpicue cernebatur; alioquin vaſa gaſtrica, fundum perreptantia, magis quam in ceteris erant tumentia, & ventriculus admodum contractus.

Filioli unius anni cum dimidio, ante biduum extincti, corpuſculum tabe prorſus erat abſumtum, cutis in abdomine ſaturato viridi colore tincta, qui jam poſt ejus a muſculis ſeparationem intra horum ſubſtantiam penetraſſe deprehendebatur; hepar adparebat prægrande, item veſicula fellis; in ventriculo & inteſtinis nullum erat inflammationis veſtigium, itemque in reliquis viſceribus extraordinarium nihil animadvertebatur.

Puella duorum annorum cum dimidio, ſex diebus poſt patrem extinguebatur; atque hujus quoque corpus, ſicuti priorum, in tergo erat lividum, abdomen minus tumidum, admodum emaciatum, ac poſt ejus pariter ac pectoris apertionem, vaſa pulmonum plane, non ut in ceteris turgida adparebant, hepar prorſus pallebat, veſicula fellis extra modum grandis erat, & ex ventriculo aperto emanabat fuſca & fœtida aqua; in fundo autem ejus deprehendebatur exigua macula inflammata, ad magnitudinem fabæ minutæ accedens. Cum inteſtinum duodenum ſecundum longitudinem diſſecaretur, confeſtim lumbricus extrahebatur, & cum idem in inteſtinis tenuibus fieret, inprimis ubi ſubfuſca extrinſecus adparebant, ibi quoque ejusmodi vermes reperiebantur; ceterum nihil, ut & in reliquis viſceribus, erat obſervatu dignum.

Ex hisce ergo circumſtantiis judicavi, priores tres, ſcilicet patrem & duos liberos, manifeſto per venenum eſſe interfectos, quia in omnibus non ſolum interne ventriculus vehementer inflammatus, ſed & ipſa inſuper vaſa ventriculi arroſa & corroſa erant, ut ſanguineolentus humor in cavitatem ventriculi extravaſatus fuerit, quæ quidem ſigna & effectus veneni accepti ſunt infallibilia; dura autem granula non aliter erant comparata, quam ſicuti in hisce piris vulgo reperiuntur.

Hinc

Hinc, cum patris iſtius filia natu maxima, novendecim annos nata, die XIX. April. Ao. 1737. in pharmacopolio quodam Cobaltum pretio unius groſſiculi popoſciſſet, & ſemi unciam cum drachmis duabus obtinuiſſet, quem pulverem in pulte, ex piris exſiccatis cocta, ſub veſperam circa horam ſextam dedit patri & tribus liberis, ex quibus puella illa, quæ adhuc ſex dies vixit, tantummodo reliquias pultis ex olla eraſerat; omnes una confeſtim vehementiſſima tormina in abdomine ſenſerunt, atque enormes vomitus inter ſudores frigidos perpeſsi fuerunt, donec maxima natu puella mane circa horam tertiam, deinde pater circa horam ſeptimam, & puella ſexennis in ipſo meridie hora XII. mortem obiret.

Jam vero *D. D. Fridericus* TEICHMEYERVS *in Inſtitut. Medic. legalis vel forenſis cap. XX. pag. 165.* ſcribit: *Arſenicum album, flavum, rubrum, item Cobaltum vera venena ſunt.* Et paulo poſt: *Cobaltum officinarum nihil aliud eſt, quam fuſcus pulvis, adeo venenoſus & corroſivus, ut in nulla charta contineri poſſit, & quoniam muſcas aliaque inſecta enecat, ideo* Fliegenſtein *adpellatur.* Sic quoque in Celeberr. Dn. D. ALBERTI *Syſtemate Jurisprudentiæ Medicæ*, poſt Partem poſterior. in Appendice ſupr. Caſ. XXVII. pag. 168. ſequens Reſponſum Facultatis Medicæ proſtat: P. P. *Pulverem illum, quem vulgo vocant* Fliegenſtein, *nihil aliud eſſe, niſi Cadmiam foſſilem metallicam, & a metallicis ſic dictum Cobaltum; quoniam igitur hoc minerale vera minera Arſenici ſit, quod ipſum per ſublimationem, cum ex hac minera Smalta efficitur, & Arſenicum vehementia ignis expellitur: & vero conſtet Arſenicum eſſe unum ex vehementiſſimis venenis; facile colligi poſſe, mineram illam, ex qua Cobaltum conficitur, etſi non ita venenoſa ſit, ut Arſenicum, nihilo minus tamen pariter ob naturam ſuam venenoſam hanc vim habere, ut homo vel animal ejus ope interfici poſſit: hinc etiam a Mattheſio in Sarepta pag. 430. E-*

quorum

quorum venenum adpellari : Eundemque Mattheſium narrare : Cobalti fumo & pulvere, multos metallicos mori, & aquas ex Cobalto metallicorum manus & pedes adrodere, immo idem Cobaltum non modo muſcas, ſed etiam glires & mures necare, & quamvis pauca dentur exempla, quod homines eo interfecti ſint, hoc tamen omnino fieri poſſe.

Cum igitur Illuſtris HOFFMANNVS *in Medicina Conſultatoria*, & quidem in *Indice*, ſub Tit. *Arſenicum*, Part. I. pag. 146. itemque Dn. D. ALBERTI l. c. pag. 169. ſcribat: Arſenicum triplo venenatius eſſe, quam Cobaltum, VI. vero granis Arſenici hominem interimi poſſe conſtet; hinc ſequitur, ut XVIII. grana Cobalti eundem effectum producant. Jam vero vir ſupra memoratus ejusque tres liberi conjunctim 360. grana in pulte ſupra dicta comederunt, adeoque neceſſario ſequitur, cum quilibet horum fere 100. grana degluciverit, ut idcirco mors abſolute & neceſſario inſecuta fuerit.

Quod vero ad infantem unius anni cum dimidio attinet, cum ille adhuc dimidia hora poſt matris mortem, quæ ante duos menſes evenerat, materna ubera ſuxiſſet, certo utique indicari nequit, quamvis abdomen externe colore viridi tinctum adparuerit, quantum Arſenicum rubrum, quod ipſi per lac communicatum fuit, ad mortem ejus promovendam conferre, valuerit, quoniam jam aliquot hebdomadibus ante obitum matris male ſe habuiſſe dicitur, atque VIII. adhuc hebdomades matri ſuperſtes fuit, & in dies ſaltem magis magisque contabuit.

Idem fere evenit in puella trium annorum cum dimidio, quæ & ipſa quidem reliquias pultis veneno infectæ ex olla eraſit, videtur utique in hac pulte parum veneni ad ollæ fundum deſcendiſſe, vel marginibus adhæſiſſe, quia illa non ſolum adhuc per ſextiduum vixit, ſed etiam ſub anato-

mica

mica ſectione nihil niſi macula magnitudinem fabæ minutæ referens, inflammata ſuperficie interna in ventriculi deprehenſa fuit, præterea autem multi lumbrici in inteſtinis latitarunt, quales etiam ex hujus puellæ corpusculo biduo ante mortem per os & per anum prorepſerunt. Utrum igitur exili veneni hujus quantitate vermes irritati fuerint; an vero lac cum oleo olivarum altero mane, poſt venenum veſperi ſumtum, & a me, cum accerſitus eſſem, ſimiliter exhibitum lac cum oleo amygdalarum, nec non dein data analeptica veneni deleteriam quodammodo mitigaverint, ut puella adhuc tam diu vixerit, certo indicari non potuit.

Jam equidem dubium exinde moveri poſſet, quod nempe eorum, qui ex veneno perierunt, corpora mox poſt mortem intumeſcere ſoleant, immo quod inſuper etiam maculæ in eorum peripheria adpareant. Verum Illuſtr. HOFFMANNVS *l. c. Part. I. pag. 6.* expreſſe ſcribit: *Nihil certi ex eo colligi poſſe, quia in omnibus ſubitæ mortis caſibus, præſertim ſi corpora ſint completa & ſanguinea, hoc fieri ſoleat; apud alios vero, in quorum venis non multum ſanguinis inſit, nihil tale obſervetur.* Hinc quoque venæ in pulmonibus turgentes, nihil aliud indicare videntur, quam quod per vehementes vomitus ſæpius repetitos, hæ ipſæ, aut pulmones nimium exagitati fuerint.

Cum igitur gravis ſtatim ſuſpicio in filiam natu maximam ceciderit, præſertim cum per illam ipſam noctem intra urbem ſtudio manſiſſet, nec mane domi inventa eſſet, ac demum circa horam decimam antemeridianam eo rediiſſet, atque ideo a Judicibus ordinariis compellata eſſet, totam hinc rem libere eſt confeſſa, omnem tamen culpam conferens in vetulam ſupra nominatam. Aſt hæc, cum etiam in carcerem conjiceretur, nihil quidquam horum fateri voluit, cumque ſqualore carceris ad confeſſionem adigere

eam tentaret Judex, paucis poſt diebus in morbum incidit, inque carcere mortua eſt.

Acta atrociſſimi hujus criminis Tit. pl. Dn. Judex ad excelſum Tribunal Adpellationis Pragenſe transmiſit, quod ſequentem in maleficam tulit ſententiam: ſcilicet corpus ei forcipibus candentibus lacerandum, dextram manum, & poſtea caput amputandum, caput in palo figendum, manum infra caput, clavo ſuffigendam, & corpus humo obruendum eſſe. Cum igitur hanc ob cauſam ad ipſum *Summum Imperatorem* confugeret, ejusque gratiam imploraret; hæc ſententia omni ex parte confirmata, & ipſa d. 19. Martii 1738. in pago *Biſchvvitz*, qui lapidem unum Uratislavia diſtat, ſupplicio adfecta eſt.

Interea ut habet Protocollum judiciale, univerſa boni illius viri hæreditas non ultra tres groſſiculos pecuniæ paratæ, & forte tres thaleros reliquorum bonorum mobilium adſcendit: quandoquidem & tam exigua linteorum copia adfuit, ut omnia cadavera nuda loculis condi neceſſe fuerit. Et tamen ideo tot homines miſere trucidati ſunt.

OBSERVATIO CIII.

Dn. D. JOAN. CHRISTIANI KUNDMANNI.

De

Singulari eluvie & inundatione, quæ Anno 1736. magnam partem Ducatus Sileſiæ adflixit; deque exortis ſequenti anno periculoſis febribus epidemicis.

Adjunxi *rarioribus meis naturæ & artis* hiſtoriam horribilis Peſtilentiæ, quomodo ea ab initio hujus Seculi usque ad annum 1715. in quamplurimis Europæ terris vehe-

vehementiſſime in homines ſævierit. Poſt hanc hiſtoriam, dilucidationes quasdam propoſui de peſte, ſpeciatim de ejus origine. Ibidem vero inprimis adſerui, hanc luem neutiquam ex indifferenti domeſtica ratione, e. gr. ex corruptione aëris ac tempeſtatis, perverſa corporis diæta, aut aliis cauſis communibus in hisce regionibus ortum ducere; ſed illis ex peregrino fonte infundi, i. e. progreſſum unice ſuum *per contagium* ſive communicationem fomitis peſtilentis habere; quamquam negari nequeat, id agnoſcendum eſſe, quod tempeſtas uniformis maximum ad graſſationem & propagationem mali momentum habeat. Neque tamen ſolidis teſtimoniis confirmari poteſt, in noſtris regionibus unquam ex peſſimis etiam tempeſtatis conſectariis, ex perverſiſſima diæta, immo ex graviſſimis etiam petechiarum ſtragibus, quamvis per aliquot annos continuatis, & ad ſummam exaltationem provectis, peſtilentiam progeneratam fuiſſe. Cum e contrario multis, iisque ſolidiſſimis ac certiſſimis teſtimoniis comprobari queat, peſtilentiam in ditionibus orbis Chriſtiani veram ſuam originem, ex Oriente, ſpeciatim vero ex Imperio Turcico, perpetuo trahere ſolere, (uti id, præter exempla antiquiora, ex omnibus & ſingulis peſtilentiis inſignioribus ſuperioris Seculi oſtendere poſſem) ſpecialiſſime autem eo ex *Ægypto* transferri; ubi nullo non tempore, veluti lues iſti regno propria, ſub nomine *Dem el Muya*, permultos incolas ſæpius intra paucas horas, vomitu, cardialgia, ingenti æſtu, vehementi ſiti, furore, magna inquietudine, aliisque peſtilentiæ ſolennibus ſymptomatibus, inque his etiam bubonibus, e medio tollit.

Jam vero *Proſper ALPINVS de Medicina Ægyptiorum* & *Olaus DAPPERVS deſcriptione Africæ* adfirmant, & in eo conſentientes habent, Illuſtr. HOFFMANNVM, Dn. D. BEHRENS, EGGERDES, KRAMERVM, itemque PLATERVM, VNZERVM & plures alios, quod nem-

pe in *Ægypto* ex inundatione *Nili*, atque ex aqua deinceps, nimio æſtu in paludibus, foſſis, ciſternis, &c. in putredinem vergente, in corporibus nimium ſpongioſis, quæ, ob ſubterraneam in aquarum cavernis vivendi rationem pravis humoribus oppleta, & æſtu atmoſphærico poſtea ad corruptelam eo pejorem diſpoſita ſunt, peſtilentiam gigni.

Quam vehementes vero febres epidemicas apud nos in *Sileſia* extraordinaria inundatio aquæ putredinoſæ proximo vere excitaverit, oſtendent ſequentia:

Anno 1736. inde a feſto Paſchatos usque ad medium Julium fere continuo ſpirabant Zephyri & Cauri, i. e. a mari ſeptentrionali venientes, unde mirum haud erat, quod illo tempore frequentes fere, iique maximi imbres effunderentur, immo & cataractæ e nubibus deciderent: Hi nimbi, quia noſtra montium Sileſiacorum juga ſimul petebant, ipſa quoque aqua valles complebat, atque variis in locis ultra 60. piſcinarum majorum aggeres diruebat: Fieri hinc aliter non poterat, quin amnes intumeſcerent, & maxime eluviones exiſterent. Itaque Uratislaviæ Odera die 20. Junii increſcere cœpit, dieque X. usque ad XII. Auguſti ad ſummam pervenerat altitudinem, quantam quidem poſt hominum memoriam immo inde ab XXC. annis, nunquam attigit. Quin etiam erant, qui perhibent, tertiam Sileſiæ partem a Viadro aliisque fluminibus inundatam fuiſſe, præſertim cum fluvius ille primarius ultra ripas ad 3. 4. & 5. millaria usque exundaſſe dicatur. Maxime mirabile erat, quod aqua colorem plane fuſcum præ ſe ferret, tamque acris deprehenderetur, ut multi homines, qui illam vadando tentaverant, primo ſtuporem crurum ſenſerint, quem torſiones ſunt inſecutæ; immo proruperint puſtulæ, deinceps ſponte ruptæ, vel ſaltim in multis rubentes maculæ diu remanſerint; ſiquidem etiam hominum teneriori ſenſu præditorum, ſi modo ſemel ejusmodi aqua ſe abluerant, cutis prorſus aſpera &

ſcabra

ſcabra evaſit. Equorum, quotquot hanc aquam ingreſſi erant, quidam pilos ex crurum cute amittebant; & gallinæ & anſeres, qui eas deguſtaverant, prorſus peribant. Arbores Perſicæ, Armeniacæ, Ceraſi, immo Sambuci (cum tamen alias poſteriores aquoſa loca facile ferant,) nec non Buxi omnes, quas inundatio attigerat, exareſcebant. Quod vero, ut ex regionibus confinibus, quas Odera perfluit, litteris nunciatum fuit, piſcium oculi acrimonia aquæ eroſi, item quod piſces una cum cancris mortui, in ripas ejecti ſint, atque illos, ob fœtorem intolerabilem, illos ſtatim humo obruere neceſſe fuerit, id hic locorum non eſt obſervatum. Hoc vero experientia cognitum eſt, iſto tempore piſces ſolito molliores inter coquendum factos eſſe, unaque cum cancris odorem fœtidum & ſaporem putridum nactos fuiſſe.

Attamen & hoc facile evenire potuit, ut, quo longius & diutius aqua inter maximos æſtatis calores profluxerit, eo acrior & magis putrida illa evaſerit, unde piſces & cancri emori potuerunt quoniam, quando in piſcinis, immo & in parvis fluviis, quales ſunt Lauus (Lohn) & viadus, (Weyde) haud longe Uratislavia diſſiti, multum Lini maceratur, eoque aqua putredinem concipit, pariter non ſolum piſces emoriuntur, ſed & cancri ex cavis ſuis catervatim in terram prorepunt, ita, ut copioſe noctu colligi facillime poſſint, unde nullo anni tempore, quam iſto, hic locorum viliori pretio cancri veniunt.

Quod vero ad cauſam fuſcæ hujus & acris aquæ attinet, illa primum a multis calci aquis prolutæ, mineris Vitrioli & Martis in pratis, vel in rubris telluris abruptæ faucibus, ejusmodi loca *Viadrus* inundavit, ſolummodo imputabatur. Verum enim vero, cum permultæ illæ, quæ hac anni tempeſtate putreſcere ſolent, paludes & lacunæ funditus ſint elutæ; in primis cum multa millia metarum fœni, exſiccationis cauſa disjecti, vel gramina paulo antea in pra-

tis per continuas pluvias putredinem conceperant; quibus adcenſenda ſunt frumenta & zizania, atque etiam linum, ab agris vi undarum evecta, item gramina in pratis adhuc virentia, ac permulta illa folia in arboribus & fructibus corrupta: In hiſce omnibus cauſas rei inſolitæ quærendas eſſe, conjeci, quia iſthæc aqua neque ſedimentum martiale dedit, id quod tamen alias aquis Oderæ ſæpius rubentibus accidit, illis ſcilicet, quæ ex Niſſo flumine a rubicundis montibus Niſſenſibus deſcendunt; neque inter decoquendum quidquam Vitrioli, ſed potius ejusmodi fuſcum magma reliquit, ac ſi putres graminis herbæ in aqua maceratæ vitium fœtoris concepiſſent. Cum igitur hæc maxima vis aquarum imminuta fuiſſet, in depreſſioribus pratis, campis, &c. ingentes, vel ſaltim multæ paludes remanebant, quæ poſtea, tempeſtate admodum æſtuoſa incidente, demum præ putredine ſpumas copioſas egerunt: Cumque aqua vi ſolis per evaporationem prorſus deceſſiſſet, craſſa quædam pellicula in pratis antea inundatis hærebat, quæ cum plane eſſet exſiccata, ſoliditatem corii induebat, ut vix ex transverſo divelli diſcerpique poſſet, ad ſimilitudinem *Huatte*, vel *Watte*, prope accedens: Hæc pellicula erat coloris albi, vel ſublutei, ſurſum lævis & bifolia, ita ut litteras inſcribere liceret, inferius inſtar ſerici tactum adficiebat, & conjunctim ſæpe digitum humanum craſſitie adæquabat. Atque hujus quidem pelliculæ particulam aliquam, quia inprimis albicans, miram quantam præ ſe ferebat ſpeciem, *Excellentiſſimus ſupremæ curiæ Sileſiacæ Director* dignam cenſuit, quam pro ſpecimine *Viennam* ad *Sacr. Cæſaream Majeſtatem* transmitteret; ubi aula Cæſarea illam non ſatis admirari potuit.

Alterum, quod in ejusmodi putridis paludibus comparuit, ſingulare erat innumera fere copia ranarum caudatarum, diverſæ magnitudinis. Hæ primum ab imperitis pro lacertis habebantur; cum vero in gramine circumſilirent

ra-

ſanas eſſe mox intelligebant; præſertim cum Doctiſſimus Dn. *Godofredus* LANGHANS, Con-Rector Scholæ Landeshuttenſis, ante biennium Schediasma duarum plagularum ediderit, de *Ranis caudatis prope Schmidebergam, in piſcina admodum limoſa & paluſtri Ann. 1735. catervatim repertis*, caudas triplo longiores, quam ipſarum corpus eſt, habuerunt, muſtelis fluviatilibus perfecte ſimiles, de quibus pariter, ac de Vratislavienſibus egi in *Rarioribus meis Naturæ & Artis, Sect. II. Art. III. pag. 402. ſqq.* Cum igitur præcedenti anno hæc aqua putidiſſima ſeſe gremio terræ inſinuaſſet, & vere adventante tellus jamjam menſe Martio, gelu liberata ex toto aperiretur, per magnum hominum numerum febribus catarrhalibus adfligi, obſervabatur: Cum vero ſequenti menſe Aprili rurſum frigus haud leve ingrueret, pluviusque cœli ſatis frigidi ſtatus incideret ac continuaretur, quo ipſo pori rurſus obſtruebantur; cives vero ut piſtores, Zythopolæ, laniones, &c. in iſta annonæ caritate, frumenti & pecoris comparandi gratia, varia extra urbem loca paſſim obirent, prioresque ſecundo Viadri flumine illud advehere ſtuderent; inde factum eſt, ut inſignis horum hominum numerus morbis implicaretur, ac fere omnes fato ſupremo raperentur. Hinc mortis vis undique in ipſa urbe Uratislavia, magis vero in vicis & pagis, ſævire incipiebat, ubi ruſtici agros arare & ſerere, aëri libero expoſiti laborare, & ligno deficiente, in noctu miſellis tuguriis ſuis, iisque perfrigidis, latitare cogebantur, atque inſuper ſumma alimentorum penuria premebantur, adeo, ut in pagis novellam graminis herbam coquerent, item morticinum pecus effoderent; atque inſuper ad res eſu inſolitas neceſſitate impellerentur; ſiquidem tandem in ſuburbiis noſtris quartarius ſanguinis ex mactato pecore a lanionibus tribus groſſiculis vendebatur, inque laniario omnis ſanguis a pauperibus excipiebatur, eique muria halecum incoquebantur, immixtis furfuribus

ribus & farina ſecundaria, (vulgo ſchwartz Mehl) atque tali modo pro cibo adhibebatur; immo tandem hic ipſe cibus tot egenis non ſufficiebat. Hinc ergo facile frequentiſſimæ febres epidemicæ oboriebantur, ſequentibus potiſſimum ſymptomatibus ſtipatæ.

Plerique primum conquerebantur de horrore aliquo, quam æſtus & proſtratio virium ſequebatur: In quibus igitur confeſtim ingentes ſudores prorumpebant, vel acrior gravedo concurrebat, his malum illud intra trium aut quatuor dierum ſpatium finiebatur. In aliis contra languor virium & cardialgia perſeverabant, æſtus increſcebat, & præcipue ſub noctem augebatur cum anxia reſpiratione, oppreſſione pectoris & tuſſi ſicca, aridura linguæ; alii conquerebantur de doloribus punctoriis in pectore, cephalalgiis & ſpasmis in dorſo, tractionibus, immo tremoribus artuum, agrypniis, vel inſolita ad minimum ad adfectus iſtos propenſione. Concurrebant porro deliria, hæmorrhagiæ narium, ſitis intenſior & aphthæ in faucibus. Erumpebant etiam in quibusdam maculæ fuſcæ ac lividæ, item purpura rubra & alba, quæ mature vel ſero, pro varia conſtitutione, varioque regimine ægrotantium, ſubſequi ſolebat; immo duo ex ægris, qui curationi meæ ſeſe concrediderunt, toto in corpore magnis infeſtabantur tumoribus, qui ad ſuppurationem tandem vergebant, & ſpeciem magnorum furunculorum præbebant, & poſtmodum in cute etiamnum poſt anni integri decurſum, maculas ſatis magnas relinquebant. Proinde quoque ſæpenumero ſuperveniebant lipothymiæ, ſudores colliquativi, tremores artuum, ſingultus, tractiones nervorum & motus convulſivi.

Hæc omnia in primis initium ſuum ſumebant menſe Martio, ita ut fere duplo plures homines, quam menſe præcedenti, mortui ſint; menſe autem Aprili & Majo numerus defunctorum ferme quadruplo major, quam vulgo alias notaba-

tabatur, prout ſequens oſtendit Tabula, in qua ii, qui ſub ditione urbis ex incolis, Evangelico - Lutheranam profitentibus religionem, mortem obierunt, indicati ſunt, ſimulque credibile eſt, quod Romano - Catholicorum, itemque Evan-

Ita moriebantur.	Ad St. Eliſabetam.	ad Stam Barbaram.	Omnium Sanctorum.	Mariam Magdalenam.	Chriſtophorum	Salvatorem.	Bernhardinum.	11000 Virginum.	Summa
a die 25. ad 31. Dec. A. 1736.	2	3	3	3	3	16	3	3	36
Anno 1737. Menſe									
Januario -	4	40	16	5	5	55	23	29	177
Februario -	3	46	12	3	6	53	15	28	166
Martio -	9	75	34	19	8	73	13	34	265
Aprili -	18	122	81	31	12	144	35	87	520
Majo -	12	132	57	30	27	143	49	70	520
Junio -	8	95	32	24	15	89	27	56	346
Julio -	9	73	32	13	9	68	22	35	261
Auguſto -	2	53	15	7	4	79	12	33	205
Septemb. -	5	44	9	7	6	46	6	18	141
Octobr. -	4	42	12	8	7	53	13	19	158
Novembr.	5	60	10	7	5	38	22	20	167
Decembr. -									
a 1. ad 24. diem.	2	35	8	4	5	37	15	15	121
Summa demortuorum	83	820	321	151	112	894	255	447	3083

gelicorum, magna in copia in illorum ditionibus degentium, haud multo pauciores deceſſerint.

Numerus hic defunctorum inde ab An. 1555. non niſi quatuor vicibus major extitit, quam præcedenti anno: Namque An. 1568. demortuorum fuerunt 9251, A. 1585. 8931. A.

1599. 3942. atq; A. 1633. 13231. ubi tamen notandum, quod annis hiſce peſtilentia ipſa in urbe noſtra graſſata fuerit. Alias vero, febribus epidemicis invaleſcentibus, numerus ferme inde a duabus Seculis ſolo anno 1720. usque ad 1816. adſcendit.

Cum ergo numerus demortuorum menſe Aprili tantopere augeretur, inque hoc menſe, nec non ſequenti Majo, ultra 500. excreſceret, atque adeo hiſce duobus menſibus tot homines extinguerentur, quot fere per integrum annum alias decedere ſolent, calamitate hac Aulæ Cæſareæ innoteſcente, *Sacra Cæſarea Majeſtas* decernebat, ut Collegium Sanitatis extraordinarium a *ſuprema Curia*, ſicut & ab *Ordinibus Statibus Sileſiæ* adornaretur, ad quod præter me, etiam duo adhuc Medici experientiſſimi, nominatim Tit. Dn. D. *Chriſtianus ab* HELLWICH Acad. Nat. Adjunctus, & Dn. D. *Antonius* FICHTEL, Aulæ Electoral. Moguntinæ Medicus, & tandem etiam duo *Dn. Phyſici* urbis noſtræ vocabantur. Omnes hujus loci Medicos oportebat ſingulis hebdomadibus omnium ægrorum ad illud Collegium deferre nomina: Et omnibus *Regii Regiminis Collegiis* in toto Ducatu *Sileſiæ* injungebatur, ut Medicos omnium locorum idem obſervare juberent; præterea ex omnibus Parochiis Catalogus defunctorum transmittebatur, quæ dein omnia nobis pro reviſione inſtituenda tradebantur. Immo, cum in *Polonia* loca nonnulla in ſuſpicionem infectionis venirent, Cæſareum ideo mandatum ad Tit. pl. Dn. *Wilhelmum* KINNERUM *a* SCHARFFBERG, publico Cæſaris nomine *Warſoviæ* reſidentem, mittebatur, ut in ejusmodi locis, tum ipſe, tum etiam per peritos Medicos inquireret, an lues ibi peſtifera ſæviret. Is vero ad *ſupremam Sileſiæ Curiam* ſcripto referebat, in illis locis pleroſque homines non niſi fame interire, atque Epiſcopum Poſnanienſem jam die XXVII. Aprilis *Warſoviam* ſcripſiſſe, quod usque ad iſtum diem in Epiſcopatu

patu ſuo ultra 10000. hominum fame perierint; porro *Warſoviæ* ultra 6500. pauperes in plateis urbis, & in fimetis extra urbem, præſidia adverſus vim frigoris quærere, ex quibus ultra 1000. interierint; Magiſtratum vero vivos, quanta fieri liceat copia, alere ac fovere. Quid? quod jam hoc menſe Medicus quidam *Bojanova* ſequentia ſcribebat: Pauperes hoc loco frequentes moriuntur, quia juscula furfurea vulgo ipſis pro cibo, & placentæ ex Lini ſemine panis loco ſunt, & cum ante aliquot menſes plures quam 300. pannifices hic fuerint, nunc circiter 200. tantum ſuperſunt. In pago quodam Poloniæ, *Foluſch*, tertium lapidem a *Wartenberga* ſito, morticinas carnes omnium porcorum, equorum, boumque comederunt, immo pilos ex coriis arefactis ambuſtione detractos, cineribus ſalis loco adſperſis, ad ignem coxerunt & ederunt. Cum vero in *Sileſia*, præcipue in noſtra Metropoli, fames non adeo gravis eſſet, quia Magnificus ſenatus granaria aperiebat, ac nonnulli mercatorum incredibilem frumenti copiam, cum primum glacie Odera eſſet ſoluta, ex *Hungaria* & *Moravia* ad hunc usque fluvium curribus, item ex *Marchia Brandenburgica*, *Pomerania*, *Ducatuque Mecklenburgico*, immo tandem ex ipſa *Gallia* navibus advehi curarent, ideo in urbe major, quam ullo alias tempore vis frumenti ſuppetebat, ita ut ejus libera exportatio in Ducatum Olsnenſem, in liberas Dynaſtias Poloniæ confines, & in alia loca, egeſtate laborantia, publice permitteretur; unde initio per unam portam, una hebdomade, ultra 6000. modiorum exportata ſunt; & ſic in *Sileſia* homines non tam fame quam prædictis febribus epidemicis interibant. Propterea a memorato illo ſanitatis Collegio, brevem, ſolidam tamen inſtructionem, qua ratione adverſus febres illas epidemicas tunc temporis ſævientes valetudo præmuniri, atque etiam, ſi quis tali morbo correptus ſit, certis remediis curari ſanarique poſſit, in gratiam Sile-

ſiæ incolarum, in primis vero pauperum plebeiorum & ruricolarum, conſcribere jubebat; quæ commentatio etiam aliquot millenis exemplis a typographo deſcripta & deinceps diſtributa fuit. Equidem ego in Therapia rationes omnes ſic inſtitueram, ut egenus quisque medicamenta ſingula, & præſervantia, & curantia, paucorum groſſorum pretio ſibi comparare poſſet; non nemini tamen Collegarum meorum medicamina multo plura & ſumtuoſiora ex pharmacopoliis petenda adjungere placuit, quæ 4. florenorum ſummam efficiebant.

Hoc tempore quidam imperiti Medici ſub initium illius morbi perhibebant; creſcente æſtatis calore, ex hiſce febribus epidemicis ipſam peſtilentiam eſſe exorituram; inde ego commotus ſum, ut *Hiſtoriam de horribili Peſte humana* publici juris facerem, eamque etiam meis *Rarioribus Naturæ & Artis*, adjicerem, in qua originem Peſtilentiæ non ex febribus epidemicis, ſed ex transportatione ex locis peſte infectis, deduxi. Speciatim vero ſimilem fere febrem epidemicam exhibui, quæ tempore ultimæ Coronationis Poloniæ copias *Regis Poloniæ* & Electoris Saxoniæ a belli Duce *Diemaro* ductas, adflixit: Hi nempe milites per totam hiemem ad *Cracoviam*, in regione paluſtri, caſtra habuerant; ineunte autem vere, vehementi febre epidemica correpti fuerant, ita ut Dux eorum, ne opprimerentur a *Polonis*, in *Sileſiam* ſe recipere cogeretur, ubi ex 6000. hominum, haud multo plures quam 2000. ſuperſtites fuerunt; ſiquidem etiam proinde permulti incolæ oppidorum, in quibus collocati erant, eodem morbo infecti & morte abrepti ſunt; interim tamen malum hoc non admodum Peſtilentiæ, ſub progreſſu æſtatis adauctum fuit, ſed ſua ſponte ſub initium ejusdem penitus ceſſavit.

Præte-

Præterea idem laudatiſſimum ſanitatis collegium poſtulabat, ut corpora hominum ejusmodi morbis mortuorum, ſecarentur, ſicque forſan hoc adminiculo facilior & planior ad ſalubrem curationem via pararetur. Cum igitur apud ſartorem veneno enecatum (de quo ſupra egi) quidam opificii illius miniſter, poſt duas hebdomades mortuus eſſet, hic autem de frigida aqua, per maleficam iſtam veneficii ream ex puteo hauſta, bibiſſet; ideo inſtituenda erat ſectio, ut cognoſceretur, an & ejusmodi venenum ad mortem hujus momentum aliquod contuliſſet: Aſt nihil tale reperiebatur, niſi quod externe ventriculus leviſſime inflammatus eſſet; inteſtina vero & ſtomachus vermibus ſcatebant, viſcera reliqua plane erant illæſa, præterquam quod vaſa pulmonum valde intumuerant, & in cavitate pectoris multum aquæ extravaſatæ, coloris ſublutei, deprehenderetur. Cum ergo Illuſtr. HOFFMANNVS *in Medicina Conſultatoria, Dec. V. Caſ. VI. pag. 251.* ſcribat: *Quis quæſo Medicus peritus ignorat, etiam inflammationes ventriculi & inteſtinorum poſtremo in aliis morbis, & in acutis, multo magis in malignis febribus, ſupervenire;* & extravaſatum ſerum ex pectore, in hydrope pectoris, utpote in chronico morbo, difficulter educi queat; hinc in febre catarrhali, ubi inſignis plerumque evenit congeſtio humorum verſus pectus, ſubſequente non raro extravaſatione, utique tanto difficilius, præſertim ob acutam illarum periodum, tolli poterit portio illa extravaſata, utpote quæ non raro pro cauſa, ſed potius pro effectu habenda eſt.

OBSERVATIO CIV.

Dn. D. JOAN. CHRISTIANI KVNDMANNI.

De

XXI. Nucibus juglandibus, ſub botri forma, ex uno petiolo enatis.

Ceraſorum genus dari notum eſt, quod ex uno petiolo interdum 4. 5. ad ſex ceraſa protrudit, quæ dicuntur *ceraſa botryformia*, ut illa deſcripſerunt & delineaverunt *Ephemerid. Nat. Curioſ. Dec. III. Ann. V. & VI. Obſerv. 100. fig. 46. pag. 199.* it. *Mich. Bernh. VALENTINI in Muſeo Muſeor. Part. II. Tab. XIV. fig. VIII.* ubi ſimul *Fragum botryforme* deſcriptum, & in figura ænea repræſentatum eſt; non minus quoque in pomis deprehenduntur ſæpe minora ex majoribus pronata quæ *Poma prolifera* adpellantur. His adjungimus *nuces juglandes botryformes*, ſeu XXI. nuces juglandes concretas in uno petiolo, quæ hic loci ante portam Viadrinam, prope cauponam, cujus inſigne eſt lupus coloris cinerei, in nuce arbore natæ fuerunt, ſpeciem botri baccis majoribus ornati referentes, a quibus adhuc aliæ XXIV. in uno petiolo natæ proxime adfuerunt, quæ tamen furto fuerunt ablatæ; priores vero in curiam delatæ & Magnifico Senatui oblatæ, atque dein mihi donatæ ſunt. Hinc cum jam pridem XII. talibus nucibus unico itidem petiolo inhærentibus, ſpiritum vini ſuperfudiſſem, nucesque hæ una cum ſpiritu, inde nigrorem ex toto contraxerint, ideo has in Venetam pellucidam Terebinthinam depoſui, in qua nativum colorem adhuc retinuerunt.

Quid huic luxuriæ occaſionem dederit, facile hariolari licet, cum pluribus in locis more quodam conſueto 6. 7. 8. & plures ex uno petiolo prodierint; & in iis ſpeciatim arbori-

boribus, quæ ante hos duos annos frigore læſæ fuerant, quo tempore & novelli rami ſunt emortui, adeo ut iſto anno Sileſia nullas fere nuces habuerit, aut nux unica duobus crucigeris venierit, præſertim cum in toto pomœrio urbis noſtræ Suidnicenſi, ubi magna nucum arborum copia, eaque obtecta mœnibus adſtat, per omnes illas arbores ultra tres nuces haud repertæ fuerint. Cum itaque hoc ipſo anno novella germina admodum valida provenirent, hinc anno mox ſequenti, ex hoc ligno ſuccoſo, luxuriantes hæ nuces prodierunt.

OBSERVATIO CV.

Dn. D. JOANN. CHRISTIANI KUNDMANNI.

De

XLVI. Rotundis pilis in ventriculo capri repertis.

In *rarioribus naturæ & artis*, item *in re medica obvenientibus Sect. II. Art. IX. pag. 473.* de pilis damarum, quales in adparatu meo rerum naturalium ipſe adſervo, plura monui, ſimulque demonſtravi, quasdam Damas, in aridis montium Tyrolenſium jugis & ipſis Alpibus degentes, inprimis æſtatibus valde ſiccis, cum ſemi aridas herbas & gramina una cum radicibus evellunt ac devorant, interim corpora ſua frequenter lambunt, eoque ipſo haud exiguam pilorum copiam ſimul deglutiunt, inprimo vel ſecundo ventriculo globos teretes, item rotundos, pellicula coriacea, fuſci coloris, vel lenta pituita circumdatos, interius ex multis fibrillis radicum & herbarum, atque etiam ex pilis conſtantes atque coaleſcentes, gerere, qui *Pilæ Damarum*, ſeu *Ægagropilæ* adpellantur, quas in peculiari Tractatu deſcripſit *Georg. Hieronym. WELCHIUS.* it. *Joh. Jacob HARDERUS,* in

in peculiari Diſſertatione inſerta *Ephemeridibus Nat. Curioſor. Dec. II. Ann. I.* quibus addendus eſt *Caſpar BAVHINVS*, de *Lapid. Bezoard. Oriental. & Occidental. Cap. XIII. pag. 67.* ſpeciatim *Joh. Jacob SCHEVCHZERVS, in Natural. Hiſtor. Part. I. pag. 165.* De pilis vero Damarum in montibus Carpathicis commorantium, utpote quæ ab aliis plane differunt, vid. *Annales noſtros phyſico-medicos Wratislavienſ. Tentam. V. Ao. 1718. menſ. Auguſt. Claſs. IV. Artic. XII. pag. 1526. ſqq.*

Porro adduxi ita dictos *Tophos Juvenci*, ſeu pilas ex boum & vitulorum ventriculis extractas, diverſa magnitudine; non nullas etiam caput infantis alicujus exæquantes, quæ pari ratione, ex pilis lambendo abſorptis, emergunt, prout eandem opinionem tenuerunt KIRCHERVS *de Arte Magnetica Lib. III. Part. III. cap. II.* *Olaus WORMIVS, Muſei Libr. I. Sect. II. Cap. VIII. pag. 60.* atque inprimis accuratiſſime hanc generationem a ſe obſervatam eſſe perhibet WIERVS *de Præſtigiis Dæmonum Lib. IV. Cap. XVI. pag. 446.* quorſum etiam conferri merentur *Ephemerid. Nat. Curioſor. Dec. I. Ann. II. Obſ. 110. pag. 181.* Sicuti interior eorum ſtructura delineata proſtat a *Ferrando IMPERATO Hiſt. Natur. Libr. XXIII. pag. m. 928.*

Cum igitur Ann. 1727. hic loci lanio quidam menſe Aprili caprum mactaverit, qui XLVI. rotundas pilas, magnitudine nucum juglandium, in ſecundo ventriculo habuit, hinc autumo, illas nullo modo ex pilis lambendo abſorptis extitiſſe, ſiquidem cum unam ex illis, ſubtili mollique cruſta inveſtitam, diſſecuiſſem, nihil minus quam pili ipſis inerant, ſed tota pilæ ſubſtantia tactum molliſſime adficiebat, (wie Caſtor-Filtz,) eratque coloris obſcure viridis, & cum eandem incenderem, odorem reddebat, virgulis ſcoparum accenſis ſimilem & quidquid remanebat, fuligo erat haud palpabilis. Unde autem hæ pilæ ſint exortæ, præſertim cum caper omnibus in viſceribus ſanus pinguis-

que

que fuerit, de eo judicium meum usque ad ulteriorem inquiſitionem ſuſpendendum duco.

(*Wratislavia Erfordiam miſſa d. 30. Martii 1738.*)

OBSERVATIO CVI.

Dn. Lic. CHRISTIANI FRIDERICI JOERDENS.

Polypus Cordis.

Illuſtriſſimus quidam Comes, 51. annorum, ante 20. annos pro avertenda febre acuta a Medico adſumit vomitorium, quod ad hypercatharſin & lipothymiam usque ægrum excruciavit. Ab eo tempore, dum antea, per omnia ſanus vixerat, preſſione ſingulari pectoris adflictus fuit, quæ cum annis increvit, ipſumque nulli lateri, ſed tantum dorſo incumbere permiſit, quandoque etiam nocturno tempore ægrum, ut e lecto ſe proriperet & obambularet, coëgit. Hoc malum præcipue tempore hæmorrhoidum fluentium, quæ nimiæ plerumque erant, urgebat. Quandoque acceſſerunt vomitus materiæ ſebaceæ & viſcidæ. Imminui quidem obſervabatur hic adfectus uſu reſolventium pectoralium & carminativorum, conjunctis præcipue riteque adhibitis acidulis Egranis, ita, ut per dimidium anni tolerabili in ſtatu vixerit. Hinc denuo prædicta mala, hæmorrhoidibus iterum in exceſſu fluentibus, incrementum ceperunt. Acceſſit febris lenta: Color faciei vividus in pallidum mutabatur & adpetitus ciborum notabiliter imminuebatur. Tandem his ſupervenit tumor pedum œdematoſus, ad genua usque protenſus. Novum equidem ab adſumtis medicamentis levamen iterum adparebat, ſiquidem etiam ad-

petitus ciborum redire videbatur tumorque pedum œdematoſus ceſſabat. Aſt brevi poſt pleuritis ſpuria ſuperveniebat, & licet hæc medicamentis congruis facile itidem cederet & obtemperaret, tamen debilitas virium ab eo tempore conſtans permanſit, & omnia ſuperius recenſita ſymptomata, preſſio nempe pectoris, anxietas, ſomnus interruptus, febris lenta, adpetitus debilis, & tandem proſtratus cum eructatione fere continua, vomitus viſcidorum & ſebaceorum, & quandoque hæmorrhoides parum fluentes, redierunt, quibus acceſſit defluxio humorum ſeroſorum a capite, & expectoratio viſcidorum copioſa, conjuncta quandoque lipothymia. In hoc ſtatu conſtitutus æger aliquando veſperi, prævia alvi exoneratione, in lectum ſe iterum conferens, vix reſupinato corpore ibidem inopinato expiravit.

In ſectione dein mihi demandata ſequentia notavi: 1) habitus corporis admodum obeſus deprehendebatur, & pinguedo abdominis latitudinem duorum digitorum transverſorum ſuperabat. 2) Omnia viſcera infimi ventris ſana adparebant, & copioſiſſima pinguedine inveſtita erant; ventriculus vero veſicam tenuem expanſam referebat, ut chartaceum dicere potueris: Nullæ in eo plicæ, nullæ fere glandulæ conſpiciebantur. 3) Pulmones collapſi ſanguine atro infarcti ac ſi ſyringæ ope vaſa ad crepaturam usque vi repleta fuiſſent. 4) Cor magnum, cujus ventriculus ſiniſter duos continebat polypos, auriculam venamque pulmonalem occupantes, ſanguine atro coagulato inveſtitos; dexter ventriculus vero octo polypos majores minoresque, qui omnes ſanguine congrumato atro obvoluti erant, inclulos tenebat. Maximus horum, quoad corpus florenum imperialem latitudine æquabat, qui ramum longum in venam cavam inferiorem extendebat. Omnes hi polypi liberi nullique parti cordis adligati erant. 5) Parum admodum ſanguinis

guinis fluidi in vaſis ſanguiferis conſpiciebatur, ipſique ventriculi cordis nil prorſus fluidi continebant.

Scholion.

Obſervationem hanc pro illuſtranda materia de Polypis cordis, quam in *Volum. IV.* horum Actorum ex obſcuritate eruere magis conatus ſum, potiſſimum adducere placuit. Probabit hæc difficultatem, ibidem indicatam, adfectum hunc cognoſcendi, utpote qui variis ſymptomatibus ſtipatus delituit. Conjectura quidem ſæpius oborta fuit de polypo cordis forſitan ſub his ſymptomatibus latitante; ſed cum ſuffocatio quandoque imminens & preſſio in pectore, quæ jam per 20. annos duraverant, polypum maxime adultum indicarent, facile omnino judicari poterat, omnem curam illius fruſtraneam fore. Satis negotii fuit, aliis ſuccurrere malis, & moleſtias inde ortas imminuere, flatulentiæ nimirum, vomitibus, inadpetentiæ, obſtructioni alvi, hæmorrhoidibus nimiis, pleuritidi ſpuriæ, febri lentæ opitulari; aſt brevi mitiora reddita ſymptomata plurima recurrebant majori cum vehementia, & malo primario incurabili jungebantur, lympha laudabilis ab interno febris lentæ æſtu conſumebatur magis magisque, unde ſanguis ſpiſſior redditus polypos non amplius in fluctuatione ſervare potuit, utpote qui vaſis majoribus intruſi ſanguini progreſſum præcluſerunt. Confirmatur inſimul quoque id, quod ibidem §. VIII. adduxi, quod nempe ſubjectum polypoſum per multos annos vitam protrahere poſſit, ſiquidem & in hoc caſu ſigna, quæ ſuſpicionem de polypi præſentia moverunt, tam multis annis ante mortem adparuerunt. Ceterum denique notamus ea, quæ cum aliis polypoſis communia habuit noſter, œdema pedum, obeſitatem magnam, febrem ſanguinis humidum depaſcentem, vaſa pulmonum ſanguifera infarcta, polypos liberos, nullique parti cordis

adligatos, cruoris in corde paucitatem, ventriculum tenuem, &c.

OBSERVATIO CVII.

Dn. Lic. CHRISTIAN. FRIDER. JOERDENS.

Hæmorrhoidum fluxus per ductum urinarium tandem polypſus.

Vir quidam 48. annorum, cholericus, in juventute maximis diætæ erroribus adſuetus, multos per annos podagricus & calculoſus fuit, & quandoque motibus hæmorrhoidalibus tentatus eſt, qui nunquam fluxu, ſed tantum tumoribus in ano indolentibus ſe manifeſtarunt. Ante 6. annos incendium maximum ortum extinguere, ſupellectilemque ab interitu liberare communi opera adniſus eſt, unde præter omnem expectationem ſanguinem in copia eminxit. Rediit quandoque hic mictus cruentus, præcipue hæmorrhoidum cœcarum veſtigiis prægreſſis; cumque hæc ſanguinea excretio una alterave vice doloribus nephriticis jungeretur & calculi minores ſimul excernerentur, Medici quidam mictum hunc læſioni a calculo factæ adſcribebant; alii vero internam quandam venam, a niſu forſan fortiori & ponderis maioris ſublatione in renibus ruptam eſſe, judicabant. Augeſcente morbo, ſæpius nempe ac ſæpiſſime recurrente hac ſanguinis excretione, a leviſſima maſſæ ſanguineæ ebullitione, vel à podagrico, vel nephritico malo, vel iracundia excitata, & labefactatis hinc viribus, meum conſilium quaſivit æger. Conſideratis igitur omnibus circumſtantiis, ortum mictus cruenti ab anomalia fluxus hœmorrhoidalis derivandum eſſe judicans, ſuaſi, ut circa æquinoctia non ſolum, ſed etiam alio tempore V. S. inſtituatur, cum primis autem tumore in ano prodeun-

deunte, hirudines adplicentur, quo nempe fluxus ſanguinis viam peregrinam atque incongruam relinquat, & excretioni in ano adſueſcat, non neglectis, quæ ſanguinis ebullitionem ſiſtere, ejusque craſin corrigere, ac reliquis ſymptomatibus occurrere poterant. Verum, licet his omnibus in uſum vocatis, natura eo duci non potuerit, ut, conſueta anomala via relicta, ordinariæ magis adſueta fuerit; id tamen auxilii præſtitum ex, ut per duos annos mictus cruentus, quoties rediit, moderatus admodum fuerit. Pertæſus tandem æger adfectus tam moleſti, conſilio Medici extranei uſus eſt, qui balneis e vegetabilibus paratis rem adgreſſus eſt, quibus, cum aliis remediis, per multas ſeptimanas adhibitis, mictus cruentus tandem adeo auctus & nimus evaſit, ut difficile admodum fuerit, eum moderari, aut cohibere. Difficultatem omnem curæ præſentem auxerunt ſanguinis extravaſati depoſita coagula in veſica, quæ ejus orificio incumbentia, vel urethram ingreſſa, ſanguinis & urinæ excretionem impediebant, ita ut quandoque obſtructio hæc ultra 24. aut 48. horas duraverit, ſummis ſemper doloribus ſtipata. Non raro coagula e puro ſanguine producta & urethræ impacta ſtilo quodam obtuſiori comminuta fruſtulatim ad excretionem promovere coactus fuit ipſe æger. Interim talia coagula ſanguinea rarius obſervabantur, pituitoſa vero frequentiſſima & fere innumera excernebantur; aquæ ſimplici immiſſa, ſtatim fibroſam texturam oſtendebant, inſtar polyporum, illis per omnia ſimilia, quæ in corde & vaſis ſanguiferis majoribus hactenus conſpicere occaſio præbuit. Hujus generis coagula non niſi cum urina majori in copia intra veſicam collecta, impetuoſius protrudi & excerni poterant. Multis, vel incaſſum, vel fallaci cum effectu adhibitis, Equiſetum tandem maximam attulit opem, quippe quod mictum cruentum non ſolum imminuere & ſiſtere ad tempus valebat, ſed etiam effecit, ut

polypoſa excretio nulla amplius per longum tempus ſubſequuta fuerit. Tandem vero a nimia illa ſanguinis profuſione factum eſt, ut corpus iu ſuperiore parte hecticum, evaſerit, quod tumores pedum œdematoſi, macies totius reliqui corporis & ſudor nimius indicabant, quæ ſymptomata cum febre lenta tam diu ægrum adflixerunt, donec, viribus ſucceſſive exhauſtis, mors placida miſeriarum omnium faceret finem.

Scholion.

Mictus cruentus morbus eſt quidem ſatis terrificus, attamen reſpectu ad cetera habito, non ſemper cum periculo conjunctus. Novi enim hoc adfectu tentatos eſſe quosdam innoxie, qui motu nimio ſub æſtu ſolis ſuſcepto, ſanguinis ebullitionem excitarunt, per totam reliquam vitam valetudine inoffenſa dein gaudentes. Obſervavi etiam mictum hunc cruentum, ab anomalia fluxus hæmorrhoidalis provenientem, quamquam interdum nimium, attamen innoxium, ita, ut nihilominus in ſeram usque ſenectam protraxerint vitam ejusmodi ſubjecta, immo & adhuc quidam mihi noti ſunt, ceterum ſani, qui multos jam per annos mictum hunc cruentum ſuſtinuerunt & in vegeta ætate etiamnum conſtituti ſunt; ubi vero mictus cruentus conjunctus eſt cum aliis morbis, humores exagitantibus, maſſamque ſanguineam in motum nimium rapientibus, tunc omnino pro periculoſo reputandus erit adfectu; quia fluxus ab illis augeri & corpus ſucceſſive nectare hoc vitali deſtitui poteſt, ut tandem mors ſequatur, uti in hoc recenſito caſu eveniſſe videmus. Non nego tamen, mictum cruentum nimium per ſe lethalem fieri poſſe, quæ lethalitas etiam ab obſtructione plenaria, a ſanguine coagulato in urethra facta, contingere poteſt, ubi a ſeri excrementitii retentione, reſta-

gna-

gnatione, & tandem inducta corruptione reliquorum humorum vitalium, mortem ſequi neceſſe eſt.

Notum eſt, quosdam morbos plurimos ab hæmorrhoidum negotio, minus rite ſuccedente, derivare, & in illis ante omnia promotionem & diſpoſitionem illarum ad fluxum legitimum, urgere. Aſt quantum negotii hic ſit, mecum alii cordati Practici fatebuntur: licet enim ſpecifica omnia in- & externe rite adhibeantur, attamen apud pauciſſimos rem ſuccedere notum eſt, adeo, ut in plurimis ſanitatem reliquam prius tali curatione evertas, quam fluxum hæmorrhoidum quæſitum obtineas. Et quamvis etiam motus hæmorrhoidales ſignis manifeſtis & præcipue tumoribus ani ſe forſitan oſtendant, tamen ſæpiſſime etiam tunc per aliam viam, uti e. g. in hæmoptyſi, &c, fit, ſanguis dein prodire ſolet, adeoque ſic res ardua, immo fere impoſſibilis eſt, naturam ad debitam reducere viam. Facilius enim exitum ſanguis abundans aut ebulliens invenit in parte debili, quam viam aperit novam, qualem antea natura ſemper fruſtraneo conatu molita eſt.

Quæ interim hic fuerit indicatio, ratione balneorum ex vegetabilibus paratorum, & in uſum vocatorum, immo tamdiu continuatorum, perſpicere haud poſſum. Mictum cruentum balneis ejusmodi cohibere velle, nihil aliud eſt, quam hunc fluxum augere, quod etiam experientia hic docuit, malo nempe inde adeo depravato, ut nullum fere remedium compeſcendo ſanguinis profluvio ſuffecerit. Satius eſſet, ſi quandoque ægri malum levius tolerarent, quam ſi impatientes totum malum quibusvis remediis pertinaciter & impetuoſe profligare conarentur, quod infelici eventu plerumque tentatur ab illis, qui complicatis morbis laborant. Et hic valet cautela, ne, dum uni mederi conamur malo, alterum augeamus. Calculoſum & podagricum hunc ægrum fuiſſe, ſuperius indicavi. Calculoſis quidem ſuo

tem-

tempore balnea convenire, dolores nephriticos lenire & calculos ad exitum promovere notiſſimum eſt; ſed quantum auxilii hic expectatur in calculo, tantum noxæ oritur in mictu cruento, qui, dum præcipue balneum per tot ſeptimanas continuatum fuit, augmentum tam maximum acquiſivit. Non aliter igitur fieri potuit, quin purpura ſanguinis fere exhauſta, id, quod reliquum fuit, mucidum magis magisque evaſerit, ita, ut in veſicam urinariam profuſus urinæque mixtus ſanguis facile pituitoſam partem depoſuerit.

OBSERVATIO CVIII.

D. Lic. CHRISTIANI FRIDER. JOERDENS.

Singultus XI. dierum, lacte muliebri curatus.

Anno præterito Vir quidam primarius febre intermittente ſatis exquiſita corripiebantur. Aderant ab initio vomitus bilioſi, æſtus maximus cum deliriis & anxietate, quæ metum febris continuæ malignæ incutiebant, ſed, lenibus temperantibus & bezoardicis adhibitis, brevi typus febris tertianæ ordinariæ ſimplicis adparebat. Quatuor ſuperatis paroxysmis, ſalis catarct. Anglic. drachmas ſex adſumſit æger & alvo hinc pluribus ſedibus ſubducta, febrilis paroxysmus primo mitior evaſit, dein tertianam duplicatam ſimulavit, & tandem plenarie ceſſavit. Cumque ſic æger, aliquot dies ſatis bene transegiſſet, nilque mali amplius metueret, pravo adpetitu ductus bonam quantitatem myrtillorum rubrorum recentium comedit. Biduo vix elapſo, aut ipſius morbi decimo quarto die deglutitionem aliquatenus doloroſam ſentit, quæ ſubſequentibus diebus tribus augebatur, adfluxu copioſo muci viſcidioris ad fau-

ces

ces facto, qui ſyringæ ope & gargariſmatibus magna in copia evacuabatur; ſingultus hinc accedebat, atque remittente dolore in faucibus & collo adeo augebatur, ut per dies noctesque continuaret, & licet per breve temporis ſpatium ſiſteretur, vel oleo Cajeput cum ſaccharo ad paucas guttas adſumto, vel gargariſmate per ſyringam adplicato, vel calido potu tenuiori decocti herb. Thee, fabarum Coffee, avenæ excort. vel retento ſpiritu, mox tamen redibat, dolorque perquam moleſtus in hypochondrii dextra parte præcipue in regione hepatis, obſervabatur. Per quatuor dies jam ſingultus hic indeſinenter continuaverat, cum ultima metuens æger, ex me quæreret: An ſcirem, ſingultum per 4. dies durantem unquam curatum eſſe? Adfirmabam hoc ipſi, & pro roboranda mea experientia caſus duos in Actorum *Volum IV.* contentos indicabam, nempe *pag. 117. & 488.* cumque legiſſet ultimum caſum æger, ſingultum nempe deſperatum in viro 76. annorum per lac muliebre ſuctum tandem ſublatum, ſtatim experimentum fecit in uxore lactante, & ſingultu hinc ſuppreſſo, nutricem arceſſere juſſit, quam malo redeunte adhibuit, & ſic qualibet vice ſedavit, unde & ſucceſſive mitius ſymtoma illud redditum fuit; mucoſitate vero rurſus copioſiori verſus fauces adfluente, & deglutitionem magis doloroſam reddente, ſugere amplius non potuit, quare lac emulctum tepidum ſimili cum effectu hauſit, & dum ea copia lac, quo nutriri ſatis potuerit æger, non proſtabat, jusculum avenaceum tenuius, ut & decocta Theæ aut Coffee, ſimul adſumebat. Interim pro avertendis gravioribus quibusvis alias metuendis ſymptomatibus, interne emulſio camphorata, aliis ſubjunctis convenientibus, externe vero Spir. vini camphor. matrical. menthæ, cum Tinct. Opii, Emplaſtrum ſtomachale, itemque veſicatoria in extremis adhibebantur, quorum tandem ope ſingultus ſucceſſive imminuebatur, ac poſtquam per XI.

dies duraverat, penitus cum omni ſenſatione doloroſa in hypochondrio dextro ceſſabat, deglutitione libera reddita, & interioribus colli ſanatis, multis vero antea partibus membranoſis per os & alvum excretis. Reliquum tonicis & ſtomachicis peragebatur.

Scholion.

Obſervabantur hic loci quotannis, præcipue vernali & æſtivo tempore, febres, quæ inſtar febrium ardentium vehementiſſimarum, ægros adoriuntur, æſtumque, anxietates ac deliria inferunt, & ſic per aliquot dies, absque vera intermiſſione, continuant. Si temperantibus, lenibusque diaphoreticis tractantur, typus intermittentis brevi ſe oſtendit, facileque ejusmodi febres probatis remediis dein obtemperant.

Singultus eſt ſymptoma in febribus, præcipue acutis, terrorem haud levem incutiens, quia plerumque tempore incrementi febrium accedere ſolet, atque non raro ſignum inflammationum internarum præbet. Certe nullum novi ægrum, qui his ſub circumſtantiis conſervari & ſuperſtes manere potuerit. Longe aliter ſe res habet, quando ſingultus in decremento febris evenit: tunc enim vel ab æſtu graviori interno, vel ab acrimonia, in glandulis ſtagnante, facile ſeparatur interna œſophagi, ventriculi, aut etiam inteſtinorum cuticula, unde dein irritantur fibrillæ & ſic ſingultum producunt. Certe in hoc caſu comeſtio larga myrtillorum rubrorum acrimoniam humorum auxit, illisque motum fermentativum induxit, qui primum glandulas colli & faucium, dein etiam œſophagi & ventriculi occuparunt, & tandem irritando, nimiumque ſtimulando moleſtum hunc adfectum excitarunt.

Indicare ergo hic facile poſſumus, ex qua cauſa lac conveniat & ſingultui medeatur: Particulis nempe ſuis pinguibus acres

acres involuit, tenuesque fibras mulcet, unde & alia ejusmodi lubricantia & mucilaginoſa conducunt. Econtrario omnia ſpirituoſa & irritantia malum augent; hinc ſpiritus vini poſt prandium paulo largius hauſtus, malum, ante aliquot ſeptimanas jam ſopitum, excitare rurſus valuit, qui etiam nunc adhibitus vomitum ciet, & luculenter teſtatur, tunicam ventriculi adhuc teneriorem facile irritare poſſe.

Camphoræ tandem uſus etiam hic proficuus deprehendebatur, utpote remedium egregium ſtaſes diſſolvens. Uti enim ſecundum obſervationes doctiſſimorum Practicorum inflammationibus internis feliciter illa opponitur: ita, dum hic in hepate dolor aliqualis aderat, metum inflammationis incutiens, huic reſiſtere remedio hoc divino optimum judicavimus.

(Curia Variſcorum Erfordiam miſſæ d. 13. April. 1738.)

OBSERVATIO CIX.

Dn. D. DANIELIS NEBELII

A laboribus durioribus Gibber & mors.

Juvenis ſeptemdecim annorum, natione Gallus & pauperculus, qui Marburgi 1701. colligendis & geſtandis divendendisque lignis pro foco inſtruendo victum miſere quærebat & vix inveniebat, duris hiſce laboribus ſæpius defatigatus dorſi dolorem ſentiebat, paulatim acreſcentem cum gibbere illius loci ſubnato, qui tandem juvenem in conſuetis laboribus impedivit, unde pane emendicato vivere coactus fuit, Acceſſit dein febris lenta, cum ſtupore omnium corporis partium ſub dorſi gibbere, reſpirandi difficultate & tuſſi ſicca, crurumque paralyſi. Miſere ſic per plures menſes decubuit, toto corpore extenuatus, adeo, ut

ſpina oſſis ilii, in utroque ventris infimi latere, cutem perforaverit & denudata prominuerit, donec mors placida vitæ finem impoſuit. Defuncti cadaver a me cultro anatomico ſubjectum & examinatum, in infimo ventre nihil vitioſi exhibuit, præter omenti magnam tenuitatem & ventriculi contracti exilitatem: Eo vero in loco, ubi gibber prominebat, ſuper ipſas dorſi vertebras aliquot profundos abſceſſus, cum tanta vertebrarum carie, deprehendi, ut totæ digitis in pulverem conteri facile potuerint.

OBSERVATIO CX.

Dn. D. DANIELIS NEBELII.

Metaſtaſis puſtulæ piſiformis e gena dextra ad pedem dextrum, gangrænam & ſphacelum inferens, itemque amputatio pedis ſphacelati ab ipſa ægra inſtituta.

Puella XIII. annorum in pago *Geuberg*, uno lapide ab *Heidelberga* diſtante, in monte caprino, paucis annis ante, quam Galli urbem fatali igne deſtruxerunt, ſentit in gena dextra puſtulam piſiformem efloreſcentem, eamque per aliquot tempus ſine magno incommodo tulit, poſtea vero ſubito, ſine manifeſta cauſa illa exaruit & decidit, ſed brevi poſt alia ſublivida, inter pedis dextri pollicem & vicinum digitum, comparuit, quæ tanta mox cepit incrementa, ut totam tibiam ad genu uſque primo gangræna, tandemque ſphacelus occupaverit; quare parens ægrotantis filiæ anxius auxilium apud chirurgum quendam Heidelbergenſem quæſivit, qui partem adfectam inſpexit, & ſe altero die pedem reſecturum promiſit, poſtridie vero pater rediit & filiam diris convulſionibus correptam morituram dixit, ſequente tamen die puella, ceſſantibus convulſionibus, melius

ha-

habuit, & poſtquam mater illius prope lectum pomum cultro culinario excorticavit, & abiens cultrum in lecto reliquit, ipſa, miro auſu, adſumto cultro, partem ſphacelatam ſupra genu & in ejus flexura paulatim ſeparavit, usque ad duos majores tendines ſub genu, quos tandem etiam, cum aliquali tamen dolore abſcidit matrique redeunti pedem liberum ridendo oſtendit. Parentes obſtupefacti filiam mox Heidelbergam detulerunt ad prædictum chirurgum, qui ægram in ſuum hortulum ſuburbanum transferri juſſit, &, me præſente, extremitatem oſſis femoris lividam vidit, ſtatimque ſerra feliciter reſecuit, ac tandem rite conſolidavit. Sic ergo optime convaluit ægra, poſteaque, grallis ſubaxillaribus innixa, eleemoſynam quæſivit.

Binas has obſervationes Illuſtris nunc beate defunctus Dn. Auctor biduo ante obitum ad calamum dictavit, ſequentes autem tres, poſthumæ, & ex ipſius ſchedis excerptæ ſunt.

OBSERVATIO CXI.

Dn. D. DANIELIS NEBELII.

Tumor monſtroſus cruris, lentam mortem inferens.

Faber lignarius, juvenis viginti & aliquot annorum, Anno 1703. menſe Junio, Francofurti ex nova domo, quam una cum aliis exſtruxerat, in dorſum delapſus, ingentem lumborum ſenſit dolorem, qui, impoſito emplaſtro oxycroceo, brevi ibidem diſcuſſus fuit, ſed paulo poſt in dextri cruris media parte interna rediit, ſuborto illic tumore rotundo & cuti concolore, primum ovi magnitudine, dein ſenſim ita accreſcente, ut totum crus ad genu usque occuparit, inceſſumque difficilem fecerit. Francofurto igitur Marburgum ad matrem viduam & pauperculam re-

diens æger, indies pejus habuit, ob dolorem & tumorem in crure accreſcentem atque conjunctam tabificam febrem. Varia quidem adhibita fuerunt medicamenta, tam interna, quam externa, inter quæ cataplasmata discutientia, ex herbis & floribus nervinis, primum lacti, & poſtea quoque vino incoctis, ferre non potuit, uti nec emplaſtra quævis. Tractu temporis extima cruris vaſa ſanguifera varicoſe diſtenta fuerunt, & ſequente autumno tumor œdematoſus tibiam quoque invaſit, dolore interiora totius pedis velut dilacerante & diu noctuque urgente: Acceſſit inflammatio cruris & genu tumidi ac contactum duriusculi, quæ, illito ſpiritu vini camphorato & crocato, ſpirituque matricali mixto, ut & cum linteis adplicata aqua calcis cum Spir. vini camphor. & ceruſſæ, tandem ſublata fuit, exſtillante hic illic per cruris cutem humore limpido & acri, cum inſigni pruritu. Glandulæ inguinales absque inflammatione tumentes tunc quoque moleſtiſſimum dolorem excitarunt. His ſymptomatibus valde debilitatus & tabifica febre plane conſumtus æger, accedente aphonia & frequenti ſyncope, mortuus eſt die VIII. Martii anno 1704. Poſt meridiem crus, cujus craſſities trium ſpithamarum menſuram ſuperabat, præſentibus non nullis philiatris, novacula inciſum, effudit ſerum cruentum & gelatinoſum, quod ſub cute in paniculi adipoſi cellulis hærebat, muſculi cruris valde graciles & extenuati erant, ac ſub iis conſpiciebatur, membrana alba, duriuſcula & fere cartilaginea, quam perioſtium eſſe credidi, huicque adhæſerunt plures ſcirrhi exigui, rotundi, albi, & ſub hac oſſis femoris lamellæ tenues, exiguæ, & oblongæ, ſubſtantiæ craſſæ, albicanti, ſpongioſæ & lardo ſimili inhærentes, cujus poros, ſeu cellulas, replebat, ſerum gelatinoſum, quod hic illic ſibi cuniculos fecerat, & in non nullis locis tenue pus referebat, ſine omni tamen fœtore. Hæc ſubſtantia oſſis femoris locum occupavit a genu ad in-

guen

guen fere usque, ſeparataque digitorum ope ab adhærentibus musculis, & ſupra patellam, infraque ſuperius, ſeu majus caput oſſis femoris abſciſſa, pendebat octo cum dimidia libras, relicta ejus ſubſtantiæ circiter libra una circa caput oſſis femoris, quod haud facile exſcindi poterat. Juxta longitudinem ſecta hæc maſſa ſpongioſa, exhibuit os femoris in minimas & quamplurimas lamellas diviſum, adhærentibus hinc inde tuberculis albis, fungoſis & duriuſculis. In medio hujus ſubſtantiæ nihil oſſis ſolidi, ſed ſaltem medullarium vaſorum ſyſtema ſemilacerum & exinanitum fuit repertum. Patella mole major & tota ſpongioſa, cultro per medium inſtar caſei findi poterat facillime & ultra libræ quadrantem pependit. Circumpoſitæ membranæ ſuis cellulis ſerum gelatinoſum continebant: Tibiæ quoque os totum erat poroſum, molle & tumidum, membranæque adipoſæ cellulæ, ſero gelatinoſo refertæ, lardum referebant. Quæritur, annon in hoc juvene diſcuſſi per emplaſtrum oxycroceum humores ſeroſi, qui per caſum ab alto extra ſua vaſa effuſi & dein ad femur delati fuerunt, ibidem perioſtium oſſis femoris tractu temporis emolliverint, adſiduoque dolore provocati & cum ſanguine majori copia adfluentes, ſubſtantiam hujus oſſis paulatim ita diſtenderint, ut hoc in exiguas, queis conſtat, lamellas diſſolutum atque diffractum fuerit, humores autem ſeroſi in medio ſtagnantes paulatim concreti ac in gelatinam converſi?

OBSER-

OBSERVATIO CXII.

Dn. D. DANIELIS NEBELII.

Anatome militis, febre continua demortui, exhibens lumbricos in ductibus felleis.

Anno 1715. d. 20. Febr. corpus militis, febre continua cum abdominis & præcipue dextri lateris, circa ſcrobiculum cordis, dolore vehementi atque fixo, cephalalgia ſitique continua, nec non alvi obſtructione defuncti, aperui, & habitum corporis emaciatum vidi, inteſtinaque tam tenuia, quam craſſa, ſpeciatim duodenum & ileon, nec non colon, hic illic inflammata ac interius atro cruore ſuffuſa, multisque lumbricis teretibus, maxime circa inflammationis loca, referta; craſſa flatibus & ſcybalis quoque repleta fuerunt. In hepate undique tubercula alba conſpiciebantur: Lien erat ſanguine valde diſtentus & paulo grandior: Pancreas ſcirrhoſum: tumentes ac duriusculæ meſenterii glandulæ, cultro diſſectæ, flaveſcentem paucam emiſerunt lympham, ac caſeoſa amurca transfluentis chyli diſtentæ fuerunt: ventriculus erat bonæ notæ, ut & ren uterque, ſed veſicula fellis multa bile extenſa, cumque cyſticum ductum, cum hepaticis in choledochum deſinentem, ac in duodenum hiantem, demonſtrare volui, tactu has vias duriuſculas offendi, & proinde eas cultro aperui, ac ex cyſtico æque ac vicino uno hepatico ductu lumbricum, & quidem ex utroque ductu unum, bile diſtentum, extraxi, in ipſa vero veſicula fellea præter bilem nil reperi, indicio, lumbricos per choledochum in hepaticum & cyſticum ductum ex duodeno adſcendiſſe. Pulmones erant grandinoſi, & in utroque latere liberi; cor exſuccum & contractum.

OBSER-

OBSERVATIO CXIII.

Dn. D. DANIELIS NEBELII.

Anatome militis, diſrupto ramo arteriæ vertebralis in baſi calvariæ, mortui.

Anno 1715. menſe Januario, miles præſidiarius, de capitis dolore immani aliquamdiu conqueſtus & unice quietem exoptans, ut ab illo incommodo liberari poſſet, dum in arcem Heidelbergæ adſcendit, cum aliis excubias facturus, ſubito corruit in terram & expiravit. Altero die a me cultro anatomico ſubjectum corpus in infimo ventre nullum interaneorum vitium exhibuit, uti nec in medio, ſeu in pectore: Cranio vero ablato mox ſeroſus ſanguis effluxit, & in baſi calvariæ ramus inſignis arteriæ vertebralis diſruptus fuit, circumfuſo multo ſanguine coagulato; Cerebrum flaccidum erat & vaſa ſanguifera exinanita, præcipue plexus choroidæi.

OBSERVATIO CXIV.

Dn. D. WILHELMI BERNHARDI NEBELII.

Aphonia poſt febrem catarrhalem malignam relicta, ejusque cura.

Juvenis quidam tabellarius, viduæ pauperculæ filius, ante 2. circiter annos incidit in febrem catarrhalem malignam, tunc temporis hic epidemice graſſantem, quam quidem feliciter ſuperavit, quamvis ob paupertatem, neque remedia, neque victum debitum habuerit; ſed circa finem morbi, ſine dubio a metaſtaſi materiæ morbificæ, ad nervos linguæ facta, ob criſin imperfectam, ſubito mutus factus

fuit, unde perterrita mater euporiſta varia quidem adplicuit, ſed omnia fruſtra. Tandem, poſtquam per 14. dies jam duravit aphonia, me in conſilium vocavit, quare, ad materiam febrilem a nervis linguæ revocandam, veſicatoria ſuris imponere juſsi, quod cum circa veſperam factum fuit, æger ſequenti mane plenarium & perfectum ſermonis uſum recuperavit, eumque una cum integra ſanitate hucusque retinuit.

OBSERVATIO CXV.

Dn. D. WILHELMI BERNH. NEBELII.

Corticis peruviani uſus in tollendis periculoſis reliquiis febrium intermittentium.

Ante aliquot jam annos operarius quidam pauper in hac urbe miſere decubuit, diuturno tuſsi quaſi phthiſica, febre lenta & hydrope fere confectus: Advocatus ego & in omnes circumſtantias ſollicite inquirens, intellexi, eum antea febre tertiana laboraſſe, eaque, neſcio quo, intempeſtivo artificio ſuppreſſa, paulatim in diuturnam illam tuſſim & tandem incipientem hydropem incidiſſe, quare corticem peruvianum cum Tart. vitriolato, Arcan. dupl. Sale Abſynth. Conſerv. Roſar. rubr. & ſyrup. Papav. rhead. in electuarium redactum præſcripſi, & ſingulis 4. horis ad quantitatem caſtaneæ ſumere juſsi, cujus aliquamdiu continuato uſu, benedicente Deo, plenarie convaluit. Eundem felicem effectum hujus electuarii deprehendi in cive quodam Mannheimenſi, qui ex tertiana male curata incidit in tumorem abdominis tympanitico-hydropicum, cum reſpiratione admodum difficili, adeo, ut ab omnibus pro deplorato fuerit habitus, uſu vero modo dicti remedii pariter integræ ſanitati reſtitutus fuit. Similiter vir quidam triginta & aliquot

quot annorum, litteris & vitæ ſedentariæ deditus, qui ex febre tertiana infarctum glandularum meſeraicarum, quem vocant einen Fieber-Kuchen, contraxit, eumque per aliquot annos geſtavit, eodem electuario percuratus fuit; immo pluries obſervavi, quod mala poſt uſum ipſius corticis peruviani in febribus intermittentibus relicta, ejusdem uſu reiterato & ſufficienter continuato, feliciter fuerint ſublata; aliis autem judicandum relinquo, an hinc concludere liceat, quod 1) cortex peruvianus materiam febrilem ſpecifice & tuto corrigat atque tollat? 2) quod per inſufficientem ejus uſum, evanescente febre ſtatim abruptum, materia febrilis quidem in tantum ſubigatur, ut febrem manifeſtam amplius inferre nequeat, non vero in totum? 3) quod propterea viscerum obſtructiones & inde nata mala non cortici, ſed reliquiis materiæ febrilis ſint adſcribenda? 4) Quod tandem vera encheireſis, corticem utiliter adhibendi, conſiſtat non tam in peculiari ejus præparatione, quam potius in ſalium ſupra dictorum, aut ſimilium additione & ejus, etiam poſt febrem ſublatam, ſufficienti continuatione?

OBSERVATIO CXVI.

Dn. D. WILHELMI BERNH. NEBELII.

Cortex radicis pruni ſylveſtris, german. Schlehen, in febribus intermittentibus tollendis, cortici peruviano ſuccedaneus.

Ante VI. circiter annos ad puerum XII. annorum, quartana decumbentem, vocatus, varia quidem alias uſu probata, & tandem ipſum corticem peruvianum præſcripſi, ſed cum febris cedere renueret, & jam ultra ſemeſtre duraviſſet, tandem accedens quædam empirica de-

 coctum

coctum corticis rad. Pruni ſylveſtris, cum aqua fontana parandum & pro potu ordinario bibendum, commendavit, quo adhibito, ſpatio paucorum dierum, febris emanſit & æger ad priſtinam ſanitatem rediit, qua adhuc hodie gaudet. Hoc experimento edoctus ego poſtea ſæpius iis, qui corticis peruviani uſum reformidabant, modo dictum corticem pruni ſylveſtris in decoctis, aut infuſis, vel vinis medicatis, cum vel ſine aliis competentibus, feliciter exhibui.

OBSERVATIO CXVII.

Dn. D. WILHELMI BERNH. NEBELII.

Febris tertiana per ſolam narrationem excitata.

Cum ante IX. circiter annos in Illuſtri Athenæo Herbornenſi Profeſſorem Medicinæ agerem, aliquando in Collegio privatiſſimo, uti vocant, hora 10. matutina, Auditori meo, tunc unico, ſed diligentiſſimo maximeque attento, modum expoſui, quo febrium intermittentium paroxyſmi mechanice fieri creduntur; quod ſcilicet materia peregrina febrilis cum ſanguine ad extrema & anguſtiſſima vaſcula delata, in his hærens, fibrillas nerveas irritet & conſtringat, vicinos nervos in conſenſum trahat, ſicque non ſolum ſenſum frigoris, ſed & vaſorum extremorum conſtrictionem inferat, qua ſanguis ab extremis partibus ad interiora majori copia pellitur, unde in his ſanguinis actio in vaſa horumque reactio augetur, motus ſanguinis intenditur, turbatur, & æſtus febrilis producitur, quo materia febrilis extricatur, reſolvitur, tandemque per ſudorem ejicitur, & quæ ſunt alia. Sed quid fit? dum hæc ita ediſſero, auditor meus attentiſſimus ſubito pallet & horret; ego,

ego, an quid morboſi ſentiat? quæro; reſpondet, ſe quidem antea bene habuiſſe, quam primum autem me docentem audiverit, omnia a me dicta eodem ordine in proprio corpore ſuccedere percepiſſe, atque nunc, præter frigus, virium debilitatem ſentire. Domum igitur redire & in lectum ſe recipere jubeo, paulo poſt ſequor, eumque manifeſte febricitare video; altera die bene habuit, ſed tertia die eadem hora & eodem modo febris rediit, talesque paroxysmos tres vel quatuor ſuſtinuit æger, dein vero aptis remediis adhibitis cum ſanitate in gratiam rediit.

OBSERVATIO CXVIII.

Dn. D. WILHELMI BERNHARDI NEBELII.

Surditas unius auris per XX. annos durans, tandem Mercurio dulci curata.

Vir quidam 40. circiter annorum, jam ante aliquot annos ex illicita Venere gonorrhœam contraxit, & ab eo tempore pallidus ac macilentus, doloribus rheumaticis frequentique tuſſi adeo vexatus fuit, ut etiam a multis pro phthiſico haberetur, quibus ſymptomatibus varia & multa remedia diu fruſtra oppoſuit; tandem me accedens ſe gonorrhœa laborare confeſſus eſt, & conſilium petiit. Ego totum morbum veneno venereo, ſanguini adfuſo, adſcribendum eſſe ratus, Mercurium dulcem cum extracto Rhabarbari in pilulas redactum, quotidie ad gr. IV. adſumere & ſimul debitam diætam ſervare juſſi, præterea decoctum lignorum pro potu ordinario præſcripſi. Poſtquam igitur per VIII. circiter dies hæc remedia adſumſit, ſalivatio cum ſolitis ſymptomatibus, mitioribus tamen, ſequuta eſt, quam continuato per aliquot adhuc dies Mercurii dulcis uſu, paululum augere, & patienter ferre, faucibus au-

tem aptis gargariſmatibus proſpicere juſſi; quo facto, gonorrhœa, tuſſis & dolores rheumatici plenarie ceſſarunt, facies florida cum perfecta ſanitate rediit, immo præterea ſurditas plenaria unius auris, quam æger jam XX. annos patienter tulit, & tamquam immedicabilem ne quidem Medico ſuo indicavit, ita ſublata fuit, ut nunc utraque aure leviorem etiam ſonum accuratiſſime audiat.

OBSERVATIO CXIX.

Dn. D. WILHELMI BERNHARDI NEBELII, Sudoris ſub utroque poplite ſuppreſſio, vertiginis & hydropis cauſa, ejusque cura.

VIr quidam LXX. circiter annorum, verbi divini Miniſter pius atque doctus, per totam fere vitam ſanus & robuſtus, ante aliquot annos incidit in vertiginem leviorem, cum nauſea & inadpetentia, quibus ſymptomatibus varia ſtomachica fruſtra oppoſuit; duravit malum per aliquot menſes, accedente tandem aſthmate ſpasmodico continuo, cum agrypnia & ſubſequente tumore pedum œdematoſo, qui paulatim adſcendens, ſcrotum & ipſum abdomen occupavit. Adhibita fuerunt varia remedia antasthmatica & anthydropica, quæ quidem etiam, expulſis multis humoribus per alvum & urinam, levamen aliquot attulerunt, ſed poſtquam ab iis iterum abſtinuit æger, paulo poſt rediit tumor hydropicus, cum reſpirandi difficultate. Tandem accedens ego in omnes circumſtantias diligenter inquiſivi, inter alia quærens, annon ante hunc morbum, peculiari cuidam excretioni, ex gr. per ſudorem pedum, fuerit adſuetus, qua forſitan nunc ſuppreſſa, morbus hic fuerit productus; aſt ſe tale quid unquam obſervaſſe primo quidem negavit æger, dein vero poſt aliquot dies mihi redeunti

ti retulit, ſe ante hunc morbum qualibet nocte ſub ipſis poplitibus, nec in ulla alia corporis parte, adeo largiter ſudaſſe, ut ad excipiendum ſudorem lintea convoluta, vel pulvillos poplitibus ſubſternere coactus fuerit, hunc vero adeo moleſtum ſudorem nunc plenarie ceſſare. His auditis ſtatim judicavi, hujus ſudoris emanſionem eſſe veram totius morbi cauſam, propterea ſuaſi, ut lateribus calefactis cochlearia aliquot lactis infunderet & vaporem adſurgentem poplitibus exciperet, & quidem iis undique tectis, ad vaporis expanſionem impediendam, idque quotidie ſemel vel repeti juſſi, donec antea conſuetus ſudor ſatis largiter rediret. Morem prompte geſſit æger, & poſtquam aliquot vicibus lactis vaporem calidum admiſit; ſudorem poplitum, primo quidem parcius, dein vero, repetito ſæpius balneo vaporoſo, largius emanare vidit, & ſimul omnia ſymptomata paulatim ceſſare ſenſit, evaneſcente ſcilicet tumore hydropico, reſpiratione liberiore reddita, redeuntibus adpetitu, ſomno atque viribus, adeo, ut, qui per integrum fere annum exire domo non potuit, poſtea domi meæ me lætus convenerit; hinc ipſum ſerio monui, ut ad hunc ſalutarem ſudorem diligenter attendat & emanentem balneis vaporoſis ſtatim revocet. Poſt aliquot tamen menſes, dum mane e lecto ſurgere voluit, apoplexia fortiſſima tactus corruit & animam Deo reddidit, antequam Medicus advocari potuerit. An ergo ſalutaris mei conſilii immemor ſudorem ceſſantem revocare neglexerit, vel an alia apoplexiæ cauſa fuerit, reſcire non potui.

OB-

OBSERVATIO CXX.

Dn. D. WILHELMI BERNHARDI NEBELII.

Specificum in Paidatrophia uſu probatum.

Matrona quædam in noſtra vicinia degens, jam a pluribus annis pulverem contra atrophiam ſpecificum diſtribuit, & quidem adeo felici cum ſucceſſu, ut in his regionibus emaciati ad hoc arcanum, quod empirica ſollicite occultat, tamquam ad ſacram anchoram confugere ſoleant; revera etiam ipſe, ante plures jam annos, manifeſtum ejus & felicem effectum in Paidatrophia, aliis non juvantibus, expertus ſum. Tandem ante 4. circiter annos ab Illuſtri quadam vidua, de filii unici & magnæ ſpei atrophia me conſulente, audivi, quod ipſi jam ante aliquot annos mortuus ſit filius eodem morbo, & quod ejus cognata & amica quædam, Viennæ degens atque mortem filioli audiens, ipſi quaſi indignabunda ſcripſerit, an foliorum hederæ arboreæ virtutem in hoc morbo neſciat, quod filiolum atrophia perire ſiverit? Quare conſilium petiit, annon præſenti filio, V. circiter annorum, idem remedium ſit exhibendum? Ego vero alia convenientia remedia præmittere, hujusque ſpecifici uſum aliquamdiu differre ſuaſi; interim ſpecificum ſupra dictæ empiricæ mihi adportari curavi, idque cum pulvere Hederæ arboræ contuli, & cum hoc quoad colorem, odorem, ſaporem exacte convenire deprehendi, quare tandem etiam pulverem fol. hederæ Illuſtri filiolo dedi, optato cum ſucceſſu, immo abhinc innumeris aliis infantibus, atrophia laborantibus, feliciter exhibui, in adultis autem operæ pretium raro fecit. Datur vero pulvis horum foliorum ad 2. vel 3. cuſpides cultri, pro ratio-

ratione ætatis, luna decreſcente, per IX. dies quotidie ſemel, tempore matutino, in iuſculo, vel infuſo folior. Theæ, aliove vehiculo conveniente, & ſi morbus non plenarie ceſſat, hujus pulveris uſus poſt ſequens plenilunium eodem modo repetitur: Obſervavi tamen etiam, quod hoc remedium creſcente luna datum non minorem effectum ediderit. Atque ſic novum proſtat argumentum pro benignitate divina erga egenos, qua vilia remedia pretioſis præſtantiora creavit, vel potius præſtantiſſima remedia fecit euporiſta.

(Heidelbergæ Erfordiam miſſæ
d. 20. April. 1738.)

OBSERVATIO CXXI.

Dn. D. JOAN. CHRISTOPH. POHLII.

Hydrope pectoris & pericardii defuncti ſectio anatomica.

Vir non infimæ ſortis, quinquageſimum ſecundum annum agens, ante ſex, & quod excurrit, annorum ſpatium, intumeſcentiam muſculorum circa os femoris, in ſuperiori parte dextri lateris, usque ad coſtas ſpurias ſeſe extendentem, animadvertebat. Huic malo occaſionem ſuppeditaverat: referente ægroto, nimia partium externarum extenſio, ex laboribus eius quotidianis inducta. Nihilo tamen ſecius adhuc ſine impedimento opificio ſuo operam navare poterat. Anno autem præſente die XXIII. Februarii pondera quædam in altum attollendo juſto vehementius ſeſe movebat; vnde ſenſim ſenſimque variæ quidem ipſi accidebant mutationes, quæ tamen omnes ita comparatæ erant, ut rebus ſuis expediendis ſatis bene ſupereſſe poſſet. Die vero VII. Martii huius anni, & quidem tempore veſpertino, ex improviſo maximis adficiebatur dolori-

bus capitis, quos deinde anxietas præcordiorum excipiebat, repente usque adeo increbeſcens, ut inſpiratio pariter ac exſpiratio ſumme difficilis redderetur. Maximum praeterea æſtum atque ebullitionem ſanguinis indicabat pulſus celer atque frequens. Quo facto ſequenti VIII. die Martii, horis matutinis, in brachio dextro inſtituebatur venæſectio, abſque tamen inſigni ac notabili quodam levamine; quin immo eodem die horis pomeridianis reſpiratio ita ſufflaminabatur ſingulisque momentis difficilior reddebatur, ut de vita ipſe æque ac adſtantes deſperarent. Concurrebant inſuper ſubinde motus convulſivi in artubus ſuperioribus, ſub quibus hora ſeptima veſpertina inopinata morte tandem extinguebatur. Cadavere proximo die cultro anatomico ſubjecto, remotisque integumentis, & ſterno ablato, in cavitate thoracis ultra ſex libræ extravaſati ſeri, colorem ſubflavum referentis, inveniebantur, quali etiam pericardium quoad maximam partem repletum valdeque diſtenſum erat. In ſubſtantia pulmonum nihil obſervabatur extraordinarii, præter id unicum, quod colorem ſublividum undique monſtrarent. In abdomine hepar aliqua ex parte induratum, glandulæque meſenterii duriores, quam quidem in ſtatu naturali, conſpiciebantur, inſuperque pariter quantitas quædam extravaſati ſeri ibi deprehendebatur. In rene ſiniſtro lapilli, inſtar piſi minoris, numero quinque occurrebant. In quibusdam locis inteſtinorum tenuium ſigna inflammationis ſe manifeſtabant, & in trunco deſcendente arteriæ magnæ polypus, ſeptem digitos transverſos longitudine referens, occurrebat, mediamque partem cavitatis hujus canalis replebat.

OBSER-

OBSERVATIO CXXII.

Dn. D. IOANN. CHRISTOPHORI POHLII.

De

Fatali Veſicæ urinariæ obſtructione.

Fœmina annum triceſimum ſeptimum agens, quinto ſtatim ætatis ſuæ motibus epilepticis, per aliquot annorum ſpatium dein continuantibus ita adfligebatur, ut tandem contracturæ in omnibus articulationibus, in reliquis autem corporis partibus atoniæ paralyticæ ſuccederent, vitamque ſuam adeo miſere tranſigeret, ut locum non aliter, niſi ab aliis hinc inde transportata, mutare poſſet, viribusque animi exhauſtis corpus inſtar ſtipitis ſeſe haberet. Priusquam debitum naturæ ſolveret, fatalis urinæ obſtructio per novem dierum ſpatium obſervabatur, donec tandem penitus exanimis morti occubuit. Cum vero eodem die, quo animam ſuam reddidit, qui erat XV. Octobr. præterlapſi anni, cultro anatomico ſubiiceretur, abdomen ultra modum in partibus externis intumeſcens conſpiciebatur, in cavitate vero interna pauca ſeri quantitas repeniebatur, vtpote quam de reliquo veſica urinaria replebat fere omnem, diaphragmate interim, nec non hepate, liene et inteſtinis ſitum ſuum magis in cavitate thoracis occupantibus. Sphincter denique veſicæ adeo arcte conſtrictus adparuit, ut nequidem acum per foramen conſuetum admitteret; liquidi vero ſecreti inque veſica contenti copia quinque libras exſuperabat, et propter nimiam extenſionem fibrarum omnis generis, veſicam componentium, egregium hæc præbebat ſpectaculum.

(Lipſia Erfordiam miſſæ d. 18. Maj. 1738.)

OBSERVATIO CXXIII.

Dn. D. PAULI HENRICI VOGELII, Nephritis Iſchuriæ conjuncta.

Profeſſor noſtræ Academiæ & Gymnaſii, quod hic floret, Senatorii, perquam celebris, quadrageſimum octavum volvens ætatis annum, temperamenti ſanguineo - melancholici, vix aliquem gravem aut acutum hactenus expertus morbum, ante biennium & quod excurrit, aliquot plus minus graves vertiginis inſultus perpeſſus, ab hoc malo venæſectionum & aliorum a Medico exhibitorum remediorum auxilio liberatus, immunis poſtea degit: hujus autem fluentis anni 1738. quarto decimo Februarii die, nullo, quantum ipſe equidem reminiſci poterat, admiſſo in ſex rerum non - naturalium uſu errore, cetera etiam nullas Morbonæ ſentiens plagas, inopinato dextri lateris lumbari dolore, atroci admodum, infeſtabatur, colon inteſtinum, immo etiam ventriculum ex conſenſu adeo adfligente, ut aliquot inde hujus pateretur ſubverſiones, cum ructibus intercurrentibus crebris, a quibus vero biduo elapſo plene ſe liberatum ſentiebat. Aſt nycthemeri vix effluxerat ſpatium, cum dolores prioribus nihil mitiores, antecedentem renovarent tragœdiam, ſudoribus, ob maximas anxietates, copioſis & vix tepidis, cutem continuo madefacientibus, urina contra potulentorum adſumtorum quantitati minus reſpondente, abſque vllo tamen, in viis & organis ejusdem excretionis, comitante dolore. Sopiebantur denuo cruciatus colico - nephritici, ſpe ſequuturae largioris urinæ excretionis, ſiquidem continui, qui hactenus per cutis poros manaverant ſudores, nunc ceſſantes, redituri in viam ſeri excrementitii ſpem largiebantur. Sed proh! contrarium docebat eventus: tanta enim hinc immediate ſequebatur Iſchuria, ut quae nycthemeri ſpatio emittebatur lotii quantitas, trium vel quatuor cochlearium menſu-

ram vix æquaret: cuius interim defectum levis interveniens diarrhoea compenſare videbatur. Novis inde angoribus correptus æger, denuo frigidis per univerſi corporis ſuperficiem madebat ſudoribus, pulſu frequente & duro, vigiliis, ſiti intenſa cum adpetitus abolitione comitantibus. Accedebat tumor abdominis, majora ſenſim incrementa ſumens, ad ſcrobiculum cordis uſque extenſus, præcordiis propterea & reſpirationis inſtrumentis maximas pariens moleſtias, reciprocanti inprimis eorum motui gravia ponens obſtacula. In tam adflicto corporis ſtatu integros quinque detinebatur dies, donec lotium in debita redderetur quantitate, quæ vero nunc ſemel reſtituta, absque ullo impedimento mictu excernebatur ſat copioſe, cum notabili abdominis detumeſcentia, anxietatis præcordialis remiſſione, et reſpirationis hactenus impeditionis libertate naturali reddita. Poterant hæc ægro & iis, quorum intererat, ſpem renovare, res per hos dies in diſcrimine conſtitutas, nunc iterum in vado eſſe, quam vero brevi iterum abiicere cogebantur, febre ſymptomatica, hactenus a morbo principali obvelata, depoſita larva ſeſe nunc clarius manifeſtante et igniculos, qui ſub cineribus latuerant, nunc emittente luculentiores; ſiti præterea continua, adpetitus proſtratione, virium univerſali lapſu, diarrhoeæ incremento et miliarium exanthematum eruptione, malignam eius indolem prodentibus. Quomodo vero in tali morbi & ſymptomatum ſtatu adeo perplexo, Medicus in conſilium adſcitus, res ſuas geſſerit, quæ de reliquo cum ægro acta fuerint, paucis complectimur. *Dolores* primum *colico - nephriticos* oppugnare ſuſcipiebat pulveribus ex Ocul. Cancr. Antimon. diaph. mart. Nitro depur. Cinnab. nativ. addito Croci & Caſtor. tantillo, quibus mitigatis, alvum Salis Epſom. uncia dimidia ſolvebat. Cum vero dicti mox recruduiſſent dolores, & urina ſimul adſumtorum potulentorum quantitati minus reſponderet, clyſteres ordinabat lenientes & internas adfectarum partium criſpaturas ſolventes, juxta cum

pulveribus, ex antiſpaſmod. Halenſ. part. ij. Ocul. Cancr. part. j. compoſitis, drachmæ dimidiæ pondere ſingulis IV. horis ſumendis: quibus nihil proficientibus, clyſteres Thereb. Venetæ drachmis tribus acuatos repetitis vicibus injicere jubebat; pulveres autem ita concinnatos porro exhibebat: Rec. Ocul. Cancr. præp. Cremor. Tart. ana ſcrup. ij. Nitr. depur. ſcrup. j. ſuccini præp. Cinnab. nat. ana ſcrup. ſemis, Croc. Or. gr. IV. M. F. Pulvis div. in IV. part. æqu. unde dolorum cruciatus cedebant. *Iſchuriæ* hos dein excipienti emulſiones, ex Amygdalis & ſeminibus aquisque leniter diureticis confectas, & pulveres ex Ocul. Cancr. ſalibus mediis, ſem. Lycopod. & Cinnab. natiua debita proportione compoſitos, opponebat, iniuncta ſimul lumborum calida inunctione leniente quodam linimento. Horum vero repetito uſu cum lotii excretio nihil juvaretur, Arcani Tartari XL. guttæ per nycthemerum ſingulis bihoriis exhibebantur, absque optato iterum effectu, quare in ſymptomate adeo renitente, cujus longior duratio ægro maximum minabatur periculum, proceſſus fiebat ad uſum Decocti diuretici, e rad. aperient. Pimpin. Eryng. Fol. Arnic. chærefol. flor. Calcatr. Cyani, Sem. Apii, interpoſitis ſemper pulveribus temperantibus, unde poſt elapſos quinque dies urina ſat larga absque incommodo reddebatur. Non deerant, durante urinæ ſuppreſſione, cujuscunque ordinis & ſexus perſonæ, ex adfectato charitatis officio varia ſuperſtitioſa & abſurda commendantes remediola, e quibus duo maxime ridicula commemorare haud ſuperſedere voluimus. Unum ex his unguentum erat, emplaſtri forma pedum plantis adplicandum, quod Herculis inſtar morbi contumaciam oppugnaturum, multa cum temeritate adſerebatur. Alterum tres erant pulices cum brodio ſorbendi; iſta enim agiliſſima animalcula per vrinaria organa exitum iterum quæſitura, ſicque expeditis illorum obſtructionibus, vias apertura, per quas urina libere fluere queat. Aſt ſtomachum movebant hæc ægro, qui in ſumma, qua premebatur, corporis

tis infirmitate, ratione & judicio valebat integerrimo. Hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Præterea reticere nolumus, tertio, quo æger Iſchuriam paſſus eſt, die, venam in pede inciſam, & quarto demum catheterem binis vicibus veſicæ immiſſum fuiſſe, utrobique abſque ullo effectu. Renes itaque inflammatos, ſi non etiam unum vel alterum apoſtemate obſeſſum, collegit Medicus, quod uberiore documento tandem *Febris inflammatorio-exanthematica* conjuncta probatum reddidit, cum iteratæ huius generis febribus defunctorum ſectiones plus ſemel docuerint, easdem ex internis viſcerum inflammationibus & corruptionibus natas fuiſſe. Ne interim Vir optimus, longiore vita omnino dignus, inops linqueretur conſilii, febri ſymptomaticæ bezoardica temperata, interpoſitis alexipharmacis adpropriatis, opponebantur, ſed hæc omnia irrita fuiſſe, ex morbi gravitate fatalis tandem docuit exitus.

(*Erfordiæ exhibita d. 27. Maj. 1738.*)

OBSERVATIO CXXIV.

Dn. D. PAULI HENR. GERARD. MOEHRINGII.

Pleuripneumonia dextri lateris, vigeſimo octavo demum morbi die perfecte ſoluta.

Mechanici cujusdam uxor, 40. fere annorum, aliquot liberorum mater, ſpongioſa, modice pinguis, roſea facie, iræ valde indulgens, a duobus, & quod excurrit, annis, tibiarum ulcuſculis ſponte prorumpentibus, ſerumque tenue & acre fundentibus, vexata, *1737. a medio ad finem usque Novembris* cum variis conflictata catarrhalibus adfectibus, *ultimo eiusd. menſis* in horrorem, eumque ſequentem febrilem

æſtum

æſtum *horis veſpertinis* incidebat, reliquis, quæ febrem talem comitantur, phænomenis non abſentibus & ſilentibus.

Mane d. 1. Dec. gravitas in pectore, præcordiorum anguſtia, genarum rubentium tumor, acutus in dextro latere dolor, tenacis ſputi, ſtriis ſanguineis mixti, excretio, &c. quæ dein ſymptomata ita adaugebantur, ut *d. 2. Dec.* Medicus in auxilium vocaretur. Sanguinis hic nimis ſeram e vena miſſionem prædicat, quum tamen, niſi rerum plane imperitus fuiſſet, ſanguineæ adhuc ſtriæ in ſputo mere pituitoſo ac tenaci adparentes, ipſum ſuppurationis nondum factæ certiorem reddere potuiſſent. Præſertim quum admodum turgidæ in manibus ac jugulo protuberantes venæ, ut ipſius vehementiam morbi & dolorum impetum ſilentio prætereamus, haud mediocrem, in hac ſeorſim ægrota, ſanguinis diminutionem expoſcerent. Nihilo tamen minus dulci quadam ac parum diluente, quibus terrea fixa admiſta cernebantur, potione, adjuncto linctu, ex mere fere ſpermate ceti conſtante, rem omnem exhaurire infelici ſatis animo agitat. Sed tantum aberat, ut dolorum lateris, aut æſtus hinc quædam remiſſio bonave ac cita expectoratio ſequuta eſſet, ut potius æſtus doloriſque punctorii incrementum, ac inſignis virium proſtratio, ad animi usque deliquium, oboriretur. Nec hic ſubſtitit incauti Medici ſtudium, quin potius nova congerie ſpecierum pro infuſo, ex meris dulcibus Ficus puta, Jujubas, uvas paſſas, &c. admiſtis paucis herbis, Tuſſilagine, Veronica, Agrimonia, &c. parata, miſeram torquebat.

Quae hercle! adeo clare illius faſtuoſam imperitiam declarabant, ut maritus, audita ab eodem querela, de funeſto futuro morbi exitu, ipſum dimitteret, meque *d. 4. Dec. circa veſperam* advocaret. Acceſſerat proxima nocte gravis raucedo; jam ſumma inquietudo, dolor faucium, impedita deglutitio, ſputi perrara excretio, tuſſiendi impotentia, vires fractæ, ingens & ſiccus æſtus, pulſus brevis, celerrimus, inæqualis, parvus, nec valde arteriam ferens, oculi in orbita fere abſconditi,

genæ

genæ collapſæ, ruberrima quamvis macula pictæ, magna ſitis, poſt potum tamen vel tenuiſſimi liquidi vomendi conatus, dolorum lateris augmentum, brevis & difficilis ſpiritus, raucam loquelam magis adhuc moleſtam reddens, ſitus perpetuus in dorſo, alvus aperta. Lotium, quod medicus prior neglexerat, inſpicere non poteram. *Rec. Aqu. pluv.* ℥ij. *acet. prophyl. ſylv.* ℥j. *Oxym. ſquill.* ℥ß. *ſyr. acetos. citr. ex ſucc. fl. Papav. rhead. ana q. ſ. vel* ℥ß *M. D.* omni hora cochlear. unum. *Rec, ſyr. ex ſucc. fl Papav. rhead. de Hyſſop. ana* ʒvj. *de Eryſim. Lobel.* ℥iß. *M.* Lambat ſæpius cochl. dimidii quantitatem.

D. 5. Dec. morbi 5to. nullus ſomnus, eadem inquietudo, eadem reliqua omnia, excepta nauſea, quæ mitigata erat; ſputum pituitoſum, tenax, fuſcum, valde ſpumoſum; urina pellucida, perrubra, brevi evadebat craſſa, turbida, fecum inſtar cereviſiæ, nec ſedimentum deponens; capitis dolor magnus; linguæ & faucium ſiccitas, refertarum, unacum dentium intervallis, multa tenaciſſima pituita; vires tamen paulo meliores ad morbum amplius ſuſtinendum mihi videbantur; circa pulſum quoque in carpo leviſſimum madorem percipiebam. Bibebat decoctum raſ. C. C. tenue, cum pauco ſaccharo; alvus aperta; in toto latere dextro major æſtus externus, quam in ſiniſtro. *Rec. Aqu. pluv.* ℥ij. *Naph. c. vin. acet. prophil. ſylv. ana* ℥j. *Oxym. ſquill.* ℥ß. *ſyr. acetos. Citr. ex ſucc. fl. Papav. rh. ana* ʒvj. M. D. omni hora cochl. unum. *Rec. ſyr. de Eryſ. Lobel.* ℥iij. *ex ſucc. fl. Papav. rh.* ℥ij. *Eſſ. Pimp. alb.* ʒvj. *M.* lambat ſæpius eam quantitatem, quam capiunt 2. cochlearia parva. *Rec. Herb. Menth. Chærefol. Hyſſop. Marrub. alb. Mercurial. ana Mj. Inc. D.* pro fomento pectoris, cum panno laneo duplici, in decocto herbarum aquoſo qu. 5. intingendo, fortiterque & ad ſiccitatem fere expreſſo, imponendo ac ſæpe renovando.

Veſperi, hora 6. leniter dormiſcebat. Nova febrilis acceſſio; vires tamen paululum refectæ, nec tanta inquietu-

do, videbantur. Urina, hoc mane dimiſſa, ejusdem adhuc conſiſtentiæ & coloris, ſed leve pingueque ſedimentum præcipitaverat; major, magis anxia, & valde profunda reſpiratio; reliqua, ut mane; alvus aperta.

D. 6. Dec. morbi ſexto, admodum debilis adparebat; ſomnus fere nullus adfuerat; ab hora 4. ad 7. matutinam profunde ac ſæpiſſime tuſſiverat; raucedo non tam obtuſa, ac heri, ſed magis acris & vellicans, ac pauxillum plus ſonora vox; pulſus parvus, mollis, undoſus, æqualis, non tamen adeo celer, ac heri; dolor hac nocte admodum inquietam reddiderat ægrotam; ſputum idem, ſed ex fuſco magis albicans & copioſum, nec tantus vomendi conatus; nil fecum alvinarum emiſerat; urina heſterna veſpera miſſa ejusdem indolis, ac noviſſimo veſperi notata eſt, idem quoque potus; cutis arida; lingua aliquantum de aſperitate ſua remiſerat. Repetebantur potio & linctus d. d. 5to. Dec.

Veſperi nova febrili exacerbatione redeunte, omnia ſymptomata ingraveſcebant; ſitus ægrotæ, diductis brachiis, ſupinus; urina mane miſſa, craſſa, turbida, prioris inſtar, ſine ſedimentro.

Nocte nullus ſomnus; *hora 3. nocturna* grave animi deliquium; impotentia tuſſiendi & exſpuendi.

Mane d. 7. Dec. morbi 7mo. paululum, quum advenirem, ad ſe redierat; reliqua omnia, ut proximo veſperi; urina heſterno mane miſſa, jam a dimidio vitri ad fundum usque ſedimentum quaſi membranaceum, leve, ac fluitans depoſuerat, reliqua pars pellucida, dilute rubicunda; urina heſterna hora 10. veſpert. miſſa, vini inſtar Hiſpanici ex croceo rubicunda, cum tenui nubecula, a ſummo ad dimidium vitri ſuſpenſa, leviſſima, albicante; inter ſputum, cujus parum extuſſire, nunc poterat, plurimum tenaciſſimæ & ſpumoſæ pituitæ, *vitreæ* veteribus dictæ, reliquum pus album

coctum,

coctum, in glomeres a pituita coactum, haud ita magna copia, occurrebat. Oculi quoque magis, quam antea, intra orbitam collapſi, palpebris ex croceo nigricantibus, & ex infirmitate conniventibus; pupilla tandem pauliſper obſcura. Summam itaque rerum anguſtiam videns, vires aliquantum refecturus, animi porro deliquiis obviam iturus, faciliöremque demum expectorationem provocaturus, hæc præſcribebam: *Rec. Vini Rhen. opt.* ℥ij. *aqu. Naph. vinos.* ℥j. *Conf. alkerm. incompl.* ʒß. *ſyr. ex ſucc. papav. rh. q. ſ. M.* capiat, exigente neceſſitate, vel quavis ſemihora, vel ſingulis horis cochlear unum. *Rec. Ol. amygd. dulc. rec. ſ. ign.* ℥ij. *Sach. penid.* ℥iß. *M. D.* Lambat, urgente tuſsi, cochlear dimid. ad integrum.

Hora 2. pomerid. omnia eadem; neque tamen calor magis auctus, ac mane; horis antemeridianis paululum dormiſcens refectam ſe credebat, ſed urina veſperæ noviſſimæ adhuc eadem, ſedimento in ſummo conſtituto, urina hor. 11. antemer. miſſa pellucida, coloris ut matutina, cruda, incocta.

Hora 8. veſpert. nova febrilis acceſſio; pulſus magis plenus, robuſtus, æqualis, ac heri; omnia ſymptomata mitiora, quam heſterna veſpera, ac paulo major vigor; calor adhuc ſiccus ubique, circa pulſum vero in carpo lenis roſcidusque mador; urinæ veſperæ noviſſimæ ejuſdem adhuc coloris, cujus nunc totam molem nubecula implebat; urina mane miſſa eadem indole, tenuiſſima medium occupante nubecula; ea vero, quæ incipiente febrili hacce exacerbatione emiſſa erat, poſt ſemihoræ ſpatium craſſa, turbida, juſculi coctarum fabarum ſimilis, ſubalbicans evadebat.

Nocte leniter quidem, & ſuaviter per intervalla dormiſcebat; aurora adpropinquante, plus vitreæ pituitæ, cui parum puris permiſtum, exſpuebat, quæ

Mane d. 8. Dec. Ejusdem qualitatis, ac heſterna luce, una cum reliquis morbi phænomenis, deprehendebatur. Ad exſpuitionem ſublevandam pituitamque magis reſolvendam, fervidum, aſt valde dilutum Coffeæ decoctum ſuadebam, quæ ſane res optumo cum effectu gerebatur. Urina, mane d. præced. miſſa, pellucida erat, cum ſedimento fluitante plane, ut urina veſpertina d. 6ti. Dec. mane d. 7. Dec. adparuerat; urina veſpera noviſſima miſſa, ejusdem adhuc conſiſtentiæ & coloris, ſed cum ſedimento levi, fluitante a fundo ad medium vitri extenſo; urina ante dimidium horæ miſſa ejusdem indolis, qualis heſterna veſpera fuerat; a multa exſcreatione ſudor in facie; vox paulo magis ſonora; ſaccharum in linctu amygdalino nauſeam ipſi creare teſtabatur, dulcia pleraque in ſtatu ſano faſtidiens. *Rec. Ol. Amygd. dulc. r. ſ. ign.* ℥iij. lambat reciproce cum ſequenti linctu quantitatem cochlearis dimidii: *Rec. ſyr. de Hyſſop. ex ſucc. fl. Papov. rh. ana* ℥ij. *Oxym. ſquill.* ℥ß. *M. D.* cochl dimid. ſæpius in uſum vocandum. Ad æſtum febrilem leniendum utebatur ſingulis adhuc horis potione d. d. 5. Dec.

Veſperi acceſſio febrilis eodem modo, ac heri, ſe habebat. Quoniam autem de oleo amygdalino nil toto die adſumſerat, altero linctu ſolo inſufficiente, ac præter ea ſæpius dormiſcens quieverat, ſputi excretio plane ſubſiſtebat, magnam ægrotanti moleſtiam creans. Serio igitur ſuadebam, ut oleo amygdalino d. ſæpius uteretur, ac præjudicio de faſtidio exinde oborto ut eo melius obviam iret, poſt ſingulos hauſtus altero de linctu aliquid in ore paulisper retineret. Urinæ tandem & heſternæ, & matutinæ eædem quas noviſſime expoſui.

Nocte, reſtituta exſpuitione, egregie quieverat.

D. 9. Dec. morbi nono, mane, omnia meliora; vires quoque aliquantum vegetiores; copioſum ſputum; pituitæ minor, puris

puris albidi, ſpiſſi, major copia; cutis adhuc ſubarida, ſed circa arteriæ pulſum, & internum brachium leviſſima quædam humiditas; in facie ſudor, ab exſcreatione pituitæ vitreæ moleſtæ potiſſimum derivandus. Jugulum hac nocte, & dextrum colli latus valde rubra facta erant, & de ſalinæ & alcalino - bilioſæ dyſcraſiæ, abundantia in noſtra luculentum teſtimonium præbebant. Dextri dolor lateris non niſi prævia gravi quandoque tuſſi urgebat. Urina veſpera præced. miſſa diluti inſtar Hiſpanici vini erat ſine ſedimento aut nubecula; alvus aperta; medicamenta eadem.

Veſperi bona exſcreatio; plus tamen pituitæ, quam puris; acceſſio febrilis gravior, ac heri; reliqua, ut antea. Ceterum motum quendam convulſivum, ſingultus fere inſtar ſeſe prodentem, aliquoties obſervabam, quem ægrota ex regione umbilicali, vel etiam hypogaſtrica ad jugulum usque adſcendere, ibidemque quaſi retropulſum, verſus fauces deſcendere, referebat. Heſterna jam luce motum illum una alterave vice ipſam vexaſſe, eamque ob cauſam a potu ſibi interdum cavere debuiſſe, ne tam cito reverteretur, addebat. Urina, heſterna veſpera miſſa, adhuc eadem, qualis fuerat, niſi quod tenuiſſima nubecula, viſui vix obvia, per omnem ejus ſubſtantiam volitaret; urina antemer. hora 11. miſſa, juri coctarum fabarum iterum ſimilis, albida, ſedimento copioſo, membranaceo, fluitante, a fundo vitri ad ſummum fere extenſo, duasque tertias ejus partes explente. Madorem quoque tam heri, quam nunc ſub ſtragulo in toto corpore adfuiſſe, ægrota commemorabat, quem tamen in brachiis, naturali tantum calore gaudentibus, & ſcabris ac aridis, obſervare non licebat, niſi quod in carpo circa arteriæ pulſum, ceu ſæpius monui, leniſſima quædam humiditas ſe proderet, poſt longam demum pulſus explorationem digitis ſentienda. Ceterum per

intervalla aliquot horas bene quieverat. *Nocte* nullus ſomnus; magna inquietudo; jactatio; nullus ſudor.

Dec. 10. mane, d. 10. morbi, omnia iterum mitiora; ſputum bene egerebatur; pituitæ pariter, ac puris eadem, quæ heri, ratio. Urina veſpera nudius tertius miſſa, jam aliquid ſedimenti ex albido flaveſcentis depoſuerat, plurimum vero ſtriarum inſtar & macularum, marmoream præ ſe ferens faciem, per reliquum lotium diductum erat; heſterno mane miſſa urina eadem, ut principio expoſitum eſt, ſedimento tamen magis & ad medium usque vitri delapſo; urina hoc mane hora 4. miſſa, turbidæ ſimilis cereviſiæ, ſubrubra craſſa, ſine ſedimento; convulſivi motus, quaſi ſingultuoſi, quorum ſuperius mentionem feci, paululum ceſſaverant, quos ægrotans a dulci nimio, linctui quod inerat, derivabat. Nihilo tamen minus poſteriorem d. d. 8. Dec linctum adhuc continuandum curabam, potionis autem d. d. 5. Dec, loco, jam hanc parum immutatam, præſcribendam ſatius ducebam: *Rec. expr. mill. ſ. Full. Aq. Veron. vinos. ana* ℥j. *Aqu. Naph. c. vin. acet. prophyl. ſylv. ana* ʒß. *Tinct. Viol. Pap. rh. Myns. ana* ℈vj. *Syr. acetos. citr. q. s. ad* ʒj. *M. capiat ſingulis horis cochlear unum.*

Veſperi febrilis exacerbatio mitior, expectoratio bona, pituitæ vitreæ plus, puris minus. Urinæ, heſterna miſſæ veſpera, ſedimentum plus, quam antea, deſcendebat; urina mane miſſa ſubrubra, multum ſedimenti levis, albidi, pulverulenti depoſuerat, cujus medium nubecula replebat.

D. Dec. 11. morbi 11. mane totam ſe noctem inſomnem & inquietam tranſegiſſe referebat, quod ex uteri frequentiori adſcenſu ac inſigni nauſea provenire ipſa putabat: Linctus enim & ol. amygd. dulc. averſabatur. Ceterum calorem, naturali parum auctiorem ac mediocrem, morbumque principem ſatis moderate ferebat; frequens pituitæ copioſæ,

pioſæ, vitreæ, cui puris minimum admiſtum, rejectio; multa tuſſis; alvus quotidie hactenus ſemel aperta. Urina mane heſterno miſſa eadem, quæ fuerat; quam autem primo veſpere heſterno dimiſerat, vini adinſtar Hiſpanici clara, pellucida, adparebat, cujus in medio tenuiſſima quædam oberrans nubecula viſu diſtingui vix poterat. Sitim ob uteri & abdominis nimias adflictiones paululum ſupprimere illam oportebat, ne vomendi conatus reverterentur. Linguæ limbus uterque albus ex muco tenaci, quem quotidie deradendum curabam. Nauſeæ igitur ructibusque vomitoriis obicem ut ponerem, hoc dabam: *Rec. ſucci citri* ℥iß. *Sal. Abſynth.* ʒß. *peracta efferveſc. add. Syr. acetoſ. citr.* ℥ß. *M. D.* ſingulis horis cochlear unum, donec nauſea ſedata ſit. Inter hæc potio noviſſima & linctus ſeponebantur.

Veſperi ægrota, per horulam lectum deſerens, paululum magis refectam ſe ſentiebat; dies inquietus fuerat; potionem enim *Riverianam* binis vicibus, una cum quibusdam ventriculi cruditatibus evomuerat, quare ab illa abſtinebat; hyſterici adhuc motus, mitiores quamvis, ſubmurmurabant; melior ac facilior expectoratio, quam mane; plus quoque puris albi, quam pituitæ, quæ tamen tenaciſſima permanebat; adpetitus parum reviviſcere videbatur. Urina veſpera heſterna miſſa eadem, quæ fuerat; urina mane miſſa, ſubflava, pellucida, cum ſedimento nubeculoſo, albo, copioſo; calor mediocris, hinc mitis acceſſio febrilis. Repetebat remedia mane ſepoſita, jam ſine nauſea ullave moleſtia.

D. 12. Dec. morbi 12. omnia mitiora; alvus nocte & paulo ante meridiem aperta, qua de cauſa urinam in vitro colligere non potuerat, quæ inſpectioni inſerviret.

Veſperi acceſſio febrilis paulo majori ſtipita calore, quem tamen, ſputi rejectione adhuc bene procedente, noſtra

ſtra ſine multa moleſtia ſuſtinere poterat. Medicamenta eadem.

Die 13. Dec. omnia eadem; acceſſerat tumor faucium & linguæ pituitoſus, unde difficilis deglutitio. *Rec. Rad. Tormentill.* ℥ij. *inc. coqu. c. ſ. qu.* ▽*ae ſimpl. Colat.* ℥vij. *add. Syr. moror.* ℥j. M. utatur eodem ſæpius calide pro faucium & totius oris collutione.

D. 14. Dec. tumor faucium &c. evanuerat, criſis melior in lotio; febrilis exacerbatio egregie imminuta. Medicamenta ſic mutabam, ut poſt meridiem potionem ultimam continuaret, ante meridiem vero hacce de Esſ. omni bihorio. 50. gtt. caperet. *Rec. Eſſ. alex. Stahl.* ʒv. *ſpir. ſal. ammon. anis.* ʒij. *M.* capiat ex vehiculi aquos. unciis duabus.

D. 16. Dec. morbi 16. omnia meliora; febriles acceſſiones facile tolerandæ; pituitæ ac puris exſcreatio, prout noviſſime enarravi, lotium, ut d. 14. Dec.

D. 17. Dec. omnia eadem; urina veſperi miſſa pallidi inſtar vini albi Gallici.

D. 18. Dec. urina mane miſſa, veteris inſtar vini Gallici flaveſcentis; reliqua ſymptomata eadem. Potionem d. d. 10. Dec. removendam, ejusdem in locum ſequens infuſum aquoſum ſurrogandum curabam, ut corpori majus paulatim robur conciliarem, vulnusque pulmonis ſanarem. *Rec. Herb. Fiſtular. ſcabios. ana Mj. flor. Arnic. Bellid. r. ana Pj. Cinnam. Cort. Citr. rec. extim. ana* ʒij. Inc. gr. utatur eodem, theæ loco, calide; ſit quoque vehiculum pro Eſſ. d. d. 14. Dec. per diem integrum in poſterum adhibenda.

Quibus factis, *ad d.* usque *22. Dec.* qui 22dus etiam *morbi* erat, omnia bene & ex voto gerebantur; ægra per aliquot horas lectum quotidie deſerere poterat, nihilque niſi levis quædam acceſſio pomeridiana una cum puris & pituitæ

tuitæ continuata excretione videbatur; lotium quoque veſpertinum ſano ſimile, mane ſaturatioris paulo coloris; raræ tamen heri æque, ac hodie ſanguineæ ſtriæ in ſputo adparebant, & caput dolebat. Remedia erant Eſſ. d. d. 14. Dec. ſpecies d. d. 18. Dec. & linctus d. d. 8. Dec.

Veſperi accedens dormientem reperiebam, alvum tamen biduo clauſam mater adfirmabat. Hoc itaque laxans præſcribebam: *Rec. Rhei opt.* ℈j. *Mercur. dulc.* (a) *gr. XVI. Syr. Roſ. ſolut.* ℥ß. M. capiat. ſummo mane altero, cum regimine.

D. Dec. 23. morbi 23. mane ægrota referebat, ſe hora 6ta veſpertina expergefactam, horrore febrili cum ſequenti æſtu gravi vexatam fuiſſe, noctemque inquiete transegiſſe. Jam multum puris ac copioſiſſimam exſpuebat pituitam, quæ tenacitate ſua fauces fere opplens, admodum difficilem ſpiritum reddebat; reverſus quoque erat primus lateris dolor, ſanguinisque ſtriæ in ſputo iterum conſpiciebantur, neque minus calor, ac mollis, & undoſus exſiſtebat pulſus. Exhauſto laxante multam flavam bilem atque concolorem ſpiſſam pituitam vice plus ſimplici evomebat. Urina tum proxima veſpera, tum mane hoc dimiſſa, rubicunda, elapſis aliquot horis parum albæ nubeculæ ad fundum præcipitaverat. Novo itaque malo ut prævenirem, hæc dabam: *Rec. Aqu. pluv. Expr. mill. ſ. Full. ana* ℥iß. *ſucc. Citr.* ℥ß. *ſyr. Viol. ex ſucc. fl. Papav. rh. ana q. s. vel* ℨij. *M. D.* ſingulis horis cochl. vnum. *Rec. Syr. ex ſucc. fl. Papav. Viol. ana* ℥j. *Oxym. ſquill.* ℥ß. *M.* Lambat ſæpius eam quantitatem, quam capiunt duo cochlearia parva.

a) ex partib. æqual. parati, & bis ſublimati, *vid.* ROTHII *Chim. p. 63. & 181. Edit. Lips. 1727. 8.*

Veſperi bis alvum exoneraverat. Acceſſio febrilis mediocris; pulſus, ut mane, paulo tamen mollior, reliqua eadem; capitis vero dolore non niſi ſub increſcente tuſſi, adficiebatur. *Nocte* paulatim dormiebat.

Mane, d. 24. Dec. morbi 24. ſingula parum mitiora. Quod e pulmone educebatur, ſub faciliori, quam antea, tuſſi eveniebat, pituita jam magis fluida reddita, cui fruſtula quædam cruoris atri, puriſque ſubflavi, rotunda innatabant. Lateris capitiſque dolor raro & renovata tantum tuſſi percipiebatur. Urina heſterno veſpere miſſa, ſubrubra, cum magna nubecula in fundo; urina mane miſſa adhuc craſſa & turbida. Bilioſus licet vomitus evanuiſſet, ſingula tamen potus genera confeſtim per os reddebat, ſolo lactis ſero recenti ac dulci excepto, cujus uſus idcirco retinebatur. Linctum heſternæ lucis repetebat, potioni vero *Tinct. ſal. Tart.* ℥ß. addebam.

Dec. 25. mane, ſingula fere ut heſterno mane, ſed tantillum leviora, adparebant, unde potionem horis pomeridianis relinquebam, ante meridiem vero omni bihorio 50. gtt. hac de Eſſ. ſumendas commendabam. *Rec. Tinct. antim. acr. Elix. pector. Wedel. ana* ℥ß. *ol. Anis Still.* ℈j. *M.*

Veſperi, non obſtante mediocri exacerbatione febrili, renato adpetitui nimium indulgens, coctam carnem bovinam ſalitam ac muriaticam comedebat, quam imprudentiam, indecentemque voluptatem *tota nocte* inſignis, ſicca, ac vellicans tuſſis, ſitis porro inſatiabilis, minimumque quietis ſequebatur.

D. 26. hor. 10. antemerid. ingenti horrore febrili, bihorium durante, corripiebatur, quem magnus æſtus, & intolerabilis cephalalgia, ad mediam inſequentem noctem ſævientes, excipiebant. Potionem & linctum d. d. Dec.

con-

continuabat, Eſſ. vero d. d. 25. Dec. mane ſeponebat. *Noćte* nullus ſomnus, magna inquietudine juncta.

Dec. 27. morbi 27. mane, valde debilis erat, multum ſudoris effundebat, lateris ſubinde dolor revertebatur; puris & pituitæ, inter ſe diductæ, cum ſtriis maculisque paſſim oberrantibus ſanguineis miſtæ, rejectio permulta, craſſa, tenax, ex albido - fuſca; pulſus parvus, mollis, celer, æqualis; urina veſperi nudius tertius miſſa, ſedimentum nunc rubicundum depoſuerat; urinæ mane heſterno miſſæ nubecula parva, globoſa, in medio hærebat; urinæ veſpera proxima & hora 2. nocturna miſſæ, nubeculæ vix cognoſcendæ, a ſummo ad imum in vitro expanſæ oberrabant; ceterum omnes colore flammeo pellucidiſſimo gaudebant. Serio ægrotantem monebam, ut ab ejusmodi craſſis errroribus diæteticis ſibi ſedulo caveret, ne in majus, quam hactenus contigerat, vitæ periculum incurreret. Potionem d. d. 24. Dec. ſingulis pomeridianis continuandam horis curabam, juncta tamen adſidua Infuſi d. d. 18. Dec. ſorbitione. Quorum quidem uſu remediorum fiebat, ut proximæ acceſſionis fine *d. 28. Dec.* multa dimitteretur urina, quæ, ſemihora vix elapſa, coctum ſedimentum albidum ac pulverulentum præceps dabat. Febriles exacerbationes penitus quoque ceſſabant, unamque vel alteram horam ægrota quotidie e lecto egrediebatur.

Relictis itaque prioribus remediis, *d. 30. Dec* hanc ad morbi, ſi quæ ſupereſſent, reliquias in fugam conjiciendas Tincturam ſuadebam: *d. 30. Dec. Rec. Tinct. ſal. tart. liqu. diur. Schroed. ana* ℥ß. *Syr. ex ſucc. fl. papav. rh.* ʒij. *M.* hauriat ex Infuſo ſinguli bihoriis 60. guttas.

Qua medela una cum Infuſo ad *5tum Januar. 1738.* adhibita, omnis ſputi præternaturalis rejectio evaneſcebat, no-

que ad negotia domeſtica iterúm peragenda accingere ſe ſe poterat. Neque hos tantum fructus, has, inquam, indubitatæ ſanitatis mercedes ferebat, ſed ulcuſcula quoque illa pedum chronica, quorum initio mentionem feci, conſtanti ad hunc usque diem duratione coalita conſpiciuntur.

Hiſtoriæ ac medelæ ratio.

Supereſt, ut quanam ratione morbus hic extiterit, progreſſusque ſuos fecerit, ea qua licuerit, brevitate ac perſpicuitate exponam. Ac *Pleuripneumoniam* quidem morbum hunc fuiſſe, nullum fugere poteſt, niſi qui ignoraverit, dolorem lateris acutum, cum febri acuta, ſpirituque difficili & laborioſo *Pleuritidem* adpellari, tuſſim vero primum ſanguinolentam, dein pus fundentem, genarumque ruborem ac dolorem pectoris gravativum, (qui tamen heic ab acuto dolore pleuritico adeo occultatur, ut in ægrotantium vix incurrat ſenſus,) acuta febri juncta, vera inflammationis pulmonum, ſive *Peripneumoniæ* ſigna pathognomica conſtituere. Concurrentibus igitur duobus hiſce morbis, *Pleuripneumoniam* adeſſe, tironibus liqueat neceſſe eſt. Cauſam vero remotam in aëris heic loci indole quærendam eſſe, morbi frequentia, quæ tum temporis multos invadere ac epidemice graſſari ceperat, potiſſimum docet. Tempeſtate namque aquoſe frigida, non nunquam pluvioſa, ac præſertim fortioribus ſubinde ventis SW. W. & NW. agitato aëre, ſanguis ſub inſpiratione nimium coactus, arteriolas minimas ſanguiferas extendens, illarum vero reniſu elaſtico ſequuto impactus, condenſatus, vaſcula obſtruens, itemque a novo jugiter adfluxo magis compreſſus, denuo ultimas extendens arteriolas, tumorem dolentem inflammatorium in plaga adfecta gignere, atque hinc pendentia producere phænomena ſatis conſtat. Quibus, omiſſa præſertim venæ matura, ac exigente neceſſitate repetita inciſione,

ne, non poterat non mox fieri, ut ſubtiliſſimæ in pulmone morboſo arteriolæ ruptæ cruorem contentum expellentes, ſputum ſanguineum, &c. non tantum efficerent, ſed ipſe, quoque morbus princeps altiores figeret radices; *vid. d. 2. Dec.*

Ex propria igitur indole gravis morbus infelicem in principio medelam expertus, ægrotantem in ſummum vitæ periculum redigebat. Præſertim quum illud lubrici admodum eventus ſperma ceti copioſe exhibitum, vix in ventriculum devolutum, ex febrili æſtu, brevi temporis intervallo, licet vel recentiſſimum antea fuerit, rancorem adquirens, exhalationibus ſuis acribus ac nimium calidis fervidos ructus creans, fauces magis, quam antea factum, titillaret, tuſſimque cieret, ac præter ea epiglottidi firmiter adglutinatum, aëri exitum præcludens, præviaque moleſta raucedine, difficillimum efficiens ſpiritum, ſuffocationem tandem inducere videretur. *vid. d. 4. Dec.*

Quum enim, ſaniorum teſtimonio medicorum, incraſſando agat, heic autem loci ſuppuratio nondum adeſſet, ſed tenax tantum pituita, vitrea veteribus dicta, guttur vexaret; reſolventibus & attenuantibus opus erat, minus autem peſſimo illo e lubr cantium genere, merito ab Ill. D. D. KRAMERO (b) in hujuscemodi morbis inflammatoriis damnatorum, niſi reſolventia, diaphoreſin leniter promoventia, &c. adſiduos comites habeant. Et quem artis ſalutaris peritum latere poteſt, toties dulcia illa nauſeoſa, ficus, uvas paſſas &c. ab omnibus cordatis rejecta eſſe, quoniam expectorationem nimiam reddentia, tantum pulmoni vulnus conciliant, ut opinione ipſius Clinici celerius ægrotans in funeſtam ſæpe phthiſin delabatur. Simul vero patet, indicatorio die quarto adeo gravibus ſtipato ſymptomatibus, ſeptimo futuro morbi die perfectam ſucceſſuram nondum eſſe criſin, ac proin

 acceſ-

(b) *Medicin. caſtrens. Sect. I. cap. 3. pag. 39.*

acceſſiones febriles ſumme acutas ſubſequuturas, juſtis ex cauſis me judicaſſe.

Quantum interea, non obſtante morbi perdurante vigore, exhibita remedia levamen attulerint, pituita copioſa excreta, viribusque paululum ſublevatis, doceat *de 5. Dec.* hiſtoria. Majorem tamen in dextro latere obſervatum æſtum ægrotans, connati aliquid ſibi hocce phænomenon pronunciens, vili pendebat. Ut vero 1) viribus plus conſulerem, aquam Naphæ, cum vino paratam, potioni addebam; 2) raucedinem tollerem, eoque ipſo leniſſimam perſpirationem elicerem, linctui Eſſ. Pimp. alb. admiscebam; 3) lateris pariter, atque pulmonum dolori medelam opponerem, fomentum tepidum pectori ſæpius imponendum curabam.

Neque conceptam hisce de remediis ſpem plane me fefelliſſe, cuilibet, *veſperi* hujus diei quæ acciderunt, conſideranti, clarum erit.

Sexto morbi die, tyranno ab antiquis jure vocato, omnia graviora fieri debebant, ad criſin incipiendam percitis humoribus æque, ac canalibus. Ac ſenſum in raucedine ex obtuſo acrem factum, bonum judicabunt, qui pituitæ multæ excreatæ copiam animo pervoluunt.

Quæ porro 7mo *morbi die* & quare contigerint, ex ipſa hiſtoria facillime colligi poteſt. Boni tamen quid augurari me potuiſſe, mitior acceſſio febrilis, albidum in ſputo pus adparens, lotium, ſedimento gaudens, animi deliquia evaneſcentia, &c. docent. Pluries autem obſervaſſe me ſcire licet, inter confortantia remedia vini Rhenani, dicta fere ratione præſcripti (vid. Potio d. d. 7. Dec.) vires nulli ſecundas exſiſtere. Et quonam potiſſimum gradu in expectoratione promovenda inceſſerim, Linctus d. d. 4. 5. 7. Dec. & porro ad finem usque morbi præſcripti, non excluſis cujusvis diei potionibus, demonſtrabunt. Neque vero ab inſtituto noſtro alienum erit heic commemorare, quantum

Perill.

Perill. b. m. Dom. *Jo. Godofr. de* BERGER cauto ratiocinio ac multiplici experientia adjutus, multoque rerum uſu ipſe ſatis edoctus, *ſyrupum ex ſucc. fl. Papav. rh.* vulgari illi ex petalorum infuſione parato præferam, cujus prioris ſcilicet vires, vel ipſo teſtante ſapore ac odore, magis coactæ, & ut ita effari liceat, coadunatæ exſiſtunt, quum communis ille in pharmacopoliis exſtans multo limpidior ſit, ac præterea repetita florum infuſione, ſubtiliſſima, vaporum ſpecie, pars avolet. Abſit tamen, ut ſpecificam quamdam, ex occulta qualicumque, ſolis empiricis relicta qualitate derivandam virtutem remedio huic adſcribam, quales abſurdas opiniones clar. D. D. JVNCKER. (c) merito deridet.

Quæ *d. 8. morbi* ſequuntur, explicatione non egent. Ructus vero, *d. morbi 9.* adſcendentes, ægrotantis acrimoniam bilioſam in ventriculo, partim idioſyncraſiam, qua mediante dulcibus quidem, ut ſaccharo &c. in ſtatu ſano delectabatur, ſed hora vix elapſa ructus deſcriptos ad aliquod tempus ſuſtinere debebat, oſtendunt. Neque tamen hæc tanti erant, ut ab exhibitione ſyruporum refrigerantium & pectoralium me prorſus deterrerent, quin potius valde neceſſarios ad excernendas e pulmone ac ventriculo & faucibus cruditates judicarem, præſertim quum reliqua medicamina leviter acida, &c. dulcedinem eorum ſatis infringerent. Præterea quoque hyſterici aliquid ſubmurmuraſſe, vel ex eo conſtat, quod ſenſus ille quaſi ſingultans fauces nonnunquam adeo conſtringebat, ac ſi globulus quidam ab infimis adſurgens, in faucibus ſubſiſtens, ſpiritui exitum denegare vellet, moleſtiaque infimæ abdominis regioni inhærebat; quæ phænomena haud raro ſecunda gaudentem valetudine invadebant.

D. morbi 11mo. Expectoratio difficilior reddita neglectui tam

(c) *Conſpect. Therap. gener. tab. IX. p. m. 273.*

tam linctus, quam olei amygd. dulc. adſcribenda eſt. *Riverianam* miſturam minus evomuiſſet, niſi nimium delicatula ſaporem illius adverſum pertimeſcens, nauſeabundis ſibi confeſtim imaginationibus animum obfirmaſſet, tertia tamen, urgente me, vice adſumta, ac retenta, ſuos raro fallentes effectus poſt ſe relinquebat. *Die 13. morbi* a frigore nocturno, protractione pedum e ſtragulo, admiſſo, faucium tumor pituitoſus, propinato gargariſmate facile cedens, ſuperveniebat. Viſis tamen tam ſedimento bono in urina, quam æſtus febrilis egregia imminutione, ad efficaciora ſucceſſive reſolventia, diaphoretica, &c. procedebam, quibus etiam fiebat, ut *ad 22. diem morbi* omnia ex voto gererentur. Quo vero die gravis ira accedens, totam fere rem adeo in pejus mutabat, ut ſubſequuta mox ſymptomata huic uni exceſſui tribuenda ſint, præcipue quum per integrum biduum cauſſam hancce celarent. Eadem porro ratione *d. 25. Dec.* priori vitio vix ſublato, in novam incidebat intemperantiam, novam quoque comitem habens pediſſequam, bonis tandem avibus poſt triduum in fugam conjectam.

Ceterum notatu dignum judicavi commemorare, quatuor poſt fugatum morbum menſibus elapſis, noſtram felici partu tenellam quidem ſed vegetam excluſiſſe filiolam, ad hunc usque diem læte viventem. Quærebam quidem durante morbo tum ex matre, tum ex ipſa ægrota, num gravidam ſeſe ſciret, utraque vero conſtanter id negabat, nullum adhuc graviditatis ſignum, nedum fœtus alicujus vel minimum motum præſto eſſe, & ſingulis profluvium muliebre menſibus juſta huc usque quantitate continuaſſe, adſerens. Fluit igitur exinde, quintum noſtram graviditatis menſem cum morbo finiiſſe, ac embryonem, tantis ſuperatum morbi calamitatibus vita jam gaviſum eſſe, mater licet ſenſu inde minus adficeretur.

Reliquum eſt, ut pauca quædam ex prædictis enata conſectaria ſubjungam. I. Venæ ſectio, quando indicatur, non eſt in Pleuripneumonia negligenda. II. Sperma ceti propter rancorem, quem facillime contrahit, in acutis cautiſſime adhibeatur, immo melius reiiciatur. III. Idem rancidum factum, raucedini & majori pectoris oppilationi anſam præbere poteſt. IV. Vix multis diebus criticis, re imprudenter & imperite principio geſta, impetratur, quod initio faciliori negotio peragi potuiſſet. V. Lotii, ad formandum futura de criſi judicium, inſpectio in acutis prætermittenda non eſt, ab antiquis ſcilicet ſapienter recepta, ac poſtea a ſanis quibuscunque albo calculo notata. VI. Potionum excipiens, ut vocant, ſeu vehiculum, pura eſſe poteſt pluvia, rejectis permultis illis ſtillatitiis, in pharmacopoliis proſtantibus aquis, (d) omnem odorem ac ſaporem, ſi plane ab initio eum habuerint, pauco dierum ſpatio exuentibus. VII. Communiter, rebus bene procedentibus, matutinis horis plus puris, minus pituitæ; veſpertinis autem major pituitæ, minor puris quantitas exſpuitur. VIII. Confortantia in acutis, præſertim periculoſis ac grauibus, ſint ea, quæ æſtum non nimium adaugent, ne inopinato in prodigum ſpirituoſorum & calefacientium uſum delabamur, ac apoplexiam, nervorum rigores, &c. inducamus. IX. Urgente neceſſitate, olea lini & amygd. dulc. rec. & ſine igne expreſſa, multis paraſangis omnia reliqua expectorantia ſuperant. Nec eſt, quod phthiſin (f) inde metuendam habeas, modo doſin opportune varies, eandem tempeſtive imminuas, ſemperque reſolventia ac corroborantia adjungas. V. Variationem medicamentorum, ſymptomata licet morbi eadem permaneant, non nunquam ſuſcipere cogimur, ne ægrotus inſuperabilem quævis verſus remedia nauſeam concipiat. Fieri namque non raro ſolet, ut delicatulæ omni carere medi-

(d) vid. *Obſ. noſtr. in Act. N. C. Vol. IV. pag. 346. ſq.*

(f) quod certe continget, ſi ſolis emollientibus morbum debellare con-

medicina malint, quam eandem potionem, aut linctum, &c. bis terve iterare. Quam ob rem vere Ill. HAMILTON (g) „*multos, non ex inſuperabili morbo, aut Medici inſcitia, ſed* „*remediorum, præcipue reiteratorum impatientia, ſupremum* „*diem obire*, ſcribit. Ita tamen variatio hæc inſtituatur, ut eundem ſemper effectum obtineamus, quem in finem eadem plerumque eſſentialia ingredientia retineri poſſunt, ſi modo color, ſaporue aut odor parum externam ad ſpeciem commutetur. XI. Accedente novo in acutis errore diætetico, primas vias vel biſe, vel alia cruditate onerante, univerſalia iterum præmittenda ſunt, ne ſanguinis moles hacce ſaburra contaminetur, aut novam prior acuta faciem magis periculoſam induat. XII. Serum lactis dulce calide potum bilem optime diluit, in multis vero flatus producit. XIII. Valde incerta ſunt conceptionis factæ ſigna, præſertim quando embryonis, ex quacunque cauſa morbidi ac debilis, compages neque multo eget nutrimento, neque matris abdomen attollere valet. Quibus accidit, ut innumeri errores in hiſce committantur: præſtat tamen, ubi vel leviſſimum ſupereſt dubium, gravia diuretica omittere, leniorem que viam eligere, quam ex inſcitia fœtum immaturum expellere. Quo ipſo hiſtoriæ cujusdam recordor, ubi Medicus quidam ante quatuor fere annos haud abſimilem diu ſcenam luſit. Vocatus is ad uxorem noviter nuptam, quæ paulo ante initum matrimonium catameniis inordinatis laboraverat, jam vero de nauſea, doloribus circa ventriculum, in dorſo & lumbis, ac incipiente demum abdominis inflatione conquerentem, pallidoque vultu gaudentem, miſeram hanc per 6. integros menſes ita quidem excruciavit, ut altera hebdomada venam incidendam, altera vero alvum laxante aperiendam, idque

tendas, recte id docente Celeb. D. D. KRAMERO *Medicin. Caſtrenſ. p. 39.*

(g) de Praxeos regulis. *p. 17.*

idque reciproco curſu, curaret, neque inter hæc veſicatoriis, internisve diureticis parceret, quo menti ipſius infixa ægrotæ cachexia indeque propullulans hydrops fugæ daretur. Ignaram quoque juvenilem conjugem hydropis præſentiæ prorſus convicerat, donec obſtetrix quædam bono omine accedens, rejectis abſonis illis remediis, eorumque loco confortantibus propinatis, haud ita multo poſt, vivum proliceret partum. Quibus auditis, pudibunda facie triſtis e theatro exiit. XIV. Fieri ſæpe ſolet, ut mala præcedentia chronica, adhibitis prius licet medelis efficaciſſimis morem minime geſſerint, ſponte ceſſent, quando gravior aliquis morbus ſuperveniens, facta metaſtaſi, æque cum principe morbo diſcuſſa, perfecte e medio ſublatus eſt, id quod tibiarum ulcuſcula, heic loci ſua ſponte conglutinata, ſatis ſuperque comprobant.

(*Jevera Friſiorum Erfordiam miſſa d. 18. Jun. 1738.*)

OBSERVATIO CXXV.

Dn. D. HENRICI GODOFREDI ZOPFFII.

Ruptura Lienis, mortis ſubitaneæ cauſa.

Illuſtriſſ. Comes, quinquaginta & ſeptem circiter annos natus, temperamenti ſanguinei, & habitus corporis ſucculenti & plethorici, a teneris utplurimum illibata gaviſus valetudine, lauta præterea diæta utitur, neque motus corporis deficit, quippe non facile ulla dies prætermiſſa, qua non vel equo, vel curru vectus, aut alio modo corpus agitaret, venationis inprimis amantiſſimus. Ceterum ſerena & hilari mente nunquam non præditus, quamvis non deeſſent creberrimæ occaſiones, quæ animi tranquillitatem non raro interpellarent. Anno ætatis 38. morbillis correptus, peſſime habuit, & ſuperato morbo, pectoris quendam adfectum retinuit, tuſſi & aſthmate ſtipatum. Anno ſequente vero, uſu thermarum Emſenſium valde adleviatus, poſtea quotannis, eundem, præſervationis cauſa, vernali tempore repetiit, cumprimis, quum adhuc ſæpius, levi ex cauſa, vel tempeſtate turbulenta, vel tranſpiratione impedita, defluxionibus catarrhalibus ad præcordia eſſet obnoxius, aſthmate & tuſſi, cum expectoratione copioſa conjunctis. Tractu temporis hypochondriaco - flatuoſa pathemata his acceſſerunt, inprimis vero in hypochondrio ſiniſtro & regione lienis, tumor notabilis & dolor, tantum non perpetuus, urgebat, concurrente non raro ſubitaneo aſthmate hypochondriaco - ſpaſmodico, cum ſimultaneo ſuffocationis metu, pulſu inſuper tunc magis interrupto, ubi ſimul ſatis accurate Illuſtr. Patiens locum deſignare poterat, quo nexum arctiſſimum ſentiret, tumentis & dolentis ſiniſtri hypochondrii, cum præcordiis, durante illo paroxyſmo aſthmatico. Quamvis ille ex præconcepta opinione, ſolos flatus conſtanter pro cauſa mali accuſaret, & hinc creberrima laxantia adamaret, & mirum dilauda-

laudaret, notabile inde levamen ſentiens, alvo præcipue non raro ſegniori; cum potius noſtro judicio, congeſtiones ſanguineas & præſertim lienis infarctum, hypochondriaco-flatuoſo adfectui jungi, nunquam non adſertum ſit. Ceterum V. Sones non raro inſtitutæ, a multis quoque jam annis, pro potu ordinario, aqua Selterana cum vino Rhenano, vel Moſellano, ſatis notabili copia utebatur, bene quoque comedebat, & cetera ſanus erat. Annuo vero ſpatio, & quod excurrit, ante ejus obitum, vires non ſolum magis decreſcere ſentiebat, cum notabili atrophia ſiniſtri brachii, ſed & motum corporis ægrius perferre poterat, ambulando vel ſcalam adſcendendo mox reſpiratione facta difficiliori. Dolor quoque et tumor hypochondrii ſiniſtri conſtans magis urgebat, aſthma vero hypochondriaco-ſpaſmodicum crebrioribus paroxyſmis, & majori ſimul vehementia recurrebat. Nihilo minus, recreationis cauſa, iter ſatis longum ſuſcepit Illuſtr. Comes, ſimul vero thermarum Emſenſium potationem denuo repetere conſtituit, me quamvis hanc ipſam diſſuadente quam maxime, ob eminentem non ſolum ventriculi atoniam jam præſentem, ſed etiam, quod ante annum in medio hujus curæ conſtitutus, graviſſimum aſthmatis hypochondriaco-ſpaſmodici paroxyſmum, cum momentaneæ fere ſuffocationis metu, jam eſſet expertus. Ceterum finita cura, poſt aliquot ſeptimanas domum reverſus, ſatis bene ſe habere credebatur, poſtero die, more conſueto, curru per urbem vehitur, & lætus hinc rediens, hilari mente cœnæ adſidet, & cetera ſanus viſus, cubitum eundo, ſomno ſe dabat. Summo mane vero derepente aſthmate ingenti corripiebatur cum conſuetis ſymptomatibus, & in primis dolore immani ſiniſtri hypochondrii, tanta quidem cum atrocia, ut brevi inſequentibus totius corporis motibus convulſivis, plenaria ſuffocatio repentinam mortem inferret.

Sectione inſtituta & aperto prius abdomine 1.) ventriculus valde expanſus & cum reliquo inteſtinorum canali, flatibus re-

pletus adparebat, tunicæ vero ventriculi ita extenuatæ, vt horum ſubſtantia vere papyracea dici mereretur, adeo, ut facillimo negotio, vel digito perforari potuiſſent. 2.) Lien ſanguine atro infarctus & in ingentem molem auctus ac valde tumidus, in illa extremitate, quæ epigaſtricam regionem reſpicit ſatis magnam rupturam exhibebat, circumfuſo ſanguine atro, grumoſo, adhuc cohærente, quin & reliqua lienis pars, quoad internam ſubſtantiam, ita deſtructa erat, ut in pultem ex brunno nigram eam converſam magis dixeris, absque ullo tamen fœtore, fibroſi vero & ſolidi parum vel nihil percipi & obſervari ibidem poterat. Et 3.) quod maxime notandum, in cavitate venæ ſplenicæ, quæ portæ ramum poſtea conſtituit, duæ excreſcentiæ vere oſſeæ, magnitudinem granorum hordei exſuperantes, a ſe invicem paulo disjunctæ, arctiſſime vero interiori venæ tunicæ adnatæ, reperiebantur. Vt adeo vel ſola hac de cauſa, iter ſanguini difficilius factum & præpeditum, per venam hanc ſplenicam, remoras & reſtagnationes ſanguinis in liene, indeque ſucceſſu temporis tumorem, ac per intervalla dolorem cum aſthmate ſpaſmodico crebriori, quin & graviori ſtaii, tandem corruptionem & rupturam lienis, cum reliquis ſymptomatibus, immo ipſam denique mortem repentinam, omnino inferre debuerit; cum interim reliqua viſcera ſatis bona eſſent, præter quam quod 4.) in pulmonum ſuperficie innumera tubercula nigra, piſi magnitudine, a ſtaſi ſanguinis ibi facta, conſpectui ſe exhiberent, ex reliqua vero pulmonum ſubſtantia, inciſione facta, loco ſanguinis, ſpuma glutinoſa alba prodibat, leui preſſione ſatis magna in copia effluens.

Scholion.

1.) *Splen ridere facit*, antiquiſſimorum jam Medicorum erat ſententia. Neque omnino eſt de nihilo: cum enim uſus lienis, in attenuando ſanguine, & bilis in hepate ſecretione facilitan-

cilitanda, ſit inſigniſſimus, inde vero non leve momentum, ad conſervandam vitam & ſanitatem dependeat; mirum non eſt, ſi liene bene conſtituto, reliqui corporis vigor quoque reſpondeat, hunc vero, arctiſſimo nexu, mens hilaris atque ſerena ſequatur. Neque etiam negandum, quod morbo laborante liene, plerumque melancholici animi adfectus jungi ſoleant, adeo, ut Melancholiam κατ᾽ ἐξοχὴν morbum ſpleneticum adpellare a vulgo veterum Medicorum, jam dudum uſu fuerit receptum. Nihilominus quotidiana docet experientia, in ſummis melancholicis non raro lienem ſanorum ſimilem, & absque omni labe reperiri, alia tunc de cauſa potius, per ſubſtantiam & poros cerebri, ſanguinis, & præſertim lymphæ nerveæ motu facto difficiliori, manifeſto hinc indicio, quod unius effectus plures eſſe poſſint cauſæ. Contra vero, conſummatos ſæpe ſpleneticos invenies, a quibus tamen melancholici animi adfectus longisſime abſunt. Cujus rei veritas ex relata morbi hiſtoria quoque ſatis eluceſcit. Mens hilaris atque ſerena abunde comprobat, per reliquas corporis partes, in primis cerebrum, liberum ſanguinis & lymphæ, & ſpeciatim ipſius nervoſi fluidi fuiſſe circuitum, motus vero corporis debitus, cum potu diluente ſufficienti, ex parte aliqua defectum reſtituerunt, qui ex morboſa conſtitutione lienis fluebat. Nullus quoque dubito, quin vel ſolis hiſce duobus remediis, infarctus hic lienis, ex voto reſolvi & diſcuti, vel ſaltem per plures adhuc annos triſtis hæc cataſtrophe averti potuiſſet, niſi excreſcentiæ illæ oſſeæ, in vena ſplenica polyporum vices gerentes, omnem medelam eluſerint, cum inevitabili mortis periculo.

2.) Hoc vero magis admirationem movet, qui fieri potuerit, ut hanc rupturam lienis *ſubitanea mors* ſit inſequuta, cum tamen tale viſcus ſit lien, quod non abſolute ad vitam neceſſarium videri poſſet, ſiquidem graviſſimæ ejus indurationes & infarctus, quin & putredinoſæ corruptiones, vita nihilominus ſatis diu ſuperſtite, per multos ſæpe annos geſtentur ab ægrotis,

immo

immo his tandem commoriantur. Ad hæc, experientia & teſtimonio clariſſimorum virorum conſtat, quod mediante ſectione ſtudio ablato liene in homine æque ac in brutis, vegetam nihilo minus vitam agere potuerint, immo fœcunda fuerint ejusmodi ſubjecta. De quo ita ſentio: Operatione dextre inſtituta, exciſo liene, ſanguis alias eo deſtinatus, interceptis nunc viis, ad alias partes defertur, haud ſecus ac poſt amputationem pedis, aut brachii, lymphæ quoque motus alio dirigitur, & nervorum commercium ceſſat, nullaque præterea noxa ex lienis hac abſentia, corpori amplius timenda reſtat, quam quæ ex defectu iſtius attenuationis & præparationis expectanda erat, quæ in hoc colatorio, pro facilitanda ſecretione bilis in hepate, ſecundum naturæ ordinem fieri debuiſſet. Qui vero defectus forſan convenienti diæta, motu & potu inprimis ſufficienti, ut & venæſectione rite adornata in plethoricis, ne de prudenti uſu mineralium aquarum interno dicam, ſatis compenſatur. In ſtatu vero præternaturali & morboſo lienis, corpori adhuc inhærentis, res longe eſt alia. Præterquam enim quod lien, in homine ſcilicet, ſecus ac in brutis, ligamento firmiſſimo, cum diaphragmate, coſtis ſpuriis, rene ſiniſtro, partibusque vicinis, cohæreat gibboſo latere; ita ab interiore quoque ſui parte, per vaſa ſanguifera æque ac lymphatica, ut & nervos ſatis inſignes & copioſos, nec non communi integumento, cum ventriculo, omento, aliisque vicinis partibus, arctiſſimo nexu, communionem habet atque conſenſum. Quodſi igitur, juxta præſentem inprimis caſum per arteriam ſplenicam ſanguis continue ad fluxit, per venam vero ſplenicam debita proportione refluere neſcius, remora poſita notabili, per excreſcentias illas oſſeas, præter naturam in cavitate venæ iſtius repertas; neceſſe erat in viſcere hoc lienis, congeſtionem & coagumentationem ſanguinis creberrimam, cum reliquis ſymptomatibus, excitari, modo majori, modo minori vehementia atque duratione conjuncta, prout inter adfluxum & refluxum, major minorve inter-

intercederet proportio, diverſa in primis ſanguinis conſiſtentia & ſpiſſitudine non raro concurrente, ne dicam de ſpasmis & flatulentia crebra, ipſaque cacochymia, ex ventriculo mirum quantum extenuato facile judicanda, remoram hanc, ſeu ſtaſin ſanguinis, haud parum quoque modificantibus. Cum vero ſucceſſu temporis, ex crebriori congeſtione tonus lienis valde debilitaretur, laxior fieret, ſtaſis quoque ſanguinis, ſegniori motu lentorem ſimul contrahentis, ibidem aucta, & infarctu diſtenſa, mirum quantum extenuata atque attrita, donec tandem fortiori aliquando oborto ſanguinis adpulſu, deperdita jamiam omni elaſticitate & renitentia, facili negotio ruptura lienis, cum momentanea ejusdem necroſi, conſequeretur. Quibus omnibus ita contingentibus mirum non erat, quod nervi non ſolum ſplenici, per intima viſceris numeroſiſſimis propaginibus diſſeminati, violenter vero rebus ſic conſtitutis, ſimul diſtracti, in ſpasmos dolorificos agitarentur; ſed & vicinæ partes, diaphragma inprimis, & præcordia, ut & reliqua viſcera connexa, cum univerſo tandem ſyſtemate nervoſo, in conſenſu tracta ſint, ut adeo cum aſthmate ſpasmodico, graviſſimi motus convulſivi totius corporis, non poterant non oboriri, usque dum, ruptura lienis facta, ſimultanea ſpasmorum relaxatio, cum plenaria atonia, immo ipſa mors repentina, preſſo pede ſit inſequuta. Quæ omnia, abſente prorſus liene, ut & ſcirrhoſa ejus induratione, aut corruptione ulceroſo-putredinoſa præſente, non æque facile timenda fuiſſent.

3.) Porro animadverſione dignum eſt in caſu præſenti, quod, licet per ſe veritati maxime ſit conſentaneum, *motum & potum* optimam corporis eſſe medicinam, immo in curatione adfectus hypochondriaci, & ſplenetici in ſpecie, omnem abſolvere paginam, adeo, ut hiſce neglectis, ſexcenta martialia, aperientia, ſalia digeſtiva & reliqua omnia

incaſſum adhibeantur; nihilo minus ſumma circumſpectione & limato judicio opus ſit, in ſalutari atque proportionata horum adornatione. *Motum* quidem corporis quod in ſpecie concernit, videas non raro praxin medicam exercentes, qui in omnibus fere morbis & quibusvis corporis adfectibus, nullo ætatis, virium, aliarumque circumſtantiarum habito reſpectu, motum corporis imperant, ejusque neceſſitatem, pleno ore, prædicant commendantque ægrotis. Quis vero adeo hebes eſt judicio, qui noſtro in caſu noxam non agnoſcat, quæ motu corporis, ſatis etiam mediocri, facile timenda erat. Cum enim motum corporis ſanguinis quoque per vaſa citatior curſus ſequatur, omnino etiam hic adpulſus ſanguinis major ad lienem, inevitabilis erat. Quoniam vero recurſus ſanguinis proportionatus per venam ſplenicam ab excreſcentiis oſſeis, ibidem obortis, retardabatur, ſimul vero chronicus jam infarctus lienis præſens fuerat, utique propterea, motu corporis & ſanguinis, quocunque modo citatiori facto, facillimo negotio malum exaſperari & irreparabile damnum inde parari, immo mors ipſa accelerari poterat. Id quod etiam cacheticis confirmatis, hydropicis, phthiſicis & hujus generis aliis certiſſime valet, immo de ipſis etiam plethoricis, quos leviori quandoque motu, quin vel ſolo capite paulo decliviori facto, apoplecticos concidiſſe, & derepente mortuos eſſe, plus ſimplici vice expertus ſum. Ut adeo ſumma prudentia & exacta dijudicatione opus ſit, in determinando gradu motus proportionato, prorſus ſpecifico, ad vires ægroti reliquasque circumſtantias & præſertim temporis ratione, dimetiendo.

4) Nec minus de *potu* quædam monenda eſſent. Per plura retro ſecula vix unquam aquæ potus, ſimplicis æque ac mineralium aquarum, in tanta inter Medicos exiſtimatione, tamque frequenti in uſu fuit, quam quidem noſtro hoc ævo, poſtquam Illuſtr. HOFFMANNUS inprimis alter

hujus

hujus ſeculi *Hippocrates*, ſuis dogmatibus, longe clariorem lucem doctrinæ aquarum, præſertim mineralium, adfudit, harumque uſum eximium in Praxi Medica, aliorum quoque celeberrimorum Medicorum ſuffragio, experientia & ratione abunde comprobavit. Hoc unicum ſaltem dolendum, quod non pauci *Hoffmanniana methodo* praxin medicam exercentes, *Hoffmanniano judicio practico & diſcretivo* deſtituantur. Inde vero, cum irreparabili ægrorum damno ingentes errores in praxi committuntur. Innumera mihi nota ſunt exempla eorum, qui, debiliori tono ventriculi jam præſente, re male dijudicata, aquarum potu, etiam mediocri, tam ſimplicis, quam mineralium, in ſummam inciderunt perniciem, multo magis, ſi copia ſimul & diuturniori uſu peccetur, junctis quoque non raro, ut fieri ſolet, crebrioribus purgantibus. Et unde quæſo magis derivaſſes ſtupendam illam expanſionem & extenuationem tunicarum ventriculi, in præmiſſa hiſtoria, quam ex abuſu aquarum mineralium, per plures annos, in una ſerie continuato, non omiſſis quoque ex falſa hypotheſi, crebrioribus laxantibus. Haud infrequens enim eſſe ſolet alvi ſiccitas atque ſegnities, iis, qui aqua ſimplici, immo ipſa Selterana quandoque, cum vel ſine vino, pro potu ordinario utuntur, quæ tamen ſegnities alvi, ſtatim remittit, quam primum ad potum fermentatum cereviſiæ redeunt, haud obſcuro indicio, liquores gaſtricos, & bilem inprimis ipſam, iſtiusmodi ſubjectis per ſe jam forſan parciorem, mitioremque, potu tali aquoſo, nimium dilui atque diſtemperari, indeque fermentativa ſua virtute & ſtimulante hoſce liquores magis privari & defraudari qua digeſtionem, alvique egeſtionem promovere antea debuerant, laxiori ſimul ventriculi & inteſtinorum tono relicto; cum interim adhibita, hoc in caſu, crebriora laxantia, tanto certius robur ventriculi, cum opere digeſtionis, irreparabili damno deſtruunt

atque pervertunt. Nihilo minus abuſus non tollit uſum, & manet ſua laus potui aquoſo fontibusque ſoteriis, immo laxantibus ipſis, dummodo ſubacto & circumſpecto judicio omnia dirigantur.

(Greiza Erfordiam miſſa d. 10. Jul. 1738.)

OBSERVATIO CXXVI.

Dn. D. JOH. JACOB. TREYLING.

Vagina entero-morpha per anum excreta.

Fæmina ruſtica villiciin prædio, clericis in commune viventibus Ingolſtadii proprio, uxor 60. circiter annorum temperamenti atrabiliarii, a quinque prope annis interpolatis doloribus colicis, ſpasmis flatulentis, alvique conſtipationibus moleſtata, hoc tandem anno 1738. ad initium Novembris alvum exoneratura ſenſit ſæpius extra monoculum craſſam quandam ſubſtantiam prominere, quam, quia procidentiam eſſe ani ſuſpicabatur, iterato repoſuit, & ob difficultatem dejiciendi a balneatore rurali proximo ter clyſterem admiſit, quo factum, ut illud præternaturale membranaceum longius excidens in conſpectum venerit. Maritus rei novitate territus 4. d. m. ex urbe noſtra Joannem Baumann Chirurgum haud inidoneum vocari jubet, qui mox, ac advenerat, excretam videt vaginam excrementis turgidam in vas ſuppoſitum excretam, inteſtinum colon ex aſſe referens, & a fæcibus alvinis repurgatam, inflatamque ulnam unam cum dimidia Bavarica ſeu digitos Pariſinos 48. longam, ægra nihilominus a torminibus priſtinis liberata, & in hunc usque diem quo hæc ſcribo, ſuperſtite. Vaginam hanc ad me delatam mox microſcopii ſcrutinio nunc ſiccam, nunc aqua emollitam ſubjeci, ſed, quamvis figuram inteſtini coli cum valvu-

valvulis conniventibus adæquaret, nullus tamen potui, aut vaſa ſanguifera, aut fibrarum tractus detegere; nihil enim aliud, quam ſimplex lamina valde tenuis, & homogeneæ velut ſubſtantiæ, ſimillima illi, quæ ex Ichtiocolla in gluten reſoluta, & ſupra marmor politum, aut tabulam vitream extenſa, & arefacta oritur, apparebat.

Scholion.

Magnus mihi erit Apollo, qui hujus concreti p. n. originem, geneſin, materiam, & excernendi modum, & occaſionem ita in apricum deduxerit, ut intellectus ſciendi avidus ex toto ſatiari queat. Id ſaltem, ſi quid ſalvis melius ſentientium judiciis divinare licet, mihi veriſimillimum videtur, materiam illius aliud non eſſe, quam mucum inteſtinalem, acido-auſtero in hac ægra prædominante plus ſolito coactum, qui tunicæ villoſæ adhærens ſucceſſive totum coli canalem ab intra inveſtiens, & ob intemperiem calido-ſiccam, motumque periſtalticum hebetatum magis inſpiſſatus integram vaginam efformavit: quæ dein occaſione motus ſpaſtico-torminoſi ingraveſcentis quoad unam illius extremitatem ab inteſtino avulſa, pedetentim ſui exrcetionem molita eſt, non ſine manifeſto ſuperum favore adminiculante, quem miſercula, cum atrociſſimis dejiciendi conatibus colluctata, ardentiſſimis precibus, & votis ad abigendum hunc infenſiſſimum hoſtem ſibi conciliaſſe, firmiter perſuaſa eſt. Parallelum huic exemplum eſt, quod ſequitur, & pertenue meum ingenium haud modice hucusque fatigavit.

OBSERVATIO CXXVII.

Dn. D. JOH. JACOB. TREYLING.

De cannulis cartilagineo - formibus per alvum excretis.

Vir venerabilis, & animarum paſtor zeloſiſſimus N. N. ſymptomatibus hypochondriaco flatulentis, & præcipue dolore in regione lienis nunc obtuſo, nunc lancinante torminali per plures annos vexatus pharmacis haud paucis meo ex conſilio methodice, ſed exiguo cum ſucceſſu adhibitis tandem poſt uſum apozematis laxativo - lubricantis cum ſumma difficultate, & diris torminibus per alvum rejecit cannulam unam perforatam digiti indicis craſſitie, & longitudine, alteram breviorem; tandem breviſſimam, eamq; per longum dimidiatam, ſeu diviſam, omnes coloris uniformis, & perlati (quaſi porcellaine) atque ſubſtantiæ cartilaginea paulo mollioris: unde mox ſymptomata dolorifica maximo ægri ſolatio, nec minori mea cum admiratione ex toto remiſerunt, reliquo, quo illum novi, tempore neutiquam recidivantia. Si quis ex me cauſam, materialem, & geneſin hujus concreti ſciſcitetur, a prioris conjectura alienum non habebit reſponſum, in quo ſi erravero, a perſpicacioribus aliter doceri, non recuſo. Interim rarum quidem hunc caſum, non tamen inauditum arbitror, cum huic valde genuinum recenſear Fernelius Patholog. Lib. VI. cap. 9. de Legato Caroli V. Imp. qui poſt enormes dolores in abdomine tandem toto ſexennio adhibitis clyſteribus, aliisque emollientibus *durum, ac firmum quippiam, medio ductu pertuſum pedis longitudine excrevit, & inteſtini portionem eſſe credidit*, usque dum continuatis clyſteribus, rurſusque excreta ſimili materia priſtinæ valetudini reſtitutus fuerit.

OBSERVATIO CXXVIII.

Dn. D. JOH. JACOB. TREYLING.

Plurimorum calculorum congeries in veſica urinaria.

Frater laicus Soc. JESU, 74. annorum ab aliquot annis nephriticus, pluribusque piſi majoris magnitudine calculis cum urina excretis, tandem doloribus indies in immenſum adauctis, accedente penitiſſima lotii retentione, lethargicus ultimum diem obiit. Inciſa poſt mortem veſica, mox apparuit globus ſubſtantiæ velut gypſeæ, friabilis, & quoad colorem terram tripolitananam mentiens, ponderis unciarum IX. cum ſcrupulis quatuor, qui dein in calculos majores octodecim, & viginti quatuor minores diſceſſit. Pauca, quæ ſimul inerat, urina aquam calcariam turbidam referebat.

OBSERVATIO CXXIX.

Dn. D. JOH. JACOB. TREYLING.

Calculus in rene ſiniſtro, & plures alii in veſicula fellea.

Ejusdem ante dictæ inclytæ ſocietatis Reverendus & pientiſſimus Pater N. N. jam ſeniculus, & valetudinarius tandem ob lapſum ex equo demortuus, & quia a longo tempore in regione lienis dolorem obtuſum & gravativum ſenſiſſet, poſt mortem cultro anatomico ſubjectus, mirum foro medico præbuit ſpectaculum. Imo enim in rene ſiniſtro calculus ℥iß. ponderans & quoad colorem, & figuram radicem zingiberis exacte referens, duriſſimæ ſub-

ſtantiæ

ſtantiæ firmiterque reni innatus fuit inventus. 2do. Cum vir fuiſſet manſuetiſſimus, cui nulla (uti in proverbio loquimur) erat bilis, & eapropter de veſiculæ felleæ conditione inquirendi curioſitas inceſſerit, hæc omnino turgidam ſe, non quidem fluida bile, ſed globo calculoſo ℥iiß. ponderante repræſentabat, qui globus extractus in ſexaginta minores calculos obſcure flavos, friabiles, ſingulos pentaëdros, & ℈j. ponderis æquantes diſceſſit.

OBSERVATIO CXXX.

Dn. D. JOH. JACOB. TREYLING.

Scrotum immaniter auctum ſcirrhoſo-ſcro-phuloſum.

Truculentus Planeta Mars eſt, truculentior, ſi cum Venere conjungitur, & in propria ſævit viſcera. En exemplum! Gregorius Bergmayr militiæ Bavaricæ eques 36. annorum utroque ſub planeta ſtrenue militans in gonnorrhæa a chirurgo caſtrenſi amethodice tractatus, penem ulcere peſſimo corruptum ipſiusmet cultro uſuali ad pubem usque præcidit, obviisque proximis emplaſtris vulnus conſolidavit, ita ut ſtipendia militaria iterum mereri, & urinam libere, etiam cum ſaltu, mittere potuerit. Contigit autem, ut quondam latiorem foſſam equi aſſultu ſuperaturus, ſcrotum ad ephippii nodum illidendo graviter contunderet, ex quo id pedetentim præter enormes dolores inſigniter intumeſcere, inflammari, tandemque ob ineptam tum barbitonſorum, tum anicularum tractationem ad plus quam duorum pugnorum craſſitiem adauctum (vid. figura Tab. VI.) ſcirrheſcere, & ſalvo licet cutis colore in varias plicis hinc inde profundioribus diſtinctas ſcrophulas, quaſi tot ſteatomata (quorum materia poſt ſectionem apparuit)

paruit) abire, & indureſcere cœpit. Ille tandem doloris impatiens, & imminentem cancrum haud temere metuens, operatorem circulantem fortuito convenit, & ab eo, cum aliis remediis actum non male crederet, extirpationem ſcroti ſollicitat. Hic re inſpecta, hujusque novitate attonitus, nec auſus rem periculo plenam aggredi, illum ad me ablegat, quid ſentirem, exploraturus. Inſpexi miſerculum, &, cum cæteroquin vegetus, athleticus, & cordatus eſſet, ultroque ſub ſpe vitæ deinceps commodioris, aut mortis hac vita miſera jucundioris, ſectioni ſe ſubmittere non horruiſſet, omnino ſuaſi hanc aphæreſin cum ea operatori transmiſſa inſtructione, ut omnium primo inciſionem prope futuram per medium ſcroti perpendicularem faceret, experturus, quæ teſticulorum, qui adverti non poterant, eſſet conditio, tunc totum tumorem filo ligaret, & caute reſcinderet. Factum id feliciter, intactis ad inguina retruſis, & naturaliter conſtitutis teſticulis, quos, cum poſt triduum ad illum locum quadrihorio hinc diſtinctum, in quo degebat patiens, negociorum cauſa delatus, nudos conſpexiſſem, juſsi operatorem, ut ligatis vaſis ſpermaticis utrumque utpote jam dementulato, & propagationi inepto ſuperfluum, curationi autem moram, & gangrænæ periculum minitans, pariter amputaret; ex quo vulnus balsamico travmaticis a me ſuggeſtis intra 4. ſeptimanarum curriculum integre coaluit, ita, ut mox ſine omni incommodo iter pedes ad me facere, atque cum gaudio & gratiarum actione mihi ſe reſtitutum (ſi ita perdita virilitate loqui fas eſt) lotiumque mediante cannula infundibuli formi ſicut antea libere reddentem, ſpectandum præſentare potuerit.

Figuræ explicatio.

1) Foraminulum urethræ a pene amputato relictum.
2) Teſticuli ad inguina retruſi.
3) Scrotum ſchirrhoſo-Scrophuloſum.

OBSERVATIO CXXXI.

Dn. D. JOH. JACOB. TREYLING.

Lac in mammis puellulæ vix natæ, & quæ vix trimula menſtruata fuit.

Quatuor abhinc luſtris in publica diſputatione academica inter alia, etiam hoc parergon ventilandum typis expoſui : *Filiam ex Patre ſuo concipere poſſe ſalva utriusque conſcientia, principiis, & exemplis Medico-phyſicis demonſtrari poteſt, non adverſante Theologia morali.* Quæ ſententia, velut inaudita falſa & ſcandaloſa haud paucos rei inſcios, & præprimis Facultatis Theologicæ Patres adeo offendit, ut parum abfuerit, quin eam expungere fuiſſem coactus, niſi, quod ſubfuit, myſterium & ænigma explicatius enodaſſem ; indubitatum enim eſt, filiolam recens natam, quae (V. Diſſertatio Cruſii Coloniæ Agripp. edit. 1717.) tertio nativitatis die aliam digiti annularis longitudine vix majorem filiolam una cum vita ſub enormi vagitu excluſit, aliunde concipere non potuiſſe, quam (licet ſine inceſtus crimine) a patre ſuo, cujus ſolito efficacior ſpiritus prolificus non illud tantum filiolæ matris ovulum, ſed & neptulæ ovulum, in ovariolo matris filiolæ incluſum, & præter naturæ ordinem præcox fœcundavit, & in actum evolutionis deduxit : quod & in aliis animantibus, plantisque non raro contigiſſe, pleni loquuntur codices V. Malpighius, Borellus, Bartholinus, Kircherus, & noſtræ ephemerides, uti & la clef du cabinet ad annum 1712. &c. ubi de pluribus hujusmodi præcocibus ſuperfœtationibus (improprio ſit venia verbo) legere datur.

At non minus inter caſus rariores locum meretur lac in mammis neonatorum tum maſculorum (qualia exempla vid. in Cardani lib. 12. de ſubtilitat. & in Ephemeridibus N. C.) tum fæmellarum (vid. Joachim Camerarius de illuſtr. Medic. exemplis.

plis. Item Ephemerid. N. C. Dec. I. ann. VIII. obſerv. 86. D. II. ann. X. obſ. 144.) deprehenſum, quibus merito annumerandum venit ſequens exemplum.

Virgo nobiliſſima Officialis bellici non invenuſta filia annum nunc agens 20. affirmante illius matre, honeſtiſſima, & fidei haud ſubleſtæ matrona, vix nata e mammulis ad ovi anſerini dimidiati magnitudinem turgidis, & leviter compreſſis copioſum lac profudit, imo quaſi per ſaltum ejaculavit, hoc fonte lactifero ad plures dies continuato. Neque hoc ſolum. Hæc ipſa Virguncula annum tertium vix egreſſa catameniorum non indicium modo, ſed pro ratione ſubjecti proportionatum experta eſt ſtillicidium, ſtupente illius loci (Lucimburgi, ubi tunc cum parentibus degebat) Medico - Ordinario haud incelebri, qui incuriæ infantis frictioni, aut alii cuidam violentiæ externæ hanc hæmorrhagiam adſcribere non dubitavit, usque dum & altero, & tertio & ſequentibus menſibus ad 14. ætatis annum ordinate hæmorrhuſam deprehendiſſet. Poſt inducias dein hujus tributi lunaris biennales legitime, ſed valde temperanter recurrerunt menſtrua. Quo autem præcocior in hoc ſubjecto fuit & lactis, & menſium proventus, eo ſegnior, & difficilior fuit natura in expellendis variolis, quibuscum hoc vigeſimo ætatis anno, me curam illarum dirigente, ſatis laborioſe, at felici tandem eventu conflictabatur, nunc optime valens.

OBSERVATIO CXXXII.

Dn. D. JOH. JACOB. TREYLING.

Hydrops Ovarii.

Matrona nobilis N. N. P. P. uxor honeſtiſſima fæcunda, plurium prolium parens, 42. circiter ætatis anno ſucceſſivam abdominis infra umbilicum perſentiſcit intumeſcentiam æqualiter extenſam, bene cæteroquin quoad actiones

 vit-

vit-animales ſe habens, & rite ad menſes aliquot menſtruata. Gravidam mulierculæ cum Medico ordinario ad menſem usque 5tum & 6tum ſuſpicabantur. Verum nullo tunc ſubſecuto ſenſibili fœtus motu, nulloque alio hydropis ſigno præſente, ſuſpicio de mola in utero latente ſuboritur. Nihilominus ſub hac incertitudine tempus partus, imo etiam, quia a catameniorum emanſione, quæ plus minus, licet erratice adhuc dum fluxerant, duodecimus exſpectatus menſis, increſcente indies abdomine, ſine alio notabili (ſi pondus abdominis aggravans excipias) ſanitatis incommodo. Tandem ab ordinario adornatur, neſcio quæ, curatio, & D. Patiens ad Balneum minerale ablegatur: ſed incaſſum omnia. Exacto inter hæc biennio quodam die inopinatim commotione febrili cum repentino virium omnium lapſu, & ardente circa inguina dolore intrinſeco corripitur. Medico ordinario tunc ægrotante illo adhuc veſperi ego accerſitus, febrem hanc eſſe inflammatoriam haud invanum ſuſpicatus, & de iis, quæ præceſſerant, antea jam privatim edoctus, peſſima quæque ominans, ut ſine mora animæ ſaluti D. Patiens conſuleret, urgeo, & quidem opportune; omnibus enim ad viam æternitatis rite diſpoſitis circa meridiem alterius diei accedentibus convulſivis motibus pie in Domino abdormiit. Impetrata a Domino Marito facultate in præſentia utriusque D. D. Phyſici præſidiarii, & Civici, numeroſæque Auditorum Medicinæ coronæ abdomen aperiri jubeo: & en! remotis integumentis cum peritonæo nulla in conſpectum prodeunt inteſtina, occultata nimirum ſub ampliſſimo ſacco hydrophoro, pulvinaris in morem viſceribus a ſterno ad pubem usque incumbente, qui ſacci ſitus probabiliter ob corpus reſupinum talis erat, neutiquam in erecto, in quo tumor ad pubem, inguina, & ilia magis dependebat. Ampliato igitur per ſectionem integumentorum hiatu, totus ſaccus ſponte ſua loco-motus, & pondere ſuo extra abdomen prolapſus, ruptusque, adſtante chirurgo a ſummo ad imum usque commaculato, plusquam ſex menſuras

civiles

civiles id eſt, 18. libras ſeri e flavo albeſcentis effudit. Indagans in radicem ſeu petiolum prægrandis hujus (ut ita compellem) cucurbitæ lagenariæ, hoc tenue velut ligamentum uteri dextro lateri ſine ullis aut ovarii, aut tubæ Fallopianæ, alæve veſpertilionis veſtigiis relictis adnatum deprehendi. Apertus hinc per longitudinem ſaccus verſus radicem admodum gangrænoſus ſex diverſæ magnitudinis, maximam nempe ovum gallinaceum, minimam vero baccam lauri adæquantes veſiculas liquore partim e bruno flaveſcente, partim perlato ſubpellucido, qualis humor oculi vitreus, omnino turgidas exhibuit, quæ an hydatides, an ovula æquali fato diſtenta fuerint, ſphynx oedipo; mihi tamen poſterius probabilius videtur. Viſcera reliqua ſine alicujus ſtatus præternaturalis indicio ſe habebant: imo & ad ſiniſtrum uteri latus Tuba Fallopiana cum ala veſpertilionis, & ovario, inque hoc tria ovula manifeſte conſpiciebantur.

OBSERVATIO CXXXIII.

Dn. D. JO. JACOB. TREYLING.

Gemellæ mediantibus oſſibus coccygis ſibi invicem connatæ.

Inter innumeros gemellos, quos in utero ſibi adinvicem connatos aberrans natura hucusque in lucem protraxit, vix alii, qui faciliori diæreſi ſeparari potuiſſent, inventi ſunt, quam illæ gemellæ, quæ anno 1700 in pago quodam carnioliæ Vagloch ſ. Vogloch, germanis Kolndorff, nomine, vivæ in auras prodierunt.

Hæ Viennam delatæ ab audaculo chirurgo contra Virorum doctiſſimorum, haud vanis ex rationibus ſectionem ſuadentium, aſſenſum, applicato cauſtico medicamento, quo illas a ſe invicem ſe jungere intenderat, convulſæ quarto ætatis menſe e vivis exceſſerunt. Aperta illarum corpuſcula quoad omnes partes ſecun-

cundum naturam conſtituta, & perfecta aperuerunt, exceptis utriusque oſſibus coccygis, quæ in extremitatibus ſuis ſibi invicem connata vnum quaſi oſſiculum conſtituebant, ita ut recta ambarum inteſtinula in ano unum ſolummodo monoculum efformarint, atque ideo per ſectionem facillima, minoreque ſaltem cum vitæ periculo diviſio fieri potuiſſet.

OBSERVATIO CXXXIV.

Dn. D. JOH. JACOB. TREYLING.

Partus veſicularis.

Cum anno 1705. Viennæ praxin Medicam exercerem, 25. Mart. a. c. me ſpectante ad domum fundationis, quæ a fundatore Dn. Pillot, Cæſaris quondam Archiatro, nomen habet, afferebatur moles veſicularis duorum pugnorum magnitudine recens a muliere quinto circiter menſe, uti credidit, prægnante, excluſa, quæ in conglobatione millenarum veſicularum diverſæ magnitudinis (quarum majores uvæ acinos, minimæ piſa ordinaria non excedebant) in formam botri ſingulis radiculis ſeu vaſculis nutritiis ſibi invicem coadunatarum, & humore ſeroſo-limpido ſubflavo, & gelatinoſo turgentium, una cum aliquot fruſtillis carnoſo-ſanguineis molæ formibus conſiſtebant. Vah inacceſſa Naturæ penetralia! Illi profecto, qui illimitatam, & vix non creativam, ex informi materia quemcunque organismum efformandi energiam animæ rationali audacter attribuunt, aut potius affingunt, me exſibilare non verebuntur, ſi dixero, hanc, & ſimiles ſæpius obſervatas, & in noſtris quoque Ephemeridibus hinc inde recenſitas monſtroſo-veſiculares fœturas aliud non fuiſſe, niſi ovulorum ovula, ſpiritus prolifici miro, prodigo, ſimultaneo, & præmaturo energiæ impetu actuata, evoluta, ſed ob præpetem ſuperabundantis

tis lymphæ nutritiæ affluxum deſtructis ideatorum organorum rudimentis in hydatides efformata ; in qua opinione me confirmat exemplum ab artificiali multiplicatione frumenti deſumptum ; conſtat enim (teſte Duc de Vallemont la multiplication du bled) hujus frumenti grana arte magis, quam conſueto naturæ robore multiplicata, ſterilia, & ulteriori proſeminationi prorſus eſſe inepta, clariſſimo argumento, omnes ideas ſeminales in grani matris germinibus reconditas, & in annos plures de generatione ad generationem ſuffecturas, atque ſucceſſive evolvendas, ſpirituoſo - nitroſo - æthereo artis menſtruo, ſeu fermento uno velut impetu præcociter vivificatas, extricatas, & in actum ſecundum eſſe eductas. Huc ſervit præcox illa arborum pullulatio, & fructificatio, quam ante paucos annos clar. Dn. D. Agricola erudito, & dendrophilo orbi expoſuit ; experientia enim docuit, tales arbores Artis naturæ ſimiæ magiſterio eo quidem perductas fuiſſe, ut præmaturæ grandeſcerent, florerent, & fructus præpingues ferrent, ſed præmature quoque mox altero aut tertio anno ſterileſcerent, & paulo poſt exiguo hortulani ſolatio demorerentur. Quo etiam faciunt, quæ paulo ante pro introitu ad obſervationem CXXXI. pag. 442. annotavi.

Hæc tamen opinio mea cui, velut paradoxa, minus placet, Illi, ſi in re ſat intricata clariorem attulerit explicationem, lubens herbam porrigere non detrectabo.

(Ingolſtadio Noribergam miſſa.

OBSER-

OBSERVATIO CXXXV.
Dn. D. JO. GEORG. HASENEST.
Autocratia naturæ miranda, ren dexter in totum conſumtus.

Ex Naturæ errantis culpa nonnunquam unicum ſaltem renem, nonnunquam etiam tres in corpore humano repertos fuiſſe, docent diverſæ obſervationes; conſumtionem autem renis, utplurimum dextri, vitæ innoxiam, deſcribunt *Ephemerid. Nat. Curioſ.* & quidem *Dec. I. Ann. I. Obſ. 64. pag. 141.* ubi ren dexter conſumtus notatur, & loco illius maſſa quædam fœtidiſſima, viginti duarum unciarum pondere, pure tota impleta, & quam plurimis membranis provido conſilio a Natura formatis, circumvoluta. Sic quoque *Dec. III. Ann. IV. Obſ. 73. pag.* refertur, renem dextrum ex tenaciſſimarum membranarum tegmine evolutum, omni parenchymate deſtitutum, in pus, butyri ad inſtar ſciſſile, membrana nuda obtectum, abiiſſe; pariter etiam *Ann. IV. & V. Obſ. 143. pag. 297.* fruſtum renis, digiti minoris inſtar, cum urina ſub vehementiſſimis doloribus excretum fuiſſe, indicatur, ſicuti tandem *Cent. VIII. Obſ. 22. pag. 285.* ren dexter atrophia correptus, ob cavitatem internam magnam burſam vacuam repræſentans, ſiſtitur. Renem autem dextrum penitus cum involucris, parenchymate, vaſisque emulgentibus conſumtum & ſub puris & ichoris forma per ulcus externum, relicto interius callo, excretum, ſequens Caſus docebit.

Illuſtriſſima quædam fœmina, quinquageſimo ſecundo ætatis anno beate demortua, 13. annis ante obitum laboravit in dextra lumbari regione apoſtemate, usque ad rupturam per integumenta communia exterius verſus factam.

diu & atrociſſime dolente, fluxuque purulento ultra annum durante, quod denique adeo firmiter ſine artis miniſterio coaluit, ut ne minimum ichoris exſudarit, multo minus ægrotans ullum dolorificum ſenſum illa regione amplius perceperit; e contrario mox fluxus menſtruus degenerabat in ἀταξίαν, molimina hæmorrhoidalia jungebantur cum fluxu cruento inordinato, ſucceſſive ſuborto ſtatu corporis cachectico, accedentibus una conatibus vomitoriis matutinis, œdemate pedum, & ultimo vitæ anno conſumtione virium & carnis, adſurgente inſimul pedum tumore, ad genitalia & abdomen usque, nec non eodem ſe in brachium dextrum denique extendente; ſub quibus periculoſis ſymptomatibus aſthma præcipue nocturnum indies auctum, torpor & motus ſuccuſſatorio - convulſivi capitis, hæmorrhagia narium cruento - ſeroſa præſagium triſtiſſimum mortis proximæ edebant, eaque etiam proh! dolor, poſt prægreſſas leviores & breviores totius corporis convulſiones cito fuit matutino tempore ſequuta.

Sub anatomica dein ſectione, gratioſe mihi conceſſa, ſequentia inprimis obſervabantur notabilia:

I. Cor ſumme validum, inſtar cordis viri robuſtiſſimi, nihil prorſus præternaturale monſtrabat; in pericardio vero major, quam quidem alias occurrere ſolet, aquæ quantitas deprehendebatur.

II. Cavum pectoris dextrum ultra menſuras duas in ſe continebat ſeri acrioris, apices digitorum cito corrugantis.

III. Pulmones collapſi, pituita tenaci pleni, albi, vaſaque eorum ſanguine atro infarcta.

IV. Ventriculi fundus unacum inteſtino duodeno & jejuno, nec non parte peritonæi, firmiſſime reni ſiniſtro adnexi, erat inflammatus, integerque inteſtinorum canalis adeo arctus, ut vix infantis inteſtina æquarit.

V. Lien quoad integram ſubſtantiam marcidus & corruptus.

VI. Hepar debitam magnitudinem adeo ſuperabat, ut non ſolum verſus hypochondrium ſiniſtrum usque ad lienem, ſed ad os ileum usque ſeſe extenderit, huicque firmiter cum extremitate lobi adnexum fuerit, immo quoad regionem convexam cum integumentis externis, quoad concavam cum inteſtino cœco arctiſſime coaluerat, vixque ope cultri anatomici, leviſſima etiam manu adhibiti, ſine læſione hujus vel illius partis ſeparari potuerit, gibboſa, vel convexa, ejusdem parte hinc illinc ſimul ſcirrhoſa ad parente.

VII. Ren dexter, adhibita omni diligentia & evolutis omnibus partibus, alias cum eodem connexis, non erat inveniendus, ſed potius ejus loco ſubſtantia alba calloſa, ulceri olim præſenti externo lumbari oppoſita, ſumme tenax & quaſi tendinoſa, cum lobo hepatis, integumentis externis & inteſtino cœco firmiſſime connexa conſpiciebatur, ut adeo ne ſignum quidem præſentis quondam renis, ſi calloſam illam portionem & ejusdem cohæſionem cum partibus dictis arctiſſimam excipias, deprehendi potuerit.

VIII. Reliquæ partes contentæ ratione ſitus & conſtitutionis optime ſe habuerunt. In caput ipſum, reliquasque partes pariter inquirere, neque temporis ratio, neque modeſtia conceſſere. Interim ex hac inſpectinoe patet, quantum poſſit Natura optima medicatrix: Quis enim Medicorum audebit læſionem vaſorum emulgentium curare & effuſum inde ſanguinem removere? quis non horum læſiones pro abſolute lethalibus declarabit? & tamen natura eorum, una cum integro rene, conſumtionem promovit, curavit.

Profecto, veriſſimum eſt proverbium illud: Medicus eſt Naturæ miniſter non magiſter. Quod ergo & quantos præ-

præſtaret in dies Natura effectus ſtupendos, niſi Medici quidam adeo tumultuario ac temerarie medicamentis ſuis prorſus incongruis ejusdem ἀυτοκρατίαν inverterent, ac ſalutares quoslibet ipſius motus & intentiones frivole negligerent. Multi equidem Medici arcanis inveſtigandis jam olim inſudare ſueverunt, & adhuc ſolent, ſed fruſtra, quia id unicum Medici eſt arcanum efficaciſſimum, ſi naturæ vires, intentiones & motus rite explorare, eandem a debito tramite deflectentem, in rectam viam reducere, & in hac conſervare noverit, ſique tandem in viſceribus occultis operoſa fuerit, prudentem potius ſpectatorem, quam periculoſum & noxium actorem ſe ſe monſtraverit.

OBSERVATIO CXXXVI.

Dn. D. JOAN. GEORG HASENEST.

Remedium alterans Mercuriale Plummerianum, ceu ſpecificum in ulceribus cocœtheis, aliisque caſibus ex humoribus impuris viſcoſo tenacibus oriundis.

VIr quidem Illuſtris & Generoſiſſimus 41. annorum ſanguineo cholericæ conſtitutionis, robuſtus, Aulicæ & militari vitæ deditus, hincque diæta non adeo exacta utens, febre tertiana in caſtris Rhenanis Anno 1735. invadebatur qua ſopita accepit Menſe Novembris dicti anni ex puſtula ichoroſa ulcus depaſcens profundum, ichore flavo madens, crucigeri magnitudine canthum oculi dextri internum attingens & partem naſi occupans, cujus labia ſub febris recrudeſcentis paroxysmo intumefacta ſpongioſa lividum & nigreſcentem ſemper induerunt colorem; Ulcus hoc ad

angulum oculi quidem ſanari incepit, ſed malam verſus ut & naſum latius ſerpſit, verrucam magnam antea præſentem conſumſit, hinc inde circa illud puſtulis inſurgentibus variis lentis magnitudine, quæ omnia usque ad finem Januarii Anni 1736. fuerunt conſolidata, cum internis tum externis medicamentis adhibitis, ita ut ſanus ſtationem Rhenanam iterum frequentare potuerit, ibidem autem adeo pravam quoad victum & aërem adhibuit diætam, ut ulcera in integra facie, præcipue in fronte ad floreni magnitudinem, usque ad pericranium penetrantia, poſt reditum de novo fuerint inſecuta, adeo, ut quilibet triſtiſſimum eventum præſagierit, & morbum huncce abhorruerit; hinc 12mo. Junii ſequentem curam ipſi præſcripſi & quidem.

I.) Ut ſingulis ſeptimanis utatur pilulis laxantibus: ℞. Extr. panchymag. Cr. gr. viij. caſtor. gr. ß. mag. jalapp. gr. iiij. ☿. dulc. rite parat. gr. ij. ☍ deſtill. L. Saſſafr. gtt. j. miſc. cum ſ. g. ℞. L. Saſſafr. pilul. n. XV. de ⊙at. det. ſign. Laxier-Pillen auf einmal, quæ ante cubitum cum quovis vehiculo deglutiendæ, & ſtatim ſub incipiente earum operatione ſæpius jusculum calidum carnis bubul. bibendo.

II.) Decoctum ſequens adhibeatur, ℞. rad. ſaponar. Saſſaparill, chinæ aa. ℥j. pimpinell. alb, liquir, aa. ℥ß. raſ. L. quajaci ℥j. Cort. ejusd. ſem. anis. ſtell. cum cort. aa. ℥ß. Inciſ. & contuſ. gr. m. miſc. divid. in 3. part. æqual. Dr. ad totid. chart. ſign. Geblüts-reinigende Species, de quibus doſis una cum menſuris tribus aquæ fervidæ infundenda, noctu bene tecta foco vel fornaci calido imponenda, & ſequenti mane leni carbonum igne, etiam bene tecta, & ne oras ollæ ſuperet obſervando, tamdiu usque ad conſumationem dimidiæ partis coquenda frigefacta colanda, in cella aſſervanda, & ſingulo mane nec non hora quarta pomeridiana 5-6. ſcutellæ plenæ calide inſtar Theæ ſorbillan-

billandæ, & quidem mane in lecto expectato ſudore ſine ſingulari vel coacto regimine. Reſiduo in olla affunduntur de novo menſuræ tres aquæ communis additur paſſul. min. mund. conciſ. Mß. & coquuntur una bene tecta iterum ad conſumtionem quartæ partis, frigefacta colantur & aſſervantur pro decocto ordinario ad ſitim reſtinguendam, de eo non nimis frigide bibendo, & quia hoc decoctum ſecundarium non ſufficiet ad ſitim, ſedandam, hinc

III.) Ordinavi ℞. C. C. C. raſp. ℥IX. rad. ſcorzon, ſaſſaparill, flav. Cort. Citri, raſ. L. lentiſcin, ſem. fœnicul. ana ℥ij. Inciſ. & contuſ. gr. m. miſc. divid. in 3. p. æ. det. ſign. Species zum Ordinarie-Tranck, quarum una doſis cum Mij. aq. comm. tam diu coquenda, usque dum ad latitudinem digiti fuerit conſumta, dein frigefacta colanda & ad uſum in cella adſervanda.

IV.) Jungebatur etiam curæ ſeq. Tinctura. ℞. Eſſ. pimpinell. alb. ℥iij. liquor anod min. H. ℥j. Tinct. ♁. acris ℥ij. miſc. det. ſign. Geblüts-verſüſſende Tinctur &c. de qua hora Xma antemeridiana & hora quarta pomeridiana immediate ante uſum decocti calidi guttæ 50. cum decocto frigido ſumendæ, ſuperhauſto illo præcipue poſtmeridiem calido.

V.) Mittebantur mihi ex improviſo a Bibliopola Norico ſpecimina duo Actorum Edinburgenſium Medicorum, quæ Illuſtris & Excellentiſſimus noſter Dn. D. WERLHOFFIVS orbi litterato medico communicavit, ex quibus ambabus manibus ſtatim arripui commendatum ibidem p. 1. & ſeqq. remedium alterans ex mercurio & antimonio paratum & quidem ſequenti modo: ℞. Panaceæ Conerdingian. in Fr. Hoff. Not. ad Poter. p. 561. deſcriptæ p. iij. ☿. dulc. ſexies (præter primam illam corroſivi cum vivo ☿tionem prætermittendam) ſublimati, non præparati p. ij.

 pana-

panaceæ ſuper marmore probe levigatæ, ☿. dulc. antea in craſſiorem pulverem confractus ſenſim addatur, & una exacte triturentur & ſerventur, ſub ſignatura: *Pulvis mineralis;* ex hoc pulvere parabantur pilulæ ℞. pulv. mineral. ℨj. gum. guajaci ℈ij. gr. V. reſin. ejusd. gr. XV. balſ. de Copaiva q. ſ. f. l. a. pilul. ex ℨj. n. xij. det. ad ſcatul. pulv. ſuccin. perſperſ. ſign. Geblüts-reinigende Pillen, de quibus ſingulo mane numero tres pro doſi ſtatim ſuperhauſto decocto calido, & ante cubitum etiam totidem deglutiendæ.

VI.) Hæcce medicamenta in continua ſerie per 4. ſeptimanas continuabantur, obſervato ſequenti regimine:

Aër ſcil. externus omni cura vitandus & potius continuæ tranſpirationi invigilandum. Cibi acidi & ſalſi, vino parati, pingues, porcini, fumo indurati, farinacei cum pomis & fructibus horæis vitandi, e contra carne vitulina, gallinacea, oleribus viridibus, jusculis avenaceis, hordeaceis, oryza &c. utendum. Vini uſus penitus reponendus.

Hisce internis fere ſolis, cum nil niſi lapidem medicamentoſum Crollii cum aqua ſclopetaria mixtum externe applicari curavi, divina favente gratia ſpatio quatuor ſeptimanarum in integrum fuit ſine ullo inſequente nauſea vel conatu vomitorio reſtitutus, & in horam hanc usque athlëtice vixit, licet ſub ipſa cura aërem externum ſub cœlo ſereno non vitarit, omnibusque officiorum rebus invigilarit.

Interim publicæ & ſempiternæ laudes ſunt dandæ Excellentiſſimo Dn. Doctori WERLHOFFIO, qui res noſtras medicas cordi adeo diligenter habet, & nobis ſpecimina hæcce communicavit. Siquidem remedio ante dicto Plummeriano non unum ſed plura inſtitui feliciſſima experimenta, præcipue in malo Iſchiadico contumaci, lue venerea, & in ulceribus antiquis pedem inferiorem ultra quinquaginta numero obſidentibus, & ichorem continuo ſtillan-

ſtillantibus cum magno dolore & pedis intumeſcentia, quæ omnia hoc remedio mercuriali Plummeriano ſecundum methodum ante dictam in Dei gloriam correxi & in priſtinum ſanitatis ſtatum ægrotante reſtitui.

OBSERVATIO CXXXVII.

Dn. D. JOH. GEORG. HASENEST.

Vaginæ uterinæ ſub partu difficili inciſio non periculoſa ſed utilis.

Uxor Margaretha Jægeria in Rigland Menſe Junii 1735. partu difficili jam 6. dies ſub vehementiſſimis doloribus fruſtra conſumſit, tumore inſtar capitis infantis magno, carnoſi & ſplendentis coloris extra pudenda propendente; ideo chirurgus noſter ad officia chirurgica cum metropoleos tum provinciæ juratus, in embriulcia præcipue expertiſſimus & dexterrimus *Johannes Leonhardus* CRAMERUS in ſubſidium vocatus vidit caput infantis vagina uterina penitus involutum, quaſi dictum tumorem efformare, cetero fœtus jam mortui corpore adhuc in utero retento; ſupra medium tumoris parva ſe offerebat rimula vix digitum minimum admittens, ex qua aliqui crines capitis fœtus in conſpectum veniebant. Sub his circumſtantiis chirurgus noſter tentabat vaginam uterinam oleis appropriatis probe illitam retrudere & a capite liberare, ſed fruſtra, ita, ut oleum & operam perdere ipſe veritus fuerit, domumque remeare cogitarit; precibus puerperæ autem animatus inciſionem parvam ex dicta rima perinæum verſus tentavit, quo facto, ultro ex altera ſuperiore parte rima vaginæ ulterius ad duorum digitorum transverſorum latitudinem adeo feliciter rupta, ut caput infantis in apricum venerit totum, ipſeque feliciter extrahi potuerit una cum ſecundi-

nis

nis ſine ulla puerperæ virium proſtratione vel gravi hæmorrhagia, hinc vagina uterina oleis iterum lita in locum debitum a chirurgo repoſita antea vulnerata, natura auxiliante iterum ſanabatur ad votum, licet puerpera proxime poſt operationem hanc chirurgicam febre miliari laborare inceperit, ab hac autem penitus reſtituta iterum gravida facta infantem feliciter peperit.

(Onoldo Noribergam miſſa d. 22. Julii 1738.)

OBSERVATIO CXXXVIII.

Dn. D. ELIÆ FRIDERICI HEISTERI.

De

Brachio per ignem deſtructo & peculiari illud amputando methodo.

Anno 1737. menſe Octobr. Waldbecce, opido, quod Helmſtadio lapidem ſaltem unicum diſtat, notabilis & commemoratione digna brachii per ignem deſtructi hiſtoria obtigit, qua occaſione ſingularis & plane nova amputandi methodus excogitata & adplicata fuit. Res ita ſe habuit: Mulier quædam 40. annos nata, animi deliquiis ſæpius obnoxia, ſubito eodem corripitur adfectu d. 6. Oct. 1737. quum ſola prope focum cum cibis parandis & coquendis occupata eſſet. Tam infauſto ſidere tunc concidit, ut brachium dextrum in ignem illaberetur. Paulo poſt ex improviſo ad triſte viſuque horrendum illud ſpectaculum adventantes, miſeram omni ſenſu ac motu privatam & quaſi mortuam, ex flamma confeſtim quidem eripiebant, ſed priusquam aliquis acceſſiſſet, muſculi brachii jam a digitis ad axillam fere usque ignis violentia deſtructi erant,

unacum magna portione cutis, thoracis latus dextrum obvelantis, ita ut nuda undique in brachio prominerent oſſa, quemadmodum ex addita *figura 1. & 2. Tab. VII.* aliquo modo cognoſci poteſt.

Poſteaquam itaque ægra vellicationibus, clamoribus adſtantium, ſpiritibus, aliisque remediis hunc in finem adhibitis excitata eſſet, & ad ſe rediiſſet, balneator protinus accerſitus unguentis & emplaſtris, quæ alias ad ambuſta commendantur, læſo brachio proſpiciebat. Chirurgus Helmſtadio poſtea vocatus idem omni cura & ſolertia agebat, ut brachium ſervaret, ſed dum hæc omnia minus ſufficerent, ultimus hic tandem parenti & mihi triſtis illius caſus hiſtoriam retulit, noſtrumque petiit conſilium. Hoc facto ad ægram caſumque rariſſimum & notatu digniſſimum videndum cum chirurgo Weldebeccam, ipſe me contuli, die, qui decimus erat ab hujus calamitatis initio.

Deprehendi conditionem mali ita comparatam: Manus cum digitis, totus item cubitus & humerus, ad duos digitos transverſos ſub ejus capitulo ad os usque deſtructa erant, vid. *Fig. 1. ab A. ad B. & CC.* hinc & inde oſſa prorſus nuda conſpiciebantur, alibi vero muſculi vel potius tantum reliquiæ muſculorum adhuc hærebant, ſed exuſti, nigricantes, corrupti, aridi, inſtar carnis fumo induratæ, prorſusque exſangues animadvertebantur, ſcalpello etiam inciſi, nullum fundebant cruorem, omni motu & ſenſu privati erant, ligamenta quoque quoad maximam partem ignis vehementia corrupta, vix amplius oſſa colligabant; (vid. fig. 1. quæ brachium a parte anteriori & *fig. 2.* quæ illud a parte poſteriori ſiſtit,) nullus motus, nulla arteriæ pulſatio ab *A.* ad *B.* ſupererant. Vis ignis ulterius progreſſa erat, a *B.* & *D.* ad *C. C.* ut *fig. 1.* exhibet, magnam portionem cutis, muſculos pectoralem, deltoidem, bicipitem, brachiæum internum, externum, cucullarem aliosque hæc loca occupantes, tegentis,

tis, conſumſerat, ita ut a *B.* & *D. CC.* partes muſculoſæ prorſus denudatæ conſpicerentur, quæ tamen recentes, rubicundæ, acutiſſime ſentientes ac ad minimum contactum atrociter dolentes animadvertebantur, eoque ipſo vitam adhuc iis ineſſe manifeſtabant. Re itaque curioſius examinata, partem ab *A.* ad viciniam fere *B.* & *D.* prorſus deſtructam cognovi, adeoque hic non niſi miſerum, ſed unicum ab amputatione auxilium expectandum eſſe judicavi.

Interim tamen non leves circa ipſam amputationem difcultates ſe ſe offerebant. Torculari enim hic locus non erat, quia proxime fere ſub axilla amputatio inſtitui debebat, & quia propter denudatam carnem, *B C C D.* acutiſſime ſentientem, & ad leviſſimos contactus vehementiſſime dolentem adplicari non poterat; deinde ſi torcular non adhiberetur, metuendum erat ne durante operatione ex arteria brachiali funeſta ſanguinis profuſio accideret, præſertim cum ægra, ob diuturnitatem mali & vilem parciſſimumque victum, quia pauperrima erat, defectumque remediorum roborantium, jam omnibus propemodum viribus orbata erat.

Quam ob rem, quum amputatio, propter cauſas modo adductas, conſueta hucusque methodo haud perfici, & tamen ægra ſine hac non reſtitui, aut a cumbuſto, moleſto, & inutili hoc miſerandi adſpectus brachio liberari poterat, in conſilium Chirurgus Helmſtadienſis *Voſſius* & ego adhibuimus parentem, eique caſum, ut modo ipſum deſcripſi, retulimus. Hic igitur, re ponderata, auctor fuit, ut ſine torculari adhibito, acu magna, filum duplex robuſtum trahente, quam hunc in finem ex armamentario ſuo chirurgico nobiscum communicavit; *vid. fig. 3.* caro brachii adhuc reliqua juxta caput oſſis humeri, inter os humeri & arteriam brachialem perforetur, filoque trajecto in interiori brachii parte, quæ *litt. D. fig. 1.* indicatur, arteria

una cum carne cruda & cute per ignem deſtructa fortiter nodo conſtringatur, ſicuti fere fieri ſolet, quando brachium ex articulo humeri exſcinditur; poſtea idoneo ſcalpello infra ligaturam carnem in circuli figuram, ut alias in amputationibus horum artuum fieri ſolet, eſſe diſcindendam, os ſerra, conſueta ratione reſecandum, ac denique deligationem ſimilem fere in modum, ut in caſu, ubi os hoc ex articulo exciſum eſt, eſſe inſtituendam. Hoc itaque conſilio inſtructi inſtrumentisque & reliquis ad deligationem neceſſariis præparatis, operatio hæc nova, & quantum ſcio, nondum peracta ratione, ſequentem in modum adminiſtrabatur.

Acus prædicta magna, incurva, filum duplex robuſtum, illudque ceratum trahens, in loco brachii *D*, proxime ad os, in mea aliorumque Medicinæ & chirurgiæ ſtudioſorum, opem ſimul neceſſariam ferentium, præſentia a chirurgo prædicto *Voſſio*, dum quidam miniſter brachium extenſum continebat, per carnem pertundebatur, & circa arteriam brachialem circumducebatur, filoque deinceps arteria firmiter conſtringebatur. Hoc facto ſcalpello paululum infra ligaturam caro circumcirca ad os usque diſſecabatur, & remoto per ſcalpellum perioſtio, tandem admota ſerra os ipſum reſecabatur; adeoque tota amputatio hac ratione quaſi per compendium, ſine ulla notabili ſanguinis profuſione, adminiſtrata eſt. Torcular enim nec adhibitum nec neceſſarium fuit, nec poſt reſectionem volſella, qua arteriæ comprehendi alias & protrahi ſolent, opus erat nec ulterior vaſorum, hac volſella protractorum, deligatio, nec ſtyptica medicamenta, nec ferra candentia in auxilium vocabantur, ſed trunco ſtatim, uti alias moris, linteis carptis, emplaſtris & ſpleniis craſſis proſpiciebatur, quæ omnia deinceps faſcia prælonga firmabantur.

Sanationis negotium, nullo gravi vel inuſitato ſym-

ptomate ſuperveniente, impeditum, per medicamenta balſamica, ex voto ſuccedebat. Vix octiduum ab operatione præterlapſum erat, quum filum, quo arteria fuit conſtricta ſponte ſua, ſine ulla ſanguinis profuſione ſeceſſerit. Medicamenta interna, non alia fere in uſum vocabantur, præter illud ita vulgo dictum *Fœniculum aquaticum*, ſeu *Equiſetum*, noſtratibus Pferde-Saat dictum, & quod a vulgo in vulneribus, ulceribus, & omnibus noxis gravibus externis, his in regionibus maxime laudatur. Ipſa paupertas ægrotantem ſtrictam & tenuem obſervare diætam imperabat. Hac ratione poſt decurſum aliquot hebdomadum vulnus hoc ampliſſimum *BCCD*. glutinatum & curatio ad optatum perducta finem fuit, ſiquidem etiam parvus ille humeri truncus, qui remanſit, ita cum thorace coaluit, ut nunc vix ullum ejus veſtigium poſſit animadverti.

OBSERVATIO CXXXIX.

Dn. D. ELIÆ FRIDER. HEISTERI.

De

Phellandrio, fœniculo equino, ſeu aquatico vulgo dicto.

Semen plantæ, *fœniculum equinum*, ſeu *aquaticum*, in officinis noſtris dictæ, inſignem famam apud noſtrates jam a multo tempore obtinuit, & a vulgo in omnibus vulneribus, ulceribus & quibuscunque aliis noxis gravioribus uſurpatur, atque propter admirabilem in iſtiusmodi malis perſanandis efficaciam, miris celebratur laudibus: Quapropter ſuperiori æſtate in ipſam plantam curioſius inquiſivi, & deprehendi, quod non ad genus *Fœniculi*, ſub cujus nomine proſtat, pertineat, ſed inter *Phellandria* ſit referenda. *Radix* ejus eſt fibroſa, *caulis* craſſiſſimus altus, ſæpe bicubitalis & quod

quod excedit, ſtriatus, geniculatus, in medio cavus; & quidquid in peripheria ejus ſubſtantiam conſtituit, ex meris propemodum tubulis inanibus, caule transverſim diſciſſo in conſpectum prodeuntibus, gratumque ſpectaculum præbentibus, conflatum eſt.

Folia ampla, multum minutimque, latius tamen quam Fœniculi, diviſa ſunt. *Flores* in umbella non magna exiguos candidos, pentapetalos gerit. *Semina* oblonga, ad Fœniculum colore & magnitudine fere accedentia, ſed tamen paulo majora, leviterque ſtriata profert; quæ nec cum *Joh.* BAUHINO, nec cum BOERHAVIO parva dicere vellem. Potius a partibus MORISONI & RIVINI ſtare placet, qui recte obſervarunt, hanc plantam inter umbelliferas paluſtres ſemen habere longius: ſiquidem ſemina & *Sii* & *Cicutæ*, & *Oenanthes* hoc minora ſunt. Videntur itaque a prædictis Auctoribus tantum rudimenta horum ſeminum conſpecta atque deſcripta fuiſſe. Tota planta, & cum primis ſemen, *odorem* ſpirat fragrantem atque *balſamicum*.

Guſtu explorata, ſaporem exhibet acrem quidem paululum & linguæ papillas probe ferientem, minus tamen nauſeoſum, ſed gratum ac aromaticum. Utroque effectu, ſapore & odore, ſemen reliquas plantæ partes ſuperat. Creſcit in vicinia noſtra copioſe multis in locis, & ſpeciatim humidis & paluſtribus. Floret Junio & Julio. Semen maturat Auguſto. Ab inferioris Saxoniæ incolis *Pferde - Saat*, ab aliis Germanis *Waſſer - Fenchel*, *Weyer - Fenchel*, *Wilder-Fenchel* adpellatur. vid. *Jo.* BAUHINUS *in Hiſt. plant. univ. Tom. III. p. 183.* Quidquid in hac planta obſervavimus & nunc indicavimus, manifeſtat illam eſſe *Phellandrium* primum BOEHAVII *Ind. plantar. ult. Hort. Lugduno - Batav.* quod DODONÆUS deſcripſit in *Hiſtoria ſtirpium p. 591. & Joh.* BAUHINUS *in Hiſtoria plantarum univerſali Tom. III.*

pag. 183. optimam ejus, & mihi videtur, iconem exhibuit RIVINVS *Oper. botan. Vol. III.*

Sapor atque odor aromaticus & balſamicus hujus plantæ, haud vanam ſpem a priori jam concipere jubent, ipſi facultatem ineſſe balſamicam, vulnerariam, ſive traumaticam, partes ſolidas languidas, torpidas, inertes, ad motus vegetiores ſtimulandi, adeoque roborandi, nec non humores tenaces, viſcidos, ad circuitus vitales per corpus peragendos minus aptos, corrigendi, reſolvendi, mobiliores reddendi. Igitur quum ſingularis fama, quam propter mirabilem efficaciam, quam plurimis & a longo tempore hic locorum factis experimentis, apud vulgum nacta eſt, accedat, operæ pretium mihi eſſe videtur, ut ſolertes medici attentiores ad illam oculos advertant, & in ejus vires ſollicitius inquirant. In vulneribus, abſceſſibus, ulceribus, fracturis, aliisque noxis externis curandis quam maxime commendatur. Datur drachma una aliquoties de die, vel per ſe & ſolum, vel ſaccharo remixta, atque ſic cochleatim illud adſumunt. Hoc adſeverare poſſum, tam a parente, quam a me, in vulneribus & ulceribus ſemen iſtud, & cum pauxillo ſacchari remixtum, quamplurimis jam propinatum fuiſſe, atque nos poſt illius uſum nunquam pravum quendam effectum, (licet a quibusdam phellandrium cicutis adſocietur, eisque valde adfine reputetur, adeoque veneni ſuſpectum habeatur,) plerumque autem optatos vidiſſe ſucceſſus. Interea tamen dubii adhuc hæremus, num illi huic potiſſimum remedio, vel aliis cauſis, tribuendi ſint. Quapropter, ut etiam ab aliis prudentibus medicis illud tentetur, & obſervationes, debita cautione inſtitutæ, ſedulo adnotentur, exoptamus.

(Helmſtadio Erfordiam miſſa
d. 10. Auguſti 1738.)

OBSER-

OBSERVATIO CXL.
Dn. D. JOANN. SEBAST. ALBRECHTI.
Vulnus grave capitis, ab equo, retro calcitrante, puellæ 14. annor. inflictum, 26. demum die abſolute lethale.

Lethalitatis vulnerum rationem non a tempore inſequutæ mortis determinandam, ſed ab ipſius partis læſæ nobilitate & vulneris conditione, aliarumque circumſtantiarum diligenti penſitatione petendam eſſe, cum BOHNIO recte pronuntiant prudentiores in judiciis de ejusmodi rebus ferendis medici, probe edocti, non ſemper ad lethalitatem conſtituendam ſufficere mortis celeritatem, nec ad eam tollendam tarditatem. Vulnus cerebri ſclopetarium ſeptima demum hebdomade abſolute lethale, peculiari diſſertatione erudite illuſtravit celeberr. in Alma Wittebergenſi Doct. & Prof. *Abrah. VATER*, anno hujus ſeculi 22.

Cum autem cauſarum Patroni tantum non ſemper in defenſionibus ſuis illud urgeant argumentum: Vulneratum diem tertium, ſeptimum, aut nonum ſupervixiſſe, ideoque vulnus non poſſe dici *abſolute lethale;* operæ hinc pretium erit adnotare diligenter illa exempla, quæ contrarium evincere poſſunt quam planiſſime, quem in finem etiam ſequentem obſervationem communicare non dubitavi.

Puella 14. annorum, incolæ & textoris in præfectura Sonnefeldenſi filia, juſſu domini ſui, molitoris, cujus infantis natu minimi curam agebat, obſervabat equum in paſcua miſſum, ne diſcurrens læderet agrorum fructus. Cum autem die 18. Maji 1737. improvide acceſſiſſet, ut equum depelleret ex agro, ab equo retrorſum calcitrante graviter vulnerabatur in fronte. Contuſionem hanc perpeſſa, ipſa qui-

quidem domum reverſa per plures quam ſexcentos paſſus, faciem, a ſanguine & ſordibus purgare conabatur, mox autem ſequebantur ſymptomata, gravioris læſionis indicia, vomitus nempe, & poſt hunc coma ſomnolentum, febris, & ultimis demum diebus deliria & convulſiones. Die 13. Junii, ſicque vigeſimo ſexto ab accepta plaga moriebatur. Cadaver ut inſpicerem & relationi adderem judicium, an vulnus ex ſua natura, an ex negligentia chirurgi, poſt diuturniorem moram lethalem habuerit exitum, juſſus ſum. Quid itaque repertum ſit, nunc recenſebo: Externe ſuper oculo ſiniſtro vulnus aderat, nunc ſine notabili intumeſcentia, a naſi radice per totum ſupercilii tractum tranſiens, & eundem in duas partes æquales quaſi dividens. Vulnus hoc, licet in medio vix cutem penetraſſet, in utrisque tamen extremis altius admittebat ſtilum exploratorium. Nam prope oculi canthum internum ille progrediebatur usque ad ipſam cerebri hujus tegumentorum molliorem ſubſtantiam, in altero autem, & quidem externo termino per vulnusculum piſi majoris magnitudinem vix excedens, circa nexum apophyſium oſſis frontis & zygomatici aſperitatem quandam ſenſibilem prodebat. Super orbitæ dextri oculi ſuperiore parte etiam aderat vulnusculum dimidii digiti magnitudine, ad radicem naſi deorſum vergens, quod vero non niſi prope canthum internum admittebat ſpecillum lentiforme, absque ullo depreſſionis, aut aſperitatis ſenſu. *Remotis* nunc a cranio *integumentis communibus*, fiſſura magna ſuper oculo ſiniſtro in ſolidiſſima cranii regione adparebat, quæ initium ſumens cum fracturis in plures minores partes, illo in loco, ubi aſperitatis ſenſum ſpecillum manifeſtaverat, medium oſſis frontis tranſibat & unius digiti altitudine ſuper orbitam dextram terminabatur. Alia fiſſura ab eodem principio orta, deorſum per medium orbitæ ſiniſtræ ſuperiorem limbum ad ſuturam oſſis frontis

cum

cum naſalibus & inde porro ad canthum internum oculi dextri progrediebatur. Oſſis frontis magna hæc pars quam utræque fiſſuræ circumſcribebant, depreſſa erat. Cavitatis ipſius, quæ oculum recipit ſiniſtrum, oſſa tenuia ſuperiora & lateralia, naſo proxima, in minutias fracta poterant eximi, interioribus cranii contentis nudis relictis. Nihil vero in hac ipſa parte præter ſugillationem palpebræ ſuperioris, vulneri proximæ, neque extravaſati ſanguinis, neque ſaniei in conſpectum veniebat. In limbo ſuperiore oſſeo oculi dextri, præter jam recenſitas, duæ adhuc adparebant fiſſuræ aliæ, utraque longitudinis unius digiti, parallela dimidii digiti diſtantia verſus frontis medium adſcendentes, ſed ſine cranii intermedia parte depreſſa.

Removendum nunc erat durum cerebri tegmen fornicatum oſſeum, quod cranium vocamus, ut aditus eſſet ad ſcrutandam interiorem perpeſſam læſionem. Hoc munimento ſublato, neque inter cranium duramque matrem, neque inter hanc & piam, ſuperiore in hac regione, quidquam aut cruoris, aut puris conſpiciebatur. In ipſius quoque duræ matris copioſis ſanguiferis vaſis non aderant ſtaſeos ſugillatoriæ ſigna, niſi læviſſima eo in loco, quo ſutura ſagittalis terminatur ad coronalem. Piæ vero matris vaſa, alias exiliſſima, cruore turgebant adeo, ut diameter eorum dimidium lineæ, aut vigeſimam quartam partem unius digiti multis in locis æquaret. In ipſo cerebro nunc propius perluſtrando ſubſtantia ejusdem cineritia, ſeu corticalis, copioſum numerum punctulorum minimorum, eleganter rubentium, a transverſim diſſectis cultro anatomico vaſculis minimis, in hac ſubſtantia copioſis, in triſti hoc caſu jucundum oculis offerebat ſpectaculum. Interior, ſeu alba ſubſtantia nihil alebat præternaturale. Ubi corpore calloſo diſſecto ad interiora ventum eſt, in ventriculis cerebri anterioribus, & quidem ſiniſtro, colluvies puris cocti tanta quantitate reperiebatur, quantam duo cochlearia capiunt, in dextro vero hujus, cochlear circiter

citer dimidium ſeri ſpiſſioris flaveſcentis occurrebat. Exemto porro cerebro, ſub baſi eiusdem intra utrasque meninges in ſinu cranii majori tanta quantitas latitabat puris cocti, quæ ex ſiniſtro ventriculorum anteriorum ablata fuit. Præter hanc vero circa nervos, tam opticos, quam oculorum motorios nulla prorſus læſio obſervabatur.

Rebus ſic ſtantibus, judicavi: Vulnus hoc per ſe, nec ex aliqua chirurgi culpa, licet etiam ſerius mors evenerit, lethale evaſiſſe, & quidem ſequentibus potiſſimum ſuffultus rationibus:

1.) Ob vehementiam contuſionis, de qua in primis teſtantur plures fiſſuræ, cum depreſſione, eo in loco factæ, vbi cranium craſſiſſimum & ſolidiſſimum, quale in limbo orbitarum eſt. Unde non potuit non fieri

2.) Cerebri ipſius vehementiſſima concuſſio. Acceſſere mox

3.) graviora ſymptomata: v. g. Vomitus, coma ſomnolentum, tandem, licet ſerius, deliria & convulſiones. Quia porro

4.) extravaſati & in pus nunc converſi humoris, nec non fragmentorum oſſeorum ſitus talis erat ut neque ille Trepano evacuari, neque hæc artificioſa manu potuerint eximi. Conf. *Abrah. VATERI* Diſſert. ſub initio hujus obſervationis laudata, *p. 14. §. VI.*

5.) Propter læſam actionis piæ matris & ſubſtantiæ corticalis cerebri a ſtagnante in illis ſanguine, vaſa ſanguifera minima nimium diſtendente. Pondus addit rationibus modo recenſitis.

6.) Conſenſus aliorum Doctorum celeberrimorum: ſic vulnera intra naſum & oculorum canthum majorem, per cranium in cerebrum penetrantia lethalia abſolute pronunciat TEICHMEIERUS *Inſtitut. Medic. legal. p. 106.* quemadmodum etiam ibidem graviores capitis contuſiones & vehementes cerebri commotiones, illæſo etiam cranio & dura matre (multo magis

magis ubi cranii fiſſuræ & depreſſio concurrunt,) lethalia evadere adſerit. CELSUS, ornatiſſimus ex antiquis Medicis, Auctor, *ſervari non poſſe*, ſcribit, *cui baſis cerebri percuſſa eſt.* Aliud vulnus capitis lethale, gladio factum, ægro tamen per integrum menſem in vivis ſuperſtite manente, producit Celeberr. *Mich. ALBERTI in Jurisprudent. Medic. Tom. I. Part. 2. p. 334.* Neque a vita ad ſextum ſupra vigeſimum diem, & ita ad quartam ſeptimanam fere protracta, valet argumentum. Prudentiſſime enim doctiſſ. BOHNII *in Vulner. lethal. examine p. m. 117.* „non ſemper mox ab initio ſub ictus momento, ſed „aliquando tardius vim ſuam lethiferam exerit capitis contu- „ſio, poſtquam nempe ſanguis putreſcit & hoc modo ſpiri- „tuum animalium diſpenſationem turbat, „ experientia edoctus dicit.

Illud mirum potius videri poſſet, qua ratione poſt tantam cerebri concuſſionem cum tanta læſione cranii, per 20. adhuc dies compos mentis manſerit ægra. Sed neque hoc quoque inconſuetum plane eſt, & differt pro loco, quem extravaſatus humor occupat. Itaque *Schlechzerus* apud *AMMANNUM in Medicina Critica Caſ. X. p. m. 81.* certum putat : *Poſtremis etiam morbi diebus mentis actiones turbatas in ægro, non aliunde, quam a vulneris natura eſſe.*

Advertendum eſt illud quoque in præſenti caſu, per adfectum ſoporoſum impedimentum illud natum eſſe, ut parum vel nihil loquuta ſit ægra, nec quidquam egerit, unde ſigna vel integræ, vel turbatæ mentis potuerint deſumi. Nam ceſſantibus in ſomno hiſce indiciis, difficillimum ſane erit certe judicare de mentis ſtatu. Licet etiam ſtatim a ſomno excitatus quis incongrue agat aut loquatur, illud tamen non ſtatim pro delirio a partium læſione orto reputandum, ſed potius ipſe vulgus illud ſomnolentiæ, peritus autem nondum in ordinem redactis conceptibus tribuit.

Ad illuſtrandum & confirmandum noſtrum adſertum, gra-

 viſſimas

viſſimas nempe capitis læſiones non ſemper comitatas eſſe ſymptomatibus admodum ſonticis, utique conferri meretur clariſſ. olim *Günth. Chriſtoph. SCHELHAMMERI* obſervatio, quæ in *Ephemer. N. C. Decur. III. Ann. III.* ordine eſt *128. & p. 297.* recenſetur.

OBSERVATIO CXLI.

Dn. D. JOANN. SEBAST. ALBRECHTI.

Thoracis vulnus grave curatum.

Ruſticus vegetus ſanusque, carnoſi habitus, 26. annorum, adeoque robuſtiſſimæ conſtitutionis, d. 27. Jul. anni proxime præteriti, noctu intra horam 11. & 12. in agro a milite vulnerabatur cultro, infra papillam, intra ſextam & ſeptimam coſtam, in pectoris latus ſiniſtrum profunde adacto. Ex largiori & continua, (quoniam non ſtatim repertus eſt vulneratus, & ob chirurgi alicujus defectum,) per horam integram facta hæmorrhagia ingens utique cruoris copia in induſio, femoralibus, reliquiſque veſtimentis collecta deprehendebatur. Tandem accerſitis chirurgis pluribus vulnus deligabatur, & in re hac ardua a Magiſtratu proximo die mihi demandabatur, ut vulnus inſpicerem. Remotis, me præſente, a chirurgis faſciis & ſpleniis, ex vulnere modo deſcripto uncia ad minimum ſub quolibet actu reſpiratorio, ſanguinis ſinceri, ex parte etiam grumoſi, novo impetu prorumpebat, cum ſonoro ſibilo & veſicularum in vulnere elevatione. Aeger neque dextro, neque ſiniſtro lateri poterat incumbere, ſed ſitum tantum reclinatum concedebat grave pondus, diaphragmati incumbens, difficilem reddens ſpiritum; ipſe vero vulneratus ſub quavis ſitus mutatione ſenſum fluctuantis humoris extravaſati percipiebat, unde de copia ejusdem adhuc in thorace ſuperſtitis non poterat dubitari. Sed, quantum fieri poterat, ſitu mutato & in plagam inclinato

ægro,

ægro, ut liberior eſſet exitus ſanguini extravaſato, crebriusque elevato, ſub exſpiratione, diaphragmate, ſucceſſive liberius reſpirare inchoavit, & imminuta ſemper eſt quantitas humoris. Quamquam vero parum ſanguinis ore rejiceretur, ſicque, vulnus alte in pulmonum ſubſtantiam penetraſſe, merito dubitare liceret, deligato tamen iterum illo, ſub ipſo exſpiratorio actu, & conſideratis ſingulis ſymptomatibus, maxime vero ob largiorem hæmorrhagiam prægreſſam, & quoniam ad interiora non eſt ſenſuum externorum aditus, ex CELSI conſilio, quod *Libr. V. cap. 26.* extat, gravem omnino metum eſſe, ſine certo tamen & inevitabili vitæ periculo, Magiſtratui, pro officii mei ratione, indicavi. Obſtetricante interim bona & valida natura, ætate, & reliquis omnibus in ſubſidium vocatis, quæ artis ſunt, vulnus hoc poſt decimum quartum diem ſanatum eſt, adeo felici cum ſucceſſu, ut nunc etiam ſine ſpiritu difficili, aut ullis impedimentis, ſanitati priſtinæ reſtitutus æger, graviſſimis operibus ruſticis fungi valeat. Verum itaque deprehenſum fuit illud in judicando ſalutare CELSI monitum, loco citato: *Confert aliquid & ætas & corpus & vitæ propoſitum & anni tempus. Quia facilius ſaneſcit puer, vel adoleſcens, quam ſenior: valens, quam infirmus, neque nimis tenuis, neque nimis plenus, quaſi alterum ex his eſt: integri habitus, quam corrupti, exercitatus, quam iners, & reliqua.*

OBSERVATIO CXLII.

Dn. D. JOANN. SEBAST. ALBRECHTI.

Mus ſemiputridus aluo rejectus a fœmina paupercula.

N*ihil ſub ſole novi eſſe, aut contingere*, ſuo jam tempore *Eccleſiaſtes* obſervavit ſapienter. Hoc ipſo autem illorum (ut *Vinarienſes Theologi* commentati ſunt) Philoſo-

 phorum

phorum reprehendit arrogantiam, qui novi aliquid in ſcientiis detexiſſe, vel obſervaſſe, ſibi aliisque perſuadere conantur. Valere autem hoc in primis de obſervatis phyſicis, cuilibet textum inſpicienti facile patebit. In phyſicis namque ſæpius ea contingunt, quæ ob novitatis aliquam ſpeciem tantam imperitis movent admirationem, ut illa nondum viſa, & nunquam audita eſſe exclament attoniti. Idem accidiſſe hiſtoriæ, qua demonſtrabitur, *fœminam pauperculam, ruſticam, murem domeſticum minorem, ex parte corruptum, poſt multa ſatis diu perpeſſa tormina, una cum alvinis excrementis tandem rejeciſſe*, facile quisque credet, qui vulgi naturam novit. Placet igitur nunc *obſervationem ipſam communicare, & eam non unicam hujus generis eſſe, ex aliis litterarum monumentis confirmare.* Verum eſt, frequentiora occurrere exempla reptilium animalium, quæ ob lubricitatem, corporis peculiarem mechanicam & teneriorem ſtructuram, modo ovulis adhuc incluſa, modo jam jam nata, immo interdum grandiora facta, intimiores corporis receſſus intravere, & vel in hac, vel in illa parte, tamquam ſtupendorum effectuum cauſæ latitantes, ſæpe poſt mortem cultro anatomico detecta ſunt, interdum etiam, feliciori eventu, vel per aperturam ulcere factam, vel per loca excretoria congrua viam invenere prodeundi in lucem; rarius autem id accidere cum quadrupedibus, quæ ovipara non ſunt, & ob artuum eminentiam, hincque natam inæqualitatem, corporis majorem molem, nobis inſciis, corpus noſtrum per vias naturales, ſine ſenſibilitate majore, tam facile intrare nequeunt. Factum hinc eſt, ut alii ſibi prudentiores viſi, ejusmodi relationes inter res impoſſibiles retulerint, alii autem, ubi in primis incongruum aliquid ex phantaſiæ luxuria acceſſit, quod tamen, prudenter inſtituto examine, evaneſcit, effectum inopinatum nimis præcipitanter cum vulgo faſcinis adcenſuerint, utrique autem judicio decepti ſint egregie.

Fœmi-

Fœmina, *Eliſabetha Fiſcherin*, ætatis 64. annorum, trium olim liberorum mater & poſt horum partum a marito malitioſe deſerta, exinde ad deplorandum paupertatis ſtatum ita reducebatur, ut in patria ſua, præfectura *Mittvviz*, quæ Generoſiſſimum Dn. L. B. de *Wurzburg*, inter Nobiles Franconiæ antiquiſſimo genere natum, qui Sereniſſimis Ducibus Saxo-Meinungenſibus a conſiliis, quoad militaria, eſt intimioribus, Dominum nunc agnoſcit gratioſiſſimum, alimenta neceſſaria mendicando colligere, dura neceſſitatis lege cogeretur. Exinde facile ſtatim colligere licet, eam fuiſſe hujus fœminæ conditionem, ut caſus modo recenſendus potuerit contingere, absque ulla faſcinationis ſuſpicione. Senſit hæc miſera, quæ ex ſua penu ne muri quidem alendo par erat, proxime præter lapſo anno, ipſis vigiliis feſtum Nativitatis Chriſti, Salvatoris noſtri, prægreſſis, ſenſibilem dolorem circa ſcrobiculum cordis, per intervalla plus minus auctum, tam interdiu quam noctu continuantem, paulo poſt vero ad hypochondrium ſiniſtrum deſcendentem. Dolorum vehementia & continuatione miſere excruciata, variorum ex plebe imploravit auxilia in vicinia.

Alii uteri hyſtericos motus, alii vermes, alii aliud neſcio quid accuſabant. Tandem ex conſilio quorundam piſciculos vivos, fundulos, umbilico ſubinde alligavit, quos poſt unam alteramque horam ſemper reperit ita conſumtos, ut ſceleton partium duriorum, capitis & ſpinarum tantum relictum fuerit. Hoc ipſo ſuſpicio de præſentia vermis, quem alii den Hertz Wurm, alii den Pfeltz-Wurm vocant, de quo legi meretur *Hulder. Pelargus* im fünfften und ſechſten Mediciniſchen Jahr-Gang *p. 18. & p. 383.* augebatur. Ut vero hoc extra omnem dubitationem eſſet, alii ſuadebant, ut farinam triticeam, cum melle mixtam, in juglandis nucis putamine collectam imponeret umbilico, quod cum feciſſet aliquoties, ſemper putamina vacua poſt horæ unius alteriusve ſpatium invenit. His ita ſe habentibus conſilium ipſi ſuppeditabatur, ut hoſtem nunc fortioribus adgrederetur armis, unde

unde metallicum illum pulverem, quo figuli utuntur in vaſis fictilibus vitro incruſtandis, cum melle mixtum eadem ratione impoſuit umbilico proximis ante Paſchatos feſtum hujus anni diebus, ſed cum hanc maſſam prorſus intactam, nihilque ejus abſumtum reperiſſet, ab eo tempore ab immanibus dolorum cruciatibus manſit plane immunis. Accidit interim, ut lac ebutyratum a ruricola ex vicinia, ejusdem miſeria commota, miſſum, (fame & ſiti forſan coacta) d. 10. Aprilis adſumſerit, unde proxime ſequente die plures vomitus intra paucas horas ſequuti ſunt, die autem altero ſenſu peregrini cujusdam cum alvinis excrementis ſecedentis corporis, monita fuit, ut hæc inſpiceret, hocque facto, præſentibus aliis perſonis reperit revera corpus peregrinum, quod a ſordibus mundatum, ſic deſcripſit: Referre illud figuram & magnitudinem muris quoad anteriora, caput nempe, aures, dentes & pedes anteriores, poſteriora autem, excepta cauda adhuc præſente, analoga eſſe aviculæ partibus, ac inſuper etiam plumoſa videri. Rumor hujus rei cum ad Generoſiſſimum Dn. L.B. *de Wurzburg* veniſſet, ille juſſit, ut Præfectus loci in ſingula diligenter inquireret, & excretum peregrinum corpus ad judicii locum deferendum curaret. Citata a judice paupercula, ſevere admonita, ne rem aliter geſtam, quam ſicuti vere contigerit, enunciaret, ſicque impoſturæ rea, beneficiis huc usque acceptis indigna, pœna potius adficienda foret, d. 20. April. conſtanti animo, omnia ſic, ut relatum eſt, accidiſſe adfirmavit, & animalculum excretum Præfecto tradidit, cumque brevi poſt etiam ad ſacram cœnam acceſſura, a Paſtore loci, mendacii peccato expoſito, iterum de veritate rei quæreretur, iisdem circumſtantiis, ac in judicio, omnia retulit, cum devota gratiarum actione ad Deum, pro auxilio benigno, quia ab aliis percepiſſet, quod, ſi contigiſſet, ut corpus illud integrum fuiſſet tectum pellicula, inde neceſſario moriendum ſibi fuiſſe, quia omnium Medicorum & Chymico-

micorum auxilia tunc incaſſum & ſine ope futura fuiſſent. Moverunt hæc Illuſtrem Dn. Conſiliarium intimum, ut hæc in judicii loco acta, litteris mandata, cum ipſo corpore peregrino viſo ad me mitti, gratioſe juſſerit, ut rem accuratius intueri, perpendere, meumque qualecunque judicium de illa, quale ſit excretum; & an faſcini quidquam ſubſit, accuratîus exponere poſſem.

Murem domeſticum minorem eſſe ex parte putredine conſumtum, mecum omnes judicabant, qui excretum, quod etiam adhuc adſervo, hunc in finem æri accurate inciſum, diligentius intuebuntur. Luſus phantaſiæ, circa partes poſteriores, fingit ex parte cutis *A. Fig. 4. Tab. VII.* ab abdomine quaſi avulſa, plumas, e pedibus autem poſterioribus, ob conſumtam a putredine pelliculam & muſculoſam qualemcunque texturam, longioribus viſis, *B.* & *C.* pedes aviculæ: Et ſic nihil monſtroſi alit. Quod autem ad rem ipſam attinet, pertinet illa quidem ad rariora naturæ accidentia, non tamen plane inaudita, quippe ſimile quid ab aliis obſervatum legimus. Frequentiora quidem ſunt exempla, ut ſupra jam monuimus, reptilium, v. g. ranarum, bufonum, ſerpentum, lacertarum, erucarum aliorumque, vel ſomni tempore in os ingreſſorum, vel cum puris aquis, ovulis horum animantium inquinatis hauſtorum & tandem vel ἄνω vel κάτω, poſt productos in hoſpitio peregrino immanes cruciatus, rejectorum; qualia legimus, ut ex pluribus nonnulla ſaltem adducam, in Obſervationum libris, v. g. *B. Joann. Chriſtian. FROMANNI,* in utroque meo munere anteceſſoris olim celeberrimi & eruditiſſimi, *Poſitionibus miſcellaneis, quibus hiſtoria ſerpentis a fœmina nuper expulſi præmiſſa eſt. Coburgi 1657.* *DOLÆI*, de ruſtico, qui vomitu magnum *ranarum* numerum reddidit. *Obſ. 37. Ann. I. Dec. II. Ephem. N. C. p 108. LENTILII* de variorum inſectorum horrendo & mirabili vomitu, *Dec. III. Ephem. N. C. Ann. VIII. Obſ. XXIII. pag. 51. ſqq. BATHOLINI* de

vomitu bufonum *Obſervat. Anatom. Cent. IV. Hiſt. XIX.* RU-LANDI *Cent. VII. Curat. XXVIII.* BORELLI, *Cent. I. Obſ. XXIII.* de ſerpente a puero per anum ejecto, & *Cent. III. Obſ. LVII.* de Salamandris & bufonibus ab homine ejectis. HORSTII *Epiſt. Medic. VII.* CAMERARII, *in Memorabil. medic. Sylloge Cent. XVII. Obſ. LXI.* de Serpentibus in ventriculo. *Joh. Dan.* KRU-GERI Phyſicî Stargardienſis, in peculiari Schediasmate 1700. de cópioſa anguium fœtura ultra tres annos in corpore nutrita & tandem vomitu rejecta. Quemadmodum etiam ex aliis conferri huc merentur *Annales medico phyſici Vratislaviens. Ann. 1720. menſ. Octobr. Claſſ. IV. Artic. 5. Ann. 1721. menſ. Januar. Claſſ. IV. Artic. 6. Ann. 1722. menſ. Mart. Claſſ. IV. Artic. 10. Ann. 1718. Menſ. Febr. Claſſ. IV. Artic. 9. & ejusdem Anni Menſ. Decemb. Claſſ. VI. Art. 1.* & alibi paſſim. Præ omnibus autem aliis obſervationibus legi meretur illa GARMANNI, quæ *Dec. II. Ann. VIII.* ſub num. 157. extat, ubi largam meſſem ejusmodi farinæ hiſtoriarum, a diligentiſſimo Auctore ſtudioſe olim collectam reperire licet.

Non tamen deſunt & aliorum animalium, quadrupedum puto, exempla, vel per os vomitu rejectorum, vel per alvum excretorum. De volucribus etiam ex corpore humano natis refert exempla induſtrius olim Scriptor & Polygraphus *Chriſt. Franc.* PAULLINI, in Zeit verkürtzender erbaulichen Luſt, oder auserleſenen Merckwürdigkeiten/ Obſerv. XLI. p. m. 111. an vero illis omnibus æque fides tribuenda ſit, valde dubito, ideoque illis repetendis haud immoror, & potius ad noſtram hiſtoriam aliis ſimilibus, majoris fidei exemplis corfirmandam, progredior. *Joann. Laur.* BAUSCHIUS in Schediasmate de *Cœruleo* & *Chryſocolla* & quidem Prooem *pag. 23.* his verbis ſimilem refert caſum: *Servo*, inquit, *ego etiamnum ſpiritui vino immerſum murem domeſticum, quem mulier Suinfurtenſis, cujus mentionem feci in Proœmio Schediasmatis de Hæmatite p. 49. & 50. non ſine maxi-*

mo

me conatu & dolore cum fecibus alvinis excrevit 1662. d. 25. Maij. Inſuper quoque aliam adhuc ejuſdem commatis hiſtoriam a ſolertiſſimo quondam & diligentiſſimo rerum minus obviarum ſcriptore, ſupra jam laudato doctiſſimo cum viveret *Chriſt. Frider. GARMANNO, in Ephemerid. N. C. Dec. II. Ann. VIII. Obſ. 153.* conſignatam, & in Tractatu egregio *de Miraculis mortuorum p. 109.* alia quoque repetita legimus. Sic vero ille *in Ephemer. N. C. c. p. 341.* Anno 1687. in pago Claſſenbach, Juſtina „Michaëlis Schüppels uxor, murem vivum evomuit. Nam „Adſcenſionis Dominicæ Feſto cum illa ſana matutina ſacra adiiſ„ſet, iisque peractis ſitim ingentem ſenſiſſet, prandio adſumto, „hora pomerdiana quarta horrore percutiebatur quem exci„piebant nauſea & enormia ventris tormina & hæc ſequeban„tur vomitus aliquot donec tandem magno conatu muſcu„lum vivum, depilem, tumido abdomine per os rejiceret „vomendo, qui ipſe horas XXVIII. adhuc ſupervixit, deinde „autem urina excreta mortuus eſt. Ipſam vero mulierem poſt excretum hoc animalculum per aliquot dies adhuc ventris tormina quidem ſenſiſſe, ita, ut quoties ſe erigeret, lipothymia corriperetur, tamen convaluiſſe tandem, remanente ſolummodo leviori nauſea, *GARMANNUS* perhibet. Interim trium harum fœminarum, BAUSCHII, GARMANNI et *noſtræ*, cruciatus minus fuere diuturni, eventusque lætioris, quam illius ruricolæ fœminæ, cujus ori patulo, referente PAULLINI *l. c. p. 118.* ex *Ephemer. Nat. Cur. Dec. I. Ann. VIII. obſ. IXC* prope *Dantiſcum*, æſtivo tempore, ſub dio alto ſomno ſepultæ, Talpa irrepſit, quam, ſubinde natis & multum ſæpius auctis immanibus cruciatibus, ut quæ periodice ſæpe reverterentur graviſſimis lipothymiis, per XV. annos miſera aluit, donec tandem illam bene paſtam, auctam, vivam vomitu reddidit, mox autem conſumta cruciatibus expiravit. Pudet me, ridiculos illos ex induſio, humano ſudore ſordido, natos muſculos in ſcenam producere, quorum,

ab HELMONTII ludente ingenio deceptus, mentionem facit KERGERUS in Libro ſuo phyſico - medico *de Fermentatione*, *Sect. I. cap. VI. p. 62.* de qua murium generatione recte, me quidem judice, ſentit *GARMANNUS Libr. III. de Miraculis mortuorum §. 151. p. 921.* eandem æquali ambulare paſſu cum illa, quæ fit ex nubium vaporibus, aut roris humiditate. Conferatur, ſi placet, *SACHSII Gammarologia Libr. I. cap. XII. p. 267. & Caſp. REIES Campus Elyſius jucundarum quaſt. Num. XXXVI. p. m. 252.* it. *Annal. phyſ. med. Wratislav. Tentam. XIX. p. 279.* Similiter etiam illi, magnitudinis inſolitæ, mures, qui e cadaveribus Patruorum *Popieli* junioris, Regis Poloniæ, enati, impium parricidam cum ſcelerata uxore & liberis abſumſiſſe dicuntur, a *Martino CROMERO de rebus Polonic. Libr. II. p. 38. & Libr. IV. p. 380.* ob temporum illorum conditionem nimis credulam, ſubleſtæ fidei mihi videntur, ideoque ad illos provocare erubeſco.

Poſtquam itaque probavi, obſervationem noſtram excreti muris non inauditam plane eſſe, ſed aliorum exemplis fide dignis probatam, progrediendum nunc ulterius mihi erit, ut paucis, quo modo id fieri poſſit, doceam. Qui varias circa hanc rem inter eruditos ortas lites legere amat, illum ad GARMANNUM locis citatis & REIESII *Camp. Elyſ.* quæſtionem itidem notatam ablegamus, nolumus enim nos hic cramben foculo jam redditam, utpote ſæpius inſulſam & hinc inſipidam, iterum adponere. Vel enim naturæ plaſticæ nondum probatæ, nec unquam probandæ geneſin ejusmodi animalium tribuunt, vel, quæ ad idem fere redit, generationem æquivocam in medium producunt, cujus patroni plerumque ad experimenta non ſatis caute inſtituta provocant, & ſe ipſos ſic decipiunt, quemadmodum Auctor ille, quisquis ſit, elegantis libelli, *le ſpectacle de la nature, ou Entriens ſur les particularités de l'Hi-*

l'Hiſtoire naturelle Tom. I. p. 26. ex *Fr.* REDI & LOEWENHOECKII experimentis evicit, & ex putredine aliquid naſci omnino negat. Pari enim jure *p. 19.* perſuadere ſibi quempiam poſſe putat, a rupibus & ſylvis cervos & elephantos prognaſci, quam ex caſeo vermiculos: Naſcuntur autem eodem ratione & vivunt cervi in ſylvis, qua vermiculi in caſeis, ſed neuter illorum inde proprie naſcitur. Quoniam porro non ad oviparorum, ſed viviparorum animalium claſſem mures pertinent, per ovula, aut in ovulis quoque non potuit mus ille venire in corpus. Quomodo itaque eo delatus fuerit, disquirendum nunc eſt. Vivum illum fuiſſe 1.) per dolores graviſſimos, primum ſub ſcrobiculo cordis obortos, deinde 2.) verſus hypochondrium ſiniſtrum progreſſos & per tres fere menſes continuantes, tandem 3.) impoſita minera antimoniali impura arſenicali, cum melle mixta, conſopitos, vix dubitare licet. Nihil itaque eſt reliquum, quam, ut cum *GARMANNO* eandem foveamus ſententiam: *Aperto ſcililet ore, dormienti muliercula in ventriculum, illa inſcia, deſcendiſſe.* Quod, licet quibusdam mirum, nemini tamen impoſſibile videbitur, qui 1.) in paupertate ſumma conſtitutorum hominum conditionem & 2.) victus rationem, in primis, ubi aëre frigidiori defatigati, accedente mala conſuetudine 3.) pane in ore adhuc latitante, aut vix deglutito, 4.) alto ſomno plerumque ſepeliuntur quaſi, conſiderabit penitius, qui 5.) murium porro, ubi fames urget, audaciam, 6.) pharyngis & 7.) œſophagi muſculorum copiam, ſtructuram, lubricitatem, & 8.) natum ex concurrente illorum actione ſimultanea robur, æqua lance perpendet, quæ ex phyſiologicis, in primis *BOERHAVII*, ſcholis repetenda ſunt in *Inſtitution. medic. §. 72. 73. & 74. edit. Lugd. Bat. 1713.* Adde quæ clariſſ. *HALLERUS* ex MSto adjecit in *Prælection. Academic. p. 160. ſeqq.* Jnsſuper obſervationibus notum eſt, tantam ineſſe

 hiſce

hiſce partibus vim, ut ſi quid altius faucibus admotum fuerit, illud adreptum, nec retineri, aut retrahi, facile poſſit. Cultrivororum plura exempla id probant, quibus incautis cultri ex manibus vi magna extorſi ſunt. Conferri hic poterit ſi placet, *BARTHOLINI Obſerv. Anatom. Lib. I. Hiſtor. 79. de fiſtula luſoria deglutita, tertio die per alvum excreta.* Unicum ſupereſſe puto momentum, nempe, ut magnam murium audaciam, exemplo probem luculentiſſimo, quod relatum mihi eſt a viro fide digno S. S. Theolog. & Miniſterii Candidato. Contigit ante hos viginti annos Salfeldiæ in Thuringia, ut piſtoris cujusdam, civis ejusdem loci W. - - - filia peſſime adſueta ſub decubitu nocturno utramque buccam pane ſuffarcinare, ſi ſomno corriperetur. Odor panis movit murem, ut propius accedens, aut fame coacta, aut alias jam menſæ huic adſueta, ipſius oris cavitatem ſit ingreſſa impudentioni auſu. Quid fit? ſenſu motus alicujus peregrini in ore dormiens admonita, ſomnolenta os claudit firmiter, capit murem inſcia, atque dentibus detinet captivum & inter utramque maxillam enecat. Qui ſerius cubitum eunt, inveniunt ſic dormientem, & ore adhuc clauſo alteram muris partem in cavitate oris abſconditam, alteram ſuper labium inferius pendulam. Nihil itaque nunc ſupereſſe puto eorum, quæ probare conſtitui, an autem omnibus æque ſatisfecerim dubito, ſi ſolide doctis, a præjudiciis liberis, gaudebo.

OBSER-

OBSERVATIO CXLIII.

Dn. D. JOAN. SEBAST. ALBRECHTI.

Obſervata in corpore militis, repentina morte concidentis.

Miles quidam officialis, qui gregariorum militum armorum, veſtium, numeri, &c. rationem curamque habere tenetur (ſergent) valde luxurioſe vivendo, non ſolum gulæ inſerviendo potu ſpirituoſo, ſed etiam veneri nimium litando, non poterat æque his ſumtibus ſuſtinendis ſufficere ordinario ſtipendio, adeoque aliis artibus uti cogebatur, ſed ut proverbium habet, der Krug gehet zum Waſſer, biß er zerbricht; ſic etiam non potuerunt non ejus artes fieri manifeſtæ, unde carcere includebatur vinculis ſimul injectis. Hoc inconſuetum vitæ genus, hominis temperamenti ſanguinei, habitus corporis robuſti & carnoſi, ætatis optimæ, nempe 30. & quod excurrit, annorum, alias ambulatorio motui & optimo victui adſueti, brevi temporis intervallo levique modo mutavit ſanitatem. Quam facilis enim ſit tranſitus temperamenti in cacheticum ſtatum, ſi, præter recenſitas cauſas, accedunt animi turbationes, facile norunt, qui hæc perpendere ſciunt. Erat in eo, ut diuturnioris cuſtodiæ pertæſus, eorum juſſu, penes quos hæ res ſunt, una cum aliis mitti deberet ad caſtra cæſarea. Quod, quia pedibus ægre fieri poterat, ob tumores utrorumque cachecticos, vehiculo conducto pretio illum deferre, conſtitutum erat, ad alium locum, ubi plures conveniebant, ad iter idem ſuſcipiendum, tirones; ſed quid fit, cum vix per duas horas iter feciſſet, ſubito moritur; unde ob adſumti veneni ſuſpicionem mihi demandabatur, ut corpus inſpicerem, & quid adjuvante anatomico cultro, chirurgi adjuri-

adjutrice manu inveniſſem, reſcriberem. Factum eſt: Vidi caput reclinatum, tumidum ſanguine, unacum thorace & tergo, quæ livido ſimul ſuffuſa erant colore, abdomen autem neque tumidum, neque colore præternaturali tinctum. Hoc ipſo dein aperto, panniculus adipoſus, omentum, meſenterium, & meſocolon pinguedinis copia turgebant, ſed pinguedo hæc um ſeroſa flavescente lympha hinc & inde erat permixta, inſtar gelatinæ inprimis in panniculi adipoſi partibus infimi ventris, circa oſſa pubis & ilii, musculosque pyramidales. In omento autem duplicatura ejusdem adeo erat conſpicua, ut vix meminerim illam minori labore obſervari & demonſtrari potuiſſe, ponderabat autem illa ultra ſesqui libram civilis ponderis. Externa inteſtinorum tunica, a peritonaeo orta, a reliquis, præſertim in tenuium inteſtinorum tractu, ſine omni labore facillime ſeparari poterat, hocque facto diverſi fibrarum ordines & viæ, ſ. directiones, tam in ventriculo, quam inteſtinis, ſine omni prævia præparatione, quam diſtinctiſſime poterant in muſculoſa tunica obſervari. Inteſtinum rectum vero circumcirca pluribus appendiculis pinguibus, ſebaceis, coni inverſi figuram repræſentantibus, & ab expanſa membranacea externa & proxime ſub illa celluloſa Ruyschiana ortis, erat diſtinctum. Quod an ab aliis etiam alibi, in corporibus obeſis obſervatum ſit, ignoro; mihi quidem alias idem obſervare nunquam contigit. Interim conferri circa hoc phænomenon meretur, erudita doctiſs. Dn. D. QVELMALZII P. P. Lipſienſ. diſſ. academica, hoc ipſo anno 1738. de *Pinguedine ejusque ſede tam ſecundum, quam præter naturam*, Lipſiæ publicæ ventilata. In pelvi extravaſatæ lymphæ etiam gelatinoſæ flaveſcentis mediocris quantitas collecta deprehendebatur. Hepar tumidum, prægrande, ponderis quatuor librarum cum quadrante, ſub-

pallidi

pallidi flaveſcentis erat coloris; Lien contra parvus, exſuccus vix attingebat tres libræ quadrantes. Interiora & ventriculi & canalis inteſtinorum, nihil præſernaturale continebant, quod ſumti veneni ſuſpicionem potuiſſet confirmare, ſed totus tractus quoad maximam partem erat vacuus, tenui liquido hinc inde irrigatus, minimam vero repletus. Cum autem demortuus diu jam de gravi aſthmate conqueſtus eſſet, dubium hinc mihi ortum eſt, annon potius repentinæ mortis cauſa in pectore quærenda ſit; nec me fefellit ſuſpicio. Nam aperto thorace uterque pulmonum lobus, ut in ſuffocatis alias fieri ſolet, atro cruore turgeſcebat, & ſub ſcapulis utrinque, in dextro autem latere etiam ſub clavicula validioris tendinoſis ligamentis erat adnexus pleuræ. In utroque autem ventriculorum cordis, polypi albicantes pituitoſo-fibroſi, & quidem alter in ſiniſtro ventriculo, cum ſuis pedunculis ultra 6. digitos, baſeos ſeu diametri dimidii digiti; alter in dextro tres digitos longus, cordis vero ipſa ſubſtantia flaccida, ventriculi a ſanguine fere vacui, liquor pericardii copioſior & gelatinoſus, flaveſcentis itidem coloris, reperiebantur, ut ita, hiſce circumſtantiis evidentioribus commotus, veneni ſumti ſuſpicionem damnaverim, & cum LANCISIO in Tract. *de ſubitaneis mortibus Libr. I. cap. X. §. IV.* cauſam mortis ſubitaneæ a polypis utriusque cordis ventriculi derivaverim.

OBSERVATIO CXLIV.

Dn. D. JOANN. SEBAST. ALBRECHTI.

De

Ligno non putrido in tenebris lucente,

In hoc globo terraqueo, ejusque triplici quidem regno, reperiri corpora, tam animata, quam inanimata, vel ſponte ſua, vel etiam induſtria hominum parata, quæ noctu aut in loco obſcuro, lumen de ſe ſpargunt, res eſt nemini non phyſicorum notiſſima. Ex *regno minerali* de veritate rei teſtatur *Adamas*, de cujus in tenebris luce proſtant Viri, de augmento ſcientiæ naturalis experimentalis ſine pari meriti, *Roberti* BOYLEI ad *Robertum* MORUM ſcriptæ, obſervationes. *Lapis Bononienſis*, & arte factus *Balduini* PHOSPHORUS idem confirmant.

Nec in *animali regno* deſunt ejusmodi corpora viva & mortua, in tenebris lucida. Exemplo ſunt Muſcæ grandiores Indicæ, *Coyoyou* nominatæ, inſulæ *Solebæ* indigenæ, de quibus OVIED. *in Hiſtor. Indiæ Lib. III. cap. 8.* aliique ſcripſere (a) Apud nos, ex hoc inſectorum genere, notiſſima eſt *Cicindela*, λαμπυρὶ, Græcis dicta. Inter marina, ex Concharum ordine, animal quoque eſt, quod ab humanorum unguium ſimilitudine *Dactylus* vocatur, de quo antiqua PLINII extat obſervatio, (b) *illud in tenebris, remoto lumine, alio*

(a) Conf. Georg. Caſp. KIRCHMAIERI de Phosphoris & natura Lucis, nec non de igne commentationem epiſtolic. *p. 6. ſqq.* & Anonymi neu-erfundene Fliegen-Falle, nebſt einer kurtzen Hiſtorie dieſer fliegenden Inſecten p. 18. ſq. It. Breßlauiſcher Sammlungen von Kunſt und Natur-Geſchichten, An. 1724. M. Octobr. Claſſ. IV. Art. 3. p. 404.

(b) *Libr. IX. Hiſtor. Natur. c. 61.*

alio fulgore clarere & quanto magis humorem habeat, lucere in ore mandentium; Lucere in manibus atque etiam in ſolo atque veſte, decidentibus guttis, ut procul dubio pateat, ſucci illam eſſe naturam quam miremur etiam in corpore. Cum vero PLINIO non ubique fidem habendam eſſe noverint eruditi, rem dignam eſſe judicavit, novis experimentis veritatem ſtabilire ſolertiſſimus in Gallia naturæ indagator Dn. REAUMUR omniaque ſic accidere expertus eſt. (c) Silentio prætereo obſervationem quotidianam illam, qua ex *felis* dorſo, frigida & ſicca tempeſtate in tenebris manu perſtricto, ſcintillas ignis fulgentiſſimas cum ſibilo elici, multorumque aliorum animalium oculos in tenebris fulgere videmus. Rarius autem eſt illud Phænomenon Monspelienſe & Patavinum, in corruptis putredine animantium carnibus, quas lucere obſervatum eſt. Hac de re elegantiſſime *Thomas* BARTHOLINUS, πολυμαθής, ad *Dan.* PUERARIUM reſcripſit: (d) *Faces faſcesque virgarum cornubus boum præligabat olim Hannibal ad fruſtandum hoſtem. Natura vero nobis faces æthereas, ſive lucem intimis viſceribus inſevit, quæ demum, tum emicat clarius, quando per putredinem, vel aliam corporis reſolutionem, ruptis quaſi repagulis, ſe exerit & diffundit, quod in agnina carne Monspelienſi & Patavina, in piſcibus & lignis putridis liquere poteſt.* Loca hinc ſordida, a clade prægreſſa putredinoſa, alibi urinoſa etiam, lucere pariter obſervata ſunt, quod etiam ſæpius in maris ſpuma, tumultuante tempore nocturno mari, obſervatum eſſe, illi norunt, qui navigant. Mirari hinc minus licet, ex urina, putrefactione diuturniori intimius reſoluta, eo majorem *Phosphori Brandiani* adqui-

(c) *Hiſtoire de l' Academie Roiale des ſciences l' Année 1723. p. 10. & Memoire de la méme Année. p. 287.*

(d) *Cent. IV. Epiſt. Anat. 87.* nec non *in peculiari de Luce hominum & brutorum ſchediasmate p. m. 241. ſqq.*

ri quantitatem, quo major prægreſſus putredinis gradus eſt, quod obſervatione comprobavit vir de Philoſophia naturali & Medicina egregie meritus D. *Herm. Fried.* TEICHMEYERUS. (e) Supereſt, ut pauca exempla Luminis in vegetabilibus nocturno tempore fulgentis proferam. Ex frumentorum nonnullorum, in primis tritici culmis, ſeu ſtraminibus ipſis induſtria ad mathematicas leges coordinatis parari inſtrumenta, ſeu ſpecula ſoli oppoſita non tantum lucentia, ſed etiam cauſtica, notum, non vero proprie hujus loci eſt. Illud autem magis huc pertinet, quod de Arundinis Indicæ & Cannæ communes attritu, ſeu colliſu refert ROHAULT; (f) nempe ignis ſcintillas ex eodem elici. Lignum quernum exſiccatum, dedolatum & probe calefactum, quando in tenebris manu chirotheca induta fricatur, plurimas ſcintillas quoque projicere adſerit νῦν ἐν ἁγίοις D. *Joann. Melch.* VERDRIES (g) de raris & admirandis herbis, quæ ſive quod noctu luceant, ſive alias ob cauſas *Lunariæ* vocantur, ſcriptus *Conradi* GESNERI Commentariolus, plura ſuppeditat exempla. Ex ſacchari, ſucci vegetabilis, compactioris, colliſione æque ac ex ſilicis percuſſione elici ſcintillas, noctu in tenebris magis conſpicuas, vel coquis notum eſt. Ex antiquitate PLINIUS (h) memoriæ prodidit, petito a quadam magis nota, exemplo; *In tenebris multos piſcium ſicut aridos robuſtosque caudices, vetuſtate, putresque, refulgere.* Quem & ſequuti ſunt ſcriptores rerum naturalium tantum non omnes, requiri nempe ad hoc phænomenon ligna vetuſtate, aut alia ex cauſa putrida.

(e) *In program. IVto de Phosphoris*, quod præmiſſum eſt *Diſſert.* in augurali D. Joann Fr. Weismanni, de *partu difficili ex infante brachio prodeunte.* Jenæ 1732.

(f) *Phyſic. Part. I. cap. 27. §. 20. p. m. 181.*

(g) *in Phyſica ſua edit. 3tia p. 210.*

(h) *Hiſtor. Natur. Lib. XI. cap. 37.*

da. Cum vero menſe Novemb. 1735. mihi contigerit illud ipſum etiam in ligno non putrido obſervare, & magno Auditorum meorum numero, eo tempore plus vice ſimplici demonſtrare, operæ pretium eſſe duxi, hanc obſervationem, quantum fieri poteſt, quoad ſingulas circumſtantias deſcriptam cum orbe erudito communicare.

Anni temporis, quo id factum eſt, jam mentionem fecimus, illud tantum addendum eſt, tempeſtatem fuiſſe frigidam valde & ſiccam. Nunc ligni ipſius conditio recenſenda eſt, quæ plurimum contulit. Cum Anno 1734. d. 28. Febr. ventus impetuoſiſſimus, magnam arborum copiam, inprimis abietum, in ſylvis violenter proſtraviſſet, quæ ædificiis exſtruendis inepta, pro focis uno anno alendis nimia eſſet, contigit, ut magna pars, prout jecit, in remotioribus in primis locis, ubi nullo viarum impedimento erat, ad uſus œconomicos in proximos annos reſervaretur. Expoſitæ interim, cortice non detracto, arbores aëris injuriis, donec ſubinde ad foci uſum diviſæ ſunt, per longitudinem & diametrum in partes minores, non potuere non a pluviis, ſole, aëre ſic alterari, ut multum a conditione recentis ligni receſſerint, licet nullam plane putredinis notam habuerint. Truncorum horum abietinorum lignorum copiam ego etiam ad uſus domeſticos emi, in quibus notavi, 1) corticem facillime ſeparari potuiſſe a ligno, immo ſponte abſceſſiſſe. 2) Lignum nondum fuiſſe aridum, ſed adhuc ſubhumidum. 3) Autumnali tempore reconditum mox 4) odorem ſpiraſſe urinoſo-reſinoſum. Recondebatur autem, uti apud nos fieri ſolet, in inferiore domus parte in Xylothecio. Cum vero eo tempore patrata ſæpius in urbe noſtra furta nocturna curam majorem exigerent patrumfamilias, accidit mihi, ut medio Novembris, cœlo frigido & ſicco, ingredienti locum illum, nocturno tempore, ut faciliores ipſe præclude-

 rem

rem aditus, omnino pluribus in locis luminibus ſcintillulantem debilioribus deprehenderem. Obſtupui primum, novitate rei commotus, ſed ſtatim in mentem venit, reponere comitantem candelam, & fores poſt tergum claudere, ubi illico major luminis copia & gradus oculos oblectavit. Nulla nunc ſupererat hujus phænomeni cauſa, quam in ligno quærenda. Separavi itaque fruſta lucentia, experturus an in alium locum translata lucere pergerent, quod & factum eſt. Inquiſivi itaque in qualitates ligni, eaque deprehendi, quales ſupra jam deſcripſi, ſine putredine. Proxime ſequente nocte idem phænomenon magno Auditorum meorum numero exhibui, cum maxima, uti circa res nondum viſas fieri ſolet, admiratione, qui ad muſea ſua revertentes, plateas hinc inde lucentium etiam corticum fragmentis illuminavere.

Circa phænomenon ipſum ſequentia notavi

1) Majorem fuiſſe ſemper luminis ſplendorem in cortice & ligno, cortice nunc recenter detracto.

2) Non ſolum illum locum, quem cortex tegit, ſed reliqua quoque latera, minori tamen gradu, fuiſſe illuminata.

3) Ligna ejusmodi exſiccata paulum amiſiſſe hanc qualitatem lucendi in tenebris.

4) Eundem, ſed multo debiliorem recuperaſſe una atque altera vice, repoſita in cella, adquiſito ſic priori humidi & ſicci temperamento.

5) Fortius autem exſiccatis, licet iterum humectata fuerint in cella, nunquam rediiſſe virtutes ullius luminis.

Patet itaque non putredinem ſolam, ſed tantum talem ligni diſpoſitionem tamquam ſubjectum ad hoc phænomenon aptum requiri, ut materia ætherea, a vinculis & com-

pedi-

pedibus liberata, ab aëre externo ambiente preſſa & in motum acta, in tranſitu per poros arctiores attritum paſſa, ſenſum viſus eo modo adficiat, quem *lucis* nomine ſignificamus. Eſſe vero attritivum illabentis, ſive prementis aëris, aut alius liquidi hujus vices gerentis, quale eſt hydrargyrum, & erumpentis, ſeu celerrime tantum moti ætheris motum, primariam hujus & proximam cauſam, omnia ac ſingula probant in lucentibus corporibus, quotquot illa ſunt, tentamina & phænomena. Expertus eſt circa Lampyridem idem laudatus BOYLE, & deprehendit, neque hanc in vacuo lucere (i) neque lignum putridum in machina pneumatica, ſubtracto aëre, lucere, ſed extingui, (k) utraque vero corpora intromiſſo aëre ἀναζωπυρεῖσθαι, ut prius, ſemper tamen lumen minus, crebrius repetito experimento. De dactylis idem fieri, i. e. atteri eosdem oportere, REAVMVR l. c. obſervavit ſequentibus: *Nos Dails ſont de urais Phosphores naturels, qui comme le phosphore artificiel, rend brillants tous les corps, contre lesquels* il eſt frotté; *les doigts ne ſauroient presque les toucher ſans devenir lumineux.* Et manducationis ipſius actum, eſſe imminutionem ciborum attritivam, mediantibus dentibus, maxillis, musculis, adjuvante lingua & ſaliva factam, nemo non tironum eſt, qui non noverit, inde non mirum dactylos hos ſub dentibus etiam lucere. Attritivum, aut ſaltem concuſſivum motum neceſſarium eſſe, ad lucis productionem probant porro barometra phosphorascentia; nam mercurio quieto, nihil luminis ſpargunt, aſt hoc in motum acto, lucula ludit in tubo. Neque enim vis illa mercurio ineſt neque vitro, ſed lumen oritur ex attritu, ſeu preſſione ætheris in anguſtius ſpatium ſurſum elevata columna mercurii, mox vero iterum

i) Experimenta nova circa aërem & flam. vital, animal. p. m. 34.
k) Act. Philoſoph. Angl. Nr. 31.

rum remiſſa. Quemadmodum id eleganter exponit Dn. *du FAY dans les Memoires de l'Academie des ſciences.* (1) Concurrebat ſimul pro hoc phænomeno, tempeſtas eo tempore frigida, qua 1) particulæ lucidæ ita ſunt coadunatæ, ut haud adeo facile ſenſum viſus effugiant, uti omnis vis unita eſt fortior, quod exemplo particularum odoriferarum non nullorum vegetabilium noctu, aut caloris minori gradu præſente, tantum naribus percipiendarum eleganter poteſt illuſtrari. 2) Quatenus frigus cavitates, ſive poros magis arctat, & corpus ipſum fortius conſtringit; unde affrictus particularum fluidarum tranſeuntium multum augetur. Hinc etiam factum eſt, ut exſiccatum lignum virtutem lucentem amiſerit, ob poros ſcilicet magis patulos, & ſic conceſſum liberiorem ætheris tranſitum, ſine tanto affrictionis gradu, quantus requirebatur. Cum vero ſpatulis poris major copia earum partiuncularum ætherearum abſcedit fit inde, ut ſemper mitior fiat, vel plane evaneſcat effectus, ſi iteratis vicibus inſtituatur experimentum, licet iterum novi humidi acceſſu magis coarctati ſint porri. Quod idem & experimenta Boyleana probant.

1) *1723.* p. m. *433.* edit. Amſtelod. conf. BOERHAVII *Elem. chem. part. II. edit. Lipſ. p. 163.*

OBSER-

OBSERVATIO CXLV.

Dn. D. JOANNIS SALTZMANNI.

Ad Obſervationem de muſculis plerisque extremitatis inferioris dextræ, vel omnino, vel ex parte deficientibus,

παραλειπόμενα

Communicavit hæc Dn. Auctor, nunc pie defunctus paulo ſerius cum typis jamjam exſcriptum eſſet *Volumen IV. Actorum noſtrorum*, & in eo publici juris facta *obſervatio LXIV.* quæ ibidem *p. 246.* extat. Cum ergo ad hujus illuſtrationem & uberiorem declarationem multum omnino faciant, adeoque citra injuriam omitti nequeant, hinc ea ad minimum hac occaſione, & quidem ex litteris ad Illuſtr. Præſidem noſtrum id circo datis, deprompta, ſubjungere placuit, utpote quæ ſequentis ſunt tenoris:

Quinque, & quod excurrit, menſes ſunt, ex quo obſervatiunculas aliquot ad Te, vir Illuſtris, transmittere ſuſtinui, eum in finem, ut ſi dignas eas judicaveris, Academiæ *Actis* inſeri, haud gravatim curares. E quibus una ni fallor, *plurium pedis muſculorum* defectum, in *Chalcographo* deprehenſum, exhibet, qui caſus rarior adnotatuque dignus mihi viſus eſt. Phœnomeni hujus inſoliti cauſam vitio in utero contracto adeoque matris imaginationi tunc temporis adſcripſi, eo adductus falſa hominis relatione, qui a me ſciſcitatus, nullum morbum prægreſſum, nullam etiam cauſam externam, eamque violentam accuſaverat, ſed a prima infantia & ab omni ſua memoria hac motus impotentia ſe laboraſſe (neſcio qua de cauſa) conſtanter adfirmaverat. Poſteaquam vero Diſſertationem Academicam de ſupra memoratu caſu conſcribere meeum conſtitui, tantum non ab omnibus, qui a primis ipſum unguiculis noverant, vel ſangui-

ne juncti cum ipſo fuerant, quascunque circumſtantias explorare quovis modo adlaboravi, tandem meliora edoctus comperi, quod in transmiſſæ Diſſertationis §. *XI. p. 16.* adnotatum legitur, nempe noſtrum, cum puer ſexennis eſſet, utriusque pedis paralyſi correptum fuiſſe, quæ in dextro, in quo muſculorum defectus fuit obſervatus, per integros octo annos ſubſtitit. Dicta paralyſis ſupervenit puerili exercitio, quo frater natu major noſtrum humeris frequentius excepit, pedibus antrorſum ſuper portatoris pectus propendentibus. Aetiologiam hujus rei valde abſtruſam eſſe Diſſert. cit. §. *XIII. p. 18.* fateor, quantum vero conjectura adſequi licet, hunc effectum a nimia & violenta muſculorum nervorumque extenſione natales duxiſſe admodum probabile videtur, uti §. *XVIII. p. 26.* innui, quam inſequuta eſt dictarum partium atonia, ſanguinis & liquidi nervei influxus interceptus, unde per conſequens nutritio minus feliciter ſucceſſit. Influxus iſte, quia in muſculorum aliquos fere penitus denegatus erat, hinc prorſus illi deerant, in alios majori ex parte fiebat, unde non niſi rudimenta eorum conſpiciebantur, in aliquibus omnino vigebat, quare colorem & texturam naturalem præ ſe tulerunt. vid. §. *XX. p. 31.* Copioſum adipis, ſubſtantiam ſteatomatoſam æmulantis, proventum adſcripſi ex mente BOERHAVII oleo nimia in copia collecto & vaſa fibrasque arctanti & fere comprimenti, quod uti in ſanis, ita pariter in ægris corporibus a nimio otio fieri ſolet, vid. §. *XVIII. p. 27.* hocque otium paralyſis octo annorum noſtro ſubjecto omnino imperaverat. Quodſi ergo ſupra memorata obſervatio typis impreſſa nondum eſt, optarem, ut error iſte, quem paulo ſerius agnovi, corrigeretur, facta cauſæ verioris mentione, tum ut de rei veritate conſtet, tum etiam, ne Lector, ad cujus manus & *Acta* Illuſtris Academiæ & *Diſſertatio Academica* forſan pervenerint, confundatur. Qua autem ratione fieri illud quam aptiſſime poterit, ſubacto Tuo, Vir Illuſtris, judicio penitus relinquo, ſimul ea, qua par eſt, obſervan-

tia

tia & veneratione rogitans, ne quod negotii & laboris eo ipſo Tibi faceſſo, malam in partem interpreteris.

OBSERVATIO CXLVI.
Dn. D. JOANNIS STORCHII.
Abſceſſus Omenti & Hepatis lethales.

Juvenis 24. annorum, tenerioris conſtitutionis & non adeo proceræ ſtaturæ, ætatem infantilem ſub morbi rhachitici ærumnis tranſegit, ab illo vero tempore vitam ſatis tolerabiliter & a morbis gravioribus immunem duxit, niſi quod facie pallida incederet, nobili cuidam aulico a pedibus. Die 29. Auguſti a. c. pulmentum farinaceum adpetitui ejus in cœna blandiebatur & mox frigidam ſuperbibebat cereviſiam; non multo poſt vero duritiem abdominis & obſtructionem alvi cum torminibus animadvertebat. Exhibebatur ei aliquoties Tinct. Rhabarb. cum vero nihil inde levaminis ſentiret, die ſequenti equitatione alvum reſerare ſuſcipiebat, ſed fruſtrato conamine. Præſcribebam pulveris digeſtivi doſes duas & globulos ſaccharinos ſuppoſitorii loco adplicandos, nec ab his recludebatur alvus. Die 31. horrore febrili aliquoties corripiebatur, & cum hero ejus in memoriam veniret, ſervum hac æſtate ventriculum cucumeribus, tam recentibus, quam muria conditis ſæpius impleviſſe, ſuſpicio oriebatur de febre intermittente forſitan ſub his ſymptomatibus latitante. Jubebam hinc, ut pulveres digeſtivos repeteret, & ſalis amari dimidiam unciam adſumeret, unde etiam ſexies dejecit. Veſperascente vero cœlo duritiem abdominis, dolore ſtipatam, verſus pectinis regionem deſcendentem ſentiebat: hinc veſperi alteram, & die 1. Septembris, tertiam portionem ſalis amari ut ſubjungeret, auctor ſuaſorque eram.

Ab horrore die 2. quidem liber fuit, interim pertinax erat

 obſtru-

obſtructio & alvus non, niſi hora 5. pomeridiana ſemel recludebatur, haud mutata tamen duritie, nec imminuto dolore. Die 4. conclave, ne a frigore detrimentum caperet, mutabat, tormina vero continuo urgebant, quæ, cum alvum deponere neceſſum haberet, atrociora fiebant. Præſcribebam IV. doſes pulv. digeſtivi cum Antimon. diaph. mixti, a quibus levamen ſentiebat. Die 5. Sept. de alvo iterum obſtructa & dolore ventriculi conquerebatur, medicamenta tamen non mutabam. Die 6. eodem in ſtatu permanenti ſequentem præſcribebam Mixturam: Rec. Eſſ. Cort. aurant. Elix. propr. ſine acido ana ℥ij. M. Doſis gutt. XXX. ter de die. Sequenti die ſeptimo obſtructio & durities abdominis adhuc durabat, unde ei doſin Pilul. Becher. c. Extr. Panchym. Crollii gr. XII. ordinabam, & clyſteris emollientis adplicationem urgebam; hic vero exitum non moliebatur, ſed abdomen cum dolore inflabat, pectoriſque anguſtiam, cum reſpiratione difficili, inducebat: ideo potiunculam aſthmaticam præſcribebam & clyſterem cum aqua ſalina injicere jubebam.

Die 8. Sept. ſæpius excrementa aquoſa & tenuia reddebat; abdomen tumidum dolore adficiebatur. Inflammationem internam hinc metuens, potiunculam diapnoicam, mixturam refrigerantem cum nitro mixtam & Pulv. antiſpasm. cum antimon. diaph. præſcribebam.

Die 9. nocte præterita ſæpiſſime alvum depoſuit, & pauca aquoſa evacuavit. In fronte noduli, varis ſimiles, efflorescebant; ſudabat, ſitiebat, noctem inſomnem tranſegerat, adpetitus languebat, & dolor tumorque abdominis incrementum potius, quam decrementum, capiebant, hinc periculum prædicebam. Veſperam verſus diarrhœa quidem mitior erat, ſed ſine remiſſione morbi; unde ſequens ordinabam: Rec. Liqu. Terr. fol. Tart. ℥iß. Tinct. Rhabarb. ℥ß. Extr. Caſcarill. gr. IV. M. D. pro duabus vicibus.

Die

Die 10. Noctem quietiorem tranſegit; ſudor cum levamine prorumpebat, abdomen in latere dextro mollius evadebat, in ſiniſtro vero adhuc durum erat, & ad tactum dolebat; hinc mixturam heſterno die præſcriptam repeti curabam.

Die 11. morbus erat tolerabilis, ſed ſub crepuſculo ſingultuoſis concuſſionibus adficiebatur patiens, quæ & die 12. præprimis poſt cibi adſumtionem, continuo urgebant.

Die 13. quater noctu alvum exoneraverat, abdominis durities miteſcebat, circa iliacam vero regionem ſiniſtram percipiebat dolorem ardentem, & œſophagum ſimul occupantem, cum ſingultu & ſudore continuo: præſcribebam Tinct. Rhab. c. Eſſ. Caſcarill. ad guttas XL. ſingulis quaternis horis adſumendam.

Die 14. a ſingultu, ſymptomate periculoſiſſimo aſſidue torquebatur, vires indies imminuebantur, ſudor ſine intermiſſione fluebat, abdomen ad tactum molleſcebat, in latere vero ſiniſtro protuberantia quædam obſervabatur, ex qua abſceſſum, ad 4. pollices juxta umbilicum, latentem, ominabar, hinc Empl. de meliloto cum diach. compoſ. imponere jubebam, & mixt. refriger. c. paucis guttulis Balſ. vit. Hoffm. pro grato odore admixtis, præſcribebam. Noctem verſus ſingultus mitior erat; cibos liquidioris conſiſtentiæ aliquoties adſumſit, de æſtu vero interno conquerebatur, unde potiunculam diluentem ordinabam.

Die 15. tumor circa ſiniſtram iliacam regionem ſub emplaſtro magis protuberans, ſuſpicionem abſceſſus augebat; interim aphthodea faucium & uvulæ inflammatio novam ægroto creabat moleſtiam. Varis æmula tubercula in fronte plura adparebant. Apicem abſceſſus Empl. diach. c. gumm. tegere chirurgo injungebam, quamquam ille abſceſſum usque dum agnoſcere recuſabat.

Die 16. Abſceſſus augmentum non cepit, æger placide

 dor-

dormivit & dolores mitigatos ſentiebat; aphtharum multiplicatio vero tuſſim excitavit.

Die 17. Abdomen hac nocte in tantum detumuit, ut nullum abſceſſus veſtigium adpareret, tranquilliorem ſomnum habuit, quamdiu diarrhœa ei decumbere permiſit. Pedes ab aliquot diebus tumidi erant, magis tamen ſiniſter, quam dexter. Pectus, quoties per tuſſim movebatur, toties æger dolorem in loco abſceſſus ſentiebat, ut libere & prompte expectorare haud valeret.

Die 18. abſceſſus in ambitu duritiem tactui afferebat, in medio, ad digiti latitudinem, mollis erat: fauces aphthis adhuc obſidebantur & æger quotidie horis pomeridianis æſtum febrilem patiebatur intenſiorem.

Die 19. ſingultus per aliquot dies raro obſervatus, nunc recrudeſcebat, & tumor in latere magis adhuc auctus adparebat, hinc apertionem abſceſſus neceſſariam fore judicabam.

Die 20. chirurgus hactenus propter ruboris abſentiam dubius, nunc mecum ſentiebat, interim tamen in craſtinum inciſionem differebat.

Die 21. cum locus pro exciſione nimis anguſtus & ſolummodo ad latitudinem apicis digiti accederet, chirurgus ſignaturam petebat, quam ego ipſe linea nigra notabam; hinc lanceola primo cutim, poſtea vero & muſculos abdominis caute perforabat, ex quo vulnere protinus pus cum ſaltu profluebat dilutum, aquoſum & nauſeoſe fœtidum, quod illico cutim ad groſſi circiter latitudinem nigredine, malo prorſus omine, defœdabat: poſt evacuationem libræ hujus purulentæ materiæ, vulnus turunda obturabatur & emplaſtro glutinoſo ad ſpatium 5. horarum, clauſum detinebatur.

Die 22. referebat æger, diarrhœam & ſingultum ſtatim poſt abſceſſus evacuationem ceſſaſſe & noctem quietiorem ſeſe tranſegiſſe: materia hodie cum impetu proſiliebat, ſed coloris fuſci & ſimul bilioſi, quam tandem ſaniei fruſtula ſequeban-

bantur, hinc, pejora metuens, ſphacelum internum prædicebam. Hora tertia pomeridiana tertia vice aperiebatur vulnus, quod eandem quantitatem puris fuſci & crocei coloris, cum ſaltu eructabat, ocyus ſub ſiſtebat, nec aliquid reſidui, etiam ſtilo ſulcató adhibito, effluere permittebat: interim febris ardens cum ſumma anxietate verſus crepuſculum ægro moleſta erat.

Die 23. materia quantitate non minor adparebat, &, ſi quinquies vulnus per diem aperiebatur, ſemper quoque eadem quantitas evacubatur: interea æger facie magis compoſita adparebat. Jubebam, pro emendatione puris, decoctum ſcordii cum melle roſato & pulvere Aloës injicere.

Die 24. abſceſſus eandem ſemper quantitatem materiæ mali coloris & fœtoris præbebat: vires magis magisque deficiebant, & æger tuſſi gravius adfligebatur. Præſcribebam, pro mitiganda tuſſi, Pulu. catarrh. cum ſaccharo lactis & potiunculam aſthmaticam.

Die 25. pus non imminutum: reſpiratio in dies fit difficilis & febris cum ſudoribus exacerbatur.

Die 26. materia quoad conſiſtentiam craſſior, ſed adhuc fuſci & bilioſi coloris, & maximum fœtorem ſpargens, evacuabatur, febris non miteſcit & facies carne depauperata liveſcebat: ſuſpicio hinc oriebatur, quod forſitan materia fuſca & tetri coloris ex rupto inteſtino proveniret, hinc præſcribebam emulſionem ex amygadalis & piſtaceis.

Die 27. noctu a chirurgo materiæ intermixta obſervabatur albicans, hinc certiorem de inteſtini perforatione ſe ſe eſſe credebat. Reſpiratio multo difficilior erat: pomeridie puris minor quantitas, magisque denſum vel craſſum eliciebatur.

Die 28. poſt mediam noctem æger obſcurationem oculorum per horæ quadrantem paſſus eſt, difficulter ſpiritum duxit & verſus diluculum convulſionibus correptus animam efflavit.

Quarta poſt mortem hora anatomice perluſtrabatur corpus,

pus, præprimis vero abdomen, quod nec tumidum nec collapſum erat. Remotis integumentis communibus, inveniebantur firmius adnata, unita & cohærentia peritonæum pariter ac omentum, & hoc præcipue cum inteſtinis quæ itidem quoad maximam partem inter ſe invicem conglutinata, nullo vero loco rupta vel corroſa deprehendebantur. Ex hacce concretione facile nunc concipi poteſt, quomodo abſceſſus in latere ſiniſtro, ex omento originem ducens, capſula quaſi incluſus, exiſtere potuerit, ne pus in cavitatem abdominis dimitteret. Cavitas in toto ambitu fuſca erat, quo colore ſphaceloſo & pars meſenterii, & proxima inteſtina infecta reperiebantur. Omentum præter hunc abſceſſum conſpectui offerebat decem pluresve glandulas nucis juglandis magnitudinem æquantes, quæ tumidæ erant & in pus albicans degeneraverant, quarum aliquæ, dum omentum a peritonæo disjungeretur, rumpebantur, & pus maturum effundebant, ex quibus & illa materia alba quæ die 27. nocturno tempore cum pure fuſco evacuata fuit, derivanda eſt.

E latere dextro inter ſecandum prorumpebat ſesqui libra puris cocti, tenuioris & fœtitiſſimi, cui hepar innatabat: quo ipſo evacuato, in hepatis parte ſima origo illius in ulcere rupto, quod in ambitu nigrum erat, in conſpectum ſe ſe dabat. Proinde quoque meſenterium quam plurimas continebat glandulas tumidas, partim in pus mutatas, partim adhuc conſueti coloris & conſiſtentiæ naturalis.

Veſicula fellea ne guttulam quidem humiditatis fovebat; num vero bilis per ductum quendam abſconditum in abſceſſum magnum lateris ſiniſtri effuſa ſit, fœtor & cohærentia viſcerum explorare non permittebant. Lien melioris erat ſubſtantiæ & renes ſanioris conſtitutionis.

In pectore pulmones in latere ſiniſtro per ligamentum latum coſtis adhærebant & lobus anterior retractus erat, ut cordis mucro immediate tangeret ſternum & anteriorem coſtarum partem; quod conformationis vitium in multis poſt mortem de-

prehen-

prehendi rhachiticis. Pulmones ipſi malo colore & plurimam partem corrupti erant.

Ex hiſce ſingulis clare nunc patet, quod morbus rhachiticus primis pueritiæ annis perpeſſus, pro fundamento & origine concretionis & perverſæ conſtitutionis viſcerum ſit habendus; & ſane mirum omnino erat, quod juvenis hic tam diu ſine incommodo vivere potuerit.

De tuberculis in fronte efflореſcentibus adhuc notandum eſt, quod ea plus ſimplici vice in dyſentericis & ex inflamtione viſcerum morientibus obſervaverim, mihique utplurimum ſignum periculi inſtantis præbuerint.

OBSERVATIO CXLVII.

Dn. D. JOANNIS STORCHII.

De

Tuſſi convulſiva, cum Rhachitide complicata, lethali.

Puerulus nobilis, unius & dimidii anni, habitus ſucculentioris, ſed ſimul pallidioris, leviter aliquo tempore ſcabioſus & tuſſi convulſiva per 3. hebdomadas, una cum tribus fraterculis, laborans, a miniſtrante quadam, pro ſcabie ſananda lavabatur cum urina propria, unde ſcabies quidem exſiccabatur, tuſſis vero exaſperabatur. Die 8. Julii febre pectorali corripiebatur, quæ poſt injectionem clyſteris, uſumque potiunculæ diluentis mox mitior adparebat, hinc altero die, ad revocandam ſcabiem, horis matutinis, veſicatorium ad ſuram adplicabam, quod veſicam ſatis amplam excitabat, indeque morbus multo mitior videbatur. Die 10. pruritus in manibus quidem obſervabatur, ſcabies vero redire recuſabat. Die 11. erectioris erat animi, breviter vero reſpirans, hinc altera vice veſicato-

rium in uſum trahebam, quod die 12. ſerum mucidum proliciebat, poſtmodumque alactior puer erat: pomeridie purpura rubra in collo & pectore efflorescebat, interim vero tumor per totum corpus anaſarcodeus exoriebatur, qui die 13. augmentum ceperat, cum anguſtia pectoris & tuſſi ſæpius recurrente: Medicamenta quæ præſcribebam conſiſtebant, in Decocto C. C. raſpati c. Rad. Scorzon. & Rad. Chin. opt. pro potu ordinario, idemque Tinct. Tart. ad guttas 10. ter de die exhibita.

Die 14. tumor nec auctus, nec imminutus erat, aſt hora 9. me præſente vehementiori corripiebatur paroxysmo epileptico, ad 10. minuta horæ corpuſculum concutiente: pro cujus mitigatione & ulteriori præſervatione ordinabam Pulv. antiſpasmod. ſpecif. cephal. Milleped. ppt. ana ℈ß. M. pro tribus doſibus. Redeunte vero proximo veſpere expiravit.

In ſectione anatomica, a parentibus deſiderata, quæ ſequuntur, obſervabantur.

1) Totum dorſum & crura cum femoribus maculis lividis erant ſuffuſa.

2) Abdomen tumidum adparebat, ab inteſtinis a flatibus diſtentis, & in pelvi ℔ß. ſeri extravaſati fluctuabat.

3) Hepar grande duas libras ponderans; Lien naturalis conſtitutionis: Renes paululum tumidi.

4) In cavitate pectoris dextra reperiebatur ſeri extravaſati limpidi ℔j. in ſiniſtra vero ℥iij. vel IV. ejusdem, cum albicante materia viſcida mixti. Totus pulmo, excepto unico fruſtulo, ad pollicis latitudinem, quod naturalem colorem, pallido - ſcilicet rubicundum, ſervaverat, fuſcus ad nigredinem vergens, muco ſpumoſo infarctus & inflatus, adparebat, ex quo conjicere licebat, inflammationem &

cor-

corruptionem hujus viſceris cauſam mortis fuiſſe primariam.

Cor magnum in utroque ventriculo polypum continebat ad digiti longitudinem, glanduloſo - membranaceæ conſiſtentiæ. Pulmo in latere ſiniſtro cor non totum ambiebat, ſed fruſtum, pro mucrone tegendo, duorum circiter pollicum latitudine deficiebat.

Quælibet coſtarum in utroque latere, non in loco articulationis cum ſterno, ſed in media cunctarum parte, excreſcentiam monſtrabat cartilaginoſam, nucis moſchatæ magnitudine, introſpectantem, hæcque ſingulæ protuberantiæ faciem præ ſe ferebant, ac ſi coſtæ fractæ & per callum reunitæ & conſolidatæ fuiſſent.

Ex hiſce phænomenis, cum primis vero Hepate grandiori, incurvatione & protuberantiis coſtarum, nec non particula pulmonum deficiente in anteriore regione, utique hariolari licet, puerulum initium morbi rhachitici aluiſſe, qui facile in actum prorupſiſſet, niſi mors præmatura acceſſiſſet. Matrona quædam agnata, hancce perverſam conſtitutionem adſpiciens & attente conſiderans, ajebat: Nunc non miror, quod puerulus a nativitate fuerit valetudinarius, ſemper difficulter ſpiraverit & compreſſionem pectoris a thoracibus ægre perferre potuerit. Parentes ſolatium admittentes Deo gratias agebant, quod filiolum e plurimis ærumnis vitæ morboſæ & forte futura contractura per mortem placidam eripuerit.

)o(

OBSERVATIO CXLVIII.

Dn. D. JOANNIS STORCHII.

De

Morbis quibusdam conſequentibus & in phthiſin terminatis.

Puer 8. annorum, tenerrimæ conſtitutionis, docilis & acrioris ingenii, digitis enim concinne modulabatur clavichordii chordas, nec in alias occupationes ſcholaſticas negligenter animo incumbebat; vires autem in culturam memoriæ & judicii acrius ſic impendens, corpori & actionibus vitalibus eas ſubducebat, adeoque impar erat morborum ſe invicem ſubſequentium inſultibus perferendis, ita, ut etiam tandem ſuccumbere cogeretur. Medio enim Aprilis a. c. tuſſi convulſiva graſſante corripiebatur, quacum medio Maji complicabatur febris peripneumonica, cum delirio, morbus tamen, adplicatis veſicatoriis & medicamentis temperantibus, feliciter profligabatur, tuſſi tamen, pro more conſueto, ad trimeſtre perſeverante. Vix ſuperata ferocia tuſſis, die 30. Julii corripiebatur inſultu febrili, quem die 7. Septembr. cum novo paroxyſmo ſcarlatina, mitioris quidem indolis, ſuſpecti tamen eventus, excipiebat; hinc ſerio parentibus inculcabam, ne nimis cito aëri exponatur puer, & ſecus ſi fieret, tumorem inde certiſſime ſubſecuturum, mature prædicebam. Aſt monitum hoc, citius miteſcente morbo, prorſus ſpernebatur & puer die 24 Sept. ædes meas viſitans, tumorem anaſarcodeum, quem metuebam & prædixeram, in facie & artubus oſtendebat; inſuper urinam hydropicorum lixivioſam & plumbei coloris mingebat: debitis tamen adhibitis medicamentis

tis aperientibus & laxantibus, ſpatio trium ſeptimanarum hoc quoque debellatur malum.

Die 27. Sept. de novo corripiebatur febre pectorali, cui jungebatur delirium nocturnum; aſt & hæc febris juſto tempore remittebat, perennante ſolummodo tuſſi cum expectoratione, contabeſcentia corporis & inquietudine ſemi delira nocturna. Circa initium Novembris tres vermes, partitis vicibus cum excrementis alvinis excernebat, & nares a catarrho leviter ulceroſo obſidebantur; hinc, Pathologiam verminoſam in cerebro foventes, parentibus perſuadebant, totum morbum ejusque ambitum a vermibus originem ducere, quorum adſerto vero minime ſubſcribere potui, certiori enim nitebatur fundamento ſententia mea, quod plurima ſymptomata, præprimis narium catarrhus & inquietudo nocturna, dentitionem ſecundam & proruptionem novi dentis molaris pro cauſa agnoſcerent, ipſa vero pectoris anguſtia, cum reſpiratione breviori, verbo: phthiſica conſtitutio, pro malo hæreditario, habenda ſit. Diæta interim exacte obſervata cunctos ſpe reconvaleſcentiæ lactabat, donec tandem hauſtus vini cum pane ſaccharato, ſcopo confortandi exhibitus, repentinam expectorationis ſufflammationem & pulmonum majorem inflationem & inflammationem inducebat, quibus præſentibus die 25. Nov vitam cum morte commutabat.

De hujus filii dilectiſſimi obitu varia divulgabantur judicia: Aliqui accuſabant parentum nimiam ſollicitudinem & impulſum ad litteras & artes addiſcendas, & exinde natum malum hypochondriacum; alii vero arguebant Medicum ignorantiæ pathologiæ verminoſæ: hinc patri placebat per ſectionem anatomicam in cauſam mortis inquirere, id quod mihi gratiſſimum erat, & idcirco ambabus amplectebar manibus.

Secabatur adeoque corpusculum, phthiſi admodum extenuatum, die 26. Novemb. ac dilucidæ demonſtrabatur.

1) *In Abdomine*, quod omentum aliqualiter corrugatum, non ut ordinarie obſervatur, inteſtina, ſed ſurſum retractum, ventriculum obvolveret.

Hepar mole grandius, ſed conſiſtentia & colore ſanum, in quo per veſiculam fellis transſudaverat liquor bilioſus & inteſtina adjacentia luteo colore tinxerat.

Lien reſpectu ætatis magnus & durioris conſiſtentiæ, interim non induratus, ſive ſcirrhoſus erat.

Ventriculus continebat potulentorum ℥vj. & neque hic, neque totus inteſtinorum canalis, utpote quæ ceteris cum viſceribus ſanioris erant conſtitutionis, vermium veſtigium monſtrabant, indeque pater & adſtantes omnem ſuſpicionem in Medicum, de minus ſufficiente cognitione & diagnoſi morbi deponebant.

2) *In pectore* pulmonum tota compages inflata, tumida & colore nigricante, inflammationis ſigno luculento, ſuffuſa conſpiciebatur, nusquam adnata, aſt in ſuperiore parte ſiniſtri lateris, abſceſſum, puris bene cocti ʒij. continentem, fovebat.

Cor totum quantum extus & intus ſanum erat.

Hinc cauſam mortis veram in inflammatione, inflatione & abſceſſu pulmonum unice ponendam eſſe judicavi.

Quoad naſum, ulcere catarrhoſo infectum, adhuc notandum eſt, quod hic adfectus, æque, ac pruritus, juxta vulgi opinionem, minime a vermibus derivandus, ſed potius in caſu præſenti congeſtionibus propter dentitionem verſus caput directis, adſcribendus ſit.

(*Iſenaco Erfordiam transmiſſæ*
d. 4. Decembr. 1738.)

OBSER-

OBSERVATIO CXLIX.

Dn. D. JOANN. HOARTMANNI DEGNERI.

De

Amuleto ex Mercurio vivo, ejusque virtute ad impediendam lactis ſecretionem.

Mercurii, ſeu argenti vivi indolem & vires ſingulas qui ſcrutari & explanare conaretur, totum illi vitæ curriculum haud ſuffecturum eſſe putarem; tanta unici hujus ſubjecti mirabilis & pene imperſcrutabilis eſt natura. Ut nunc illam tantum tangam qualitatem, ob quam chemici fere omnes ab omni ævo unanimi conſenſu mercurium vocarunt. *Semen & materiam omnium metallorum communem*, ſunt ſane hodie alii, haud infimi ſubſellii viri, qui, plane contrarium ſtatuentes, non minori probabilitate contendunt, ipſum argentum vivum, ad metallicam mixtionem & conſiſtentiam adipiſcendam, omnium mineralium eſſe ineptiſſimum. Hoc certe verum eſt, mercurium per innumeros proceſſus chemicos, a tot tantisque artificibus, tortum & vexatum, ſemper tamen manſiſſe mercurium, omnesque artes humanas in hunc usque diem eludentem, ſuam conſtanter retinuiſſe naturam immutabilem, ut inde quilibet etiam acutiſſimi ac exercitatiſſimi viri ingenue fateri cogantur, nihil certi, nihil firmi, nihilque probabilis quidem de principiis conſtitutivis mirabilis hujus ſimplicis concipi & demonſtrari poſſe. Miſſis vero intentionibus chemicis, quibus mercurius inſeruit, in arte etiam medica non minori in quantitate, varia ſub forma, ad varios ſcopos, cum externe, tum interne adplicatus, varia fata expertus eſt idem, nunc tamquam ſummum venenum, nunc vero ut remedium efficaciſſimum ad multos morbos declaratus. Nec hæc quidem

dem omnia injuſte, ſiquidem mercurius corpus humanum immediate tangens & intra diffuſſus, pro diverſa præparationis, adplicationis, aliarumque circumſtantiarum ratione, utique modo noxius, modo ſalutaris exiſtere poteſt. Sed alium nunc & magis mirandum, immo, quantum quidem novi, publice nondum cognitum ejus produco effectum, ubi nimirum mercurius vivus machinam humanam minime intrans, ſed tantum e longinquo, & ſub amuleti forma, externe uſurpatus, ſine ponderis ſui diminutione, toties, quoties adplicatus fuit, ſtupendos tamen in hac producit effectus. Jam olim quidem mercurium vivum, ſub amuleti forma, avellanæ, vel calamo incluſum, & de collo ſuſpenſum, a Medicis contra peſtem adhibitum fuiſſe, legimus in CAMERARII *ſylloge memorabil. med. Cent. V. pag. 91. Annal. med. phyſ. Uratislav. Tentam. XV. pag 199.* Contra veneficia quoque in bruta animantia commiſſa tale amuletum in uſu fuiſſe, memoratur in citat. *Annal. Uratislav. Tentam. IV. pag. 90.* Immo Paduæ fœminas lactantes contra faſcinationes erga ſe patratas, mercurium avellanæ incluſum, ſecum geſtaſſe, ne lac abiret, ex *Th. JORDANI de peſt. phænom. Tr. 3. pag. 583.* referunt dicti *Annales Uratislav. Tentam. XV. pag. 99.* eaque remedia ſuperſtitionem pravam redolere declarant. Non vero omnibus remediis, quorum modum operandi ignoramus, & in ſpecie etiam amuletis, ſuperſtitioſi aliquid ſubeſſe, immo potius conſtantem & mirandum amuleta nonnulla edere poſſe effectum, ſequens docebit obſervatio: Repletur nimirum mercurio vivo calamus ſcriptorius, ejusque orificio cera ſigillaria accurate obturato, inter mammas de collo ſuſpenſus geſtatur a mulieribus, quibus *lac ſuum diſcutere*, animus eſt, eo usque, donec omne lac evanuerit; id quod negotium ſolo hoc remedio, optimo & conſtanti cum effectu, & ſine ulla noxa, lente ſemper ſucceſſiſſe, non ſolum ſæpiſſime vidi, ſed & illud unice

omni-

omnibus, qui eo opus habent, ſuadeo, nec eſt, cur quisquam mali quid aut ſuperſtitioſi inde metuat. Præter ea novum non eſt hoc remedium, quia potius in Hollandia, Amſtelodami, Hagæ Comitum, &c. multis mulieribus nobilibus hoc eſſe remedium familiare, tutum ac probatum, ab amicis compluribus didici.

Contrariari equidem videtur hoc experimentum illi, quod JORDANVS protulit, e diametro, dum ab eo ad augendum lac adplicabatur, heic loci vero ad illud minuendum commendatur: ſed meminerit lector, JORDANVM loqui de mulieribus Paduanis faſcinatis, noſtræ vero ab hac creduli vulgi opinione adhuc liberæ manſerunt. Rationes dicti effectus, ſi quis ex me ſcire cupiat, illi cordate fateri teneor, me nil ſcire, ſed potius eas excutiendas & decidendas relinquere illis, qui in conjecturis ſagaciores & feliciores ſibi videbuntur. Hoc adhuc addo, idem amuletum aliis adhuc uſibus deſtinari, ut mihi relatum eſt, ob damna tamen & mala, a malis inde metuenda, omnia publice declarare non audeo.

OBSERVATIO CL.
Dn. D. JOANN. HARTM. DEGNERI
De
Cinerum clavellatorum adulteratione per ſal commune.

In arte medica juxta ac chemica quantum valeat pro felici experimentorum ſucceſſu, legitimis ac minime adulteratis remediis inſtructum eſſe, expertis abunde conſtat, nec eſt, ut prolixius hoc explicem. Hac certe mente jam dudum complures viri docti deſudaverunt in eo, ut ſingulorum ſimplicium, aut compoſitorum veros & ſpeci-

ficos notarent characteres, impoſtorumque fraudes, ſi ſe illis immiſceant, facilius detegant. Adulterantur vero hæ res non tam frequenter plane aliena iis ſubſtituendo, quam potius & utplurimum pondus earum per peregrinarum & viliorum rerum additionem augendo, quo certius & majus inde capiant lucrum mercaturæ fraudulentæ ſtudioſi. Notabile hujus depravationis habui exemplum, quod cum publico communicare eo minus dubitavi, quum a pluribus retro annis magnam cinerum clavellatorum copiam variis laboribus chemicis inſumſerim, nec unquam tale quid mihi obtigerit. Comparatis nimirum tribus libris dicti ſalis alcalıci a mercatore, a quo emere ſemper ſolitus eram, aqua frigida ſolvendo volebam illud depurare, ſed obſervans juſto majorem in earum ſolutione frigidæ conſumi quantitatem, humidum ſuperfluum evaporatione diſſipare, ſimulque experiri decrevi. num forſan ſalis neutri quantitas extraordinaria inſueti hujus phænomeni cauſa exiſteret, ſed maxime fallebar; cryſtallifatione enim facta, nil niſi ſal commune prodibat non ſolum cryſtallorum forma facile cognoſcibile, ſed & quod igni injectum fortiter crepitabat, Continuato itaque hoc evaporationis & cryſtalliſationis labore, ultra duas ſalis communis libras ſucceſſive collegi, neque ullo pacto reſiduum ab omni ſalis communis inquinatione plane liberare potui, quin potius labores, quibus deſtinatum erat, etiamnum deperderet. Haud vero contemnenda hæc mihi videtur obſervatio, dum ea nos monet, in uſu hujus ſalis in poſterum cautius procedendum, nec adeo promiſcue, nec ſine præmiſſo examine, illud adhibendum eſſe. Licet enim id ipſum non adeo magni conſtet, captant tamen in ejusdem adulteratione haud exiguum lucrum artifices fraudulenti, dum, computo facto, ſal alcali ad minimum octies carius divenditur, quam ſal commune, & hæc ratio jam ſola impoſtoribus ſufficit, ad hunc dolum

eo frequentius committendum. Intereſt vero Reipublicæ medicæ quam maxime, ut ejusmodi doli omnibus innoteſcant; ſæpius enim fit, ut experimentum aut non debitum, aut plane contrarium ſortiatur effectum, latente mali ſucceſſus cauſa.

(Neomago Erfordiam miſſa d. 10. Decembr. 1738.)

OBSERVATIO CLI.

Dn. D. PAVLI HAASII.

De

Vaginæ uteri, tempore partus, ruptura.

Opificis mulier conjugii ſui tempore novem jam in lucem edidit liberos, aſt ſingulos maximis cum laboribus & difficultatibus, ſi excipias gemellos, (bis autem tales in utero geſſit,) quorum uterque pedibus præviis & ſine longiori mora prodibat. Anno ætatis ſuæ trigeſimo nono infantem nonum peperit, & quia ſeptem annorum ſpatio non amplius concepit, officio ſuo defunctam ſe eſſe credidit. Sed anno ætatis 46. præter opinionem denuo, & quidem octava vice imprægnatur. Temperamentum illi erat ſanguineo-cholericum. Ceroquin uti ſemper, ſic & hoc geſtationis tempore toto optime ſe ſe habuit, ita, ut ſub hujus finem, d. 7. Octobris a. c. in locum, miliare abhinc diſtantem, exſpatiaretur, eodemque die pedibus domum reverteretur, vegeta quidem, aſt fœtum non amplius ſentiens. Inſequente nocte corripitur gravida doloribus in abdomine lancinantibus, quorum cauſam primum adſcribit potui cereviſiæ, quam pridie ſolito majori in copia ingurgitavit; cum vero dicti dolores non remitterent, ſed po-

tius augerentur & intenderentur, partum futurum ſuſpicans, obſtetricem accerſiri jubet. Nondum autem hæc adparuit, cum jam membranæ fœtum ambientes, urgentibus doloribus disruptæ, aquas ſuas dimiſiſſent. Accedens itaque obſtetrix parturientem adſtringit, ut omnes, quas poſſet, intenderet vires ad partum expellendum, ſed irrito cum ſucceſſu. Tantum enim aberat, ut partus ſuccederet, ut potius totus inſequens octavus dies Octobris inanibus conſumeretur laboribus ad horam usque tertiam pomeridianam, quo tempore obſtetricans ad aliam parturientem accerſita, priorem in lectum portatam dereliquit, ubi non niſi unum alterumve amplius experiebatur dolorem ad partum, quo finito ſtatim de dolore maximo in dextro abdominis latere prope os innominatum valde conqueri inchoabat. Veſperi ingruebant vomitus, qui poſtridie degenerabant in bilioſos eosque nigerrimos, nullo ceteroquin adparente dolore. Rebus ſic ſtantibus, & cum obſtetrix inter ea redux partum non ſucceſſurum agnovit, in auxilium vocor medio die 9. Octobr. Statim præſcripſi potiunculam ex aquis ſcorzon. ceras. nigr. ulmar. & cinnam. cyd. additis Cryſtall. mont. ſale Abſynth. Confect. de Hyacinth. inc. ſyrup. cortic. aurant de qua poſtquam duorum cochlearium menſuram adſumſit, vomitus per horæ ſpatium remiſerunt, qui vero poſt ingurgitationem cereviſiæ frigidioris, quam anxie petebat, recruduerunt. Hora ſecunda pomeridiana ipſam ægram viſitavi, & ex relatione obſtetricis accepi, adeſſe prolapſum vaginæ in ejusdem latere ſiniſtro, pugni magnitudinem æquantem, caputque infantis dextro lateri oſſis pubis ſuperſedere. Ipſe ego ſitum infantis ulterius & diſtinctius explorare, ſique circumſtantiæ id permitterent, fœtum extrahere animo mecum conſtitui; quapropter ſitum incongruum ut mutaret parturiens (ſedebat enim in lecto,) & ſupine ſe ſe recubaret, ſuaſi: Aſt ad

ad hunc debitum ſitum obtinendum, vix unum ſubtractum & amotum fuit pulvinar, quo dorſum ſuffulciebat, cum jam ſe certo ſuffocatum iri exclamaret. Hinc curavi, ut in ſellam obſtetriciam deportaretur, ubi denuo 2. vel 3. licet non tanto labori pares inchoabantur dolores. Summa jam aderat debilitas, viriumque proſtratio plenaria nunc mihi injungebat illud: *manum de tabula.* Pulſum enim vix ſenſilem deprehendi, adeoque intermittentem, ut poſt duos ictus admodum debiles, tres vel quatuor, qui ſequi debebant, deficerent penitus. Conclamatam ergo rem judicavi, & eventus corroboravit prognoſin. Vix enim ſacra ſynaxi proſpiciebatur, quum lipothymia eam invaderet. Adſtantes igitur moribundam rurſus in lectum deportarunt, ubi brevi poſt placide vitam ſuam cum morte commutavit.

Sectio demortui corporis, quæ eodem die inſtituebatur, monſtrabat ſequentia. In externa corporis ſuperficie nil adparebat præternaturale, niſi prolapſus vaginæ uteri ſupra indicatus, quem in ſecundo jam partu ineptæ ac rudes obſtetricis manus contraxerant. Disciſſis autem & ſeparatis integumentis communibus, muſculis abdominalibus & peritonæo, tota abdominis cavitas & inprimis illa, quæ fit, quando diaphragma in exſpiratione verſus pectoris cavum tendit & adſcendit, ſanguine extravaſato offendebatur repleta, quo exhauſto, integer fœtus maſculus prægrandis in conſpectum prodibat, cujus ſitus erat ſequens, Caput cum utroque pede oſſi pubis dextro inſidebat, manus ſiniſtra ore tenebatur, dextra vero dorſum verſus reclinata, funiculus ex umbilico ad flexuram coli magnam adſcendebat, dein curvabatur & rurſus deſcendens progrediebatur ſub infantis corpore, quo ex ſitu ſuo maxime vitiato & ex hoſpitio plane præternaturali remoto, ulterius penetravit in ipſum uterum, per rupturam vaginæ illius, duos digitos

transverſos, infra ejus orificium internum, & quidem in latere dextro, factam, tandem ſe ſe inſinuabat funiculus legitimo modo in placentam, quæ leni attractione per eandem rupturam extrahi poterat. Reliqua omnia rite erant comparata, niſi quod ipſe uterus jam ita contractus fuerit, ut magnitudinem capitis infantis non exceſſerit; cuticula autem infantis ubique ſponte ſecedebat, manifeſto indicio, illum jam ante aliquot dies demortuum fuiſſe.

Scholion.

In modum, quo dicta ruptura & quo tempore facta fuerit, inquirens, nullum alium, niſi ſequentem excogitare potui. Nimirum tot tamque gravibus & difficilibus partubus 1) tota vagina moleſte fricata & contrectata, 2) prolapſu vaginæ totum hujus latus ſiniſtrum nimis elongatum & extenſum. 3) eodem prolapſu infantis exitui obex poſitus & via præcluſa fuit, ſiquidem viam, per quam exitus fieri ſolet ac debet, non ſolum ex parte obduravit, ſed & ſitum uteri ita mutavit, ut iſtius orificium internum non in linea perpendiculari, uti decet, cum orificio externo conſtitutum, ſed os pubis, & quidem dextrum latus verſus, magis inclinatum fuerit, hinc 4) ipſe fœtus in ordinariam viam non penetrare, ſed capite ſuo prævio in os pubis lateris dextri doloribus urgeri ac impelli debuit; accedit 5) & hoc, quod membranæ, fœtum cingentes, juſto prius disruptæ fuerint, (quod ordinarie fere fit, quando caput infantis ſolido oſſi imprimitur,) ſic enim per longum temporis intervallum viæ ipſæ exaruere, ut iterum caput de oſſe delabi nequiverit; tandem 6) nemo debito tempore accerſitus fuit, qui manus admovendo obſtetricantes, caput ab oſſe reclinaverit, vel infantem pedibus extraxerit. Ex quibus omnibus cauſis ac circumſtantiis non potuit fieri, quin fœtus tam diu doloribus impulſus, vaginæ

ginæ latus dextrum egerit, idque ſenſim ſenſimque adeo debilitaverit & rarefecerit, ut accedente incongruo ſitu & poſitura in lecto, tandem tanto impetui tantæque vi reſiſtere impar, disrumpi debuerit vagina, quo facto ſanguinis extravaſatio ejusdemque collectio in abdominis cavitate contigit, hinc, in ſupino ſitu, idem ſanguis diaphragma ſurſum verſus pepulit illiusque deſcenſum impedivit, & ſic ſuffocationis metum induxit. Dein quoque per eandem rupturam, conſtrictione uteri durante, totus fœtus in abdominis cavum propulſus eſt, in quo præternaturali hoſpitio tam diu habitare neceſſe habuit, donec matris quoque morte ſuperveniente, ſectione fuerit exemtus,

(Norimberga Erfordiam miſſa d. 19. Dec. 1738.

OBSERVATIO CLII.

Dn. D. GODOFREDI GUILIELMI MULLERI.

De

Fœtu monſtroſo, in Tuba Fallopiana dextra concepto, hujusque rara ſtructura.

Generoſa fœmina 36. annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, durante matrimonii ſui duodecim annorum tempore quatuor immaturos & duos maturos enixa fœtus, anno elapſo poſt quatuor menſes, quibus nullam habuerat purgationem menſtruam, peperit molam. Enormis hæmorhagia & ſubſequuta febris, quaſi vulneraria, periculo non vacans, vires ejus non ſolum immaniter fregit, ſed & corpus reliquit cachecticum, variis hinc obnoxium moleſtiis. In primis ex dolore

dolore mammæ brevi poſt laborare cepit cum tumore aliquali, adhuc tolerabili. Diverſa medicamenta, interne & externe uſurpata, doloris obtuſi hujus levamen quidem, tumoris vero incrementum inſimul produxerunt; qui potiſſimum, quum ad pugni magnitudinem increviſſet, miſeram merito magis reddidit ſollicitam, eoque permovit, ut plures Medicos pariter ac Chirurgos in conſilium vocaret. Hi unanimi conſenſu amputationem mammæ commendaverunt; quam vero ægrota de die in die protraxit, ab illa averſiſſima. Catamenia ultimis tribus ante obitum menſibus ceſſarunt penitus, & fluorem album immoderatiorem, continuum, nunquam antea obſervatum, nunc vero illorum proculdubio vicarium, ſed infidum, febris lenta, cum adpetitu proſtrato, frequente vomitu, anxietatibus præcordiorum, ac agrypniis contumacibus, inſequuta eſt; accedentibus lypothymiis, viribusque ſenſim exhauſtis, mirum in modum emaciata, tandem expiravit animam.

Permiſſa gratioſe corporis defunctæ perluſtratione ac ſectione, ſcirrhus in mamma ſiniſtra, majoris pugni adæquans magnitudinem, muſculo pectorali adhærens, inventus eſt, ex eoque diſſecto, liquor effluxit lacteus, ſine ichore, qualis etiam in dextra ſana mamma viſendus erat. Integumentis abdominis diſſectis & reclinatis, hepar coloris ſub albidi, veſicula ejus fellea juſto minor, & parciore viſcidioreque bile repleta conſpiciebatur; Ventriculus itidem parvus, & ejus tunicæ prope orificia tenues, ſeu extenuatæ magis; ren ſiniſter mollis ac friabilis, dexter eo robuſtior. Uterus, quamvis ſæpius impraegnatus, ac infelici pariendi modo iterum iterumque labefactatus, admodum exiguus, & contractus dextrum referebat renem. Ovaria naturalem exſuperabant magnitudinem. Sub dextro inſolitus oculis occurrebat tumor, ovum anſerinum excedens, qui accuratius conſideratus, tubæ Fallopianæ fimbriis involutus deprehendebatur.

Ad

Admotis digitis a fibrillulis lacertoſis hujus tubæ facili negotio ſeparabatur compactum quid carnoſum ac membranaceum, ex quo aperto & explicato fœtus trium circiter menſium, cum placenta ſatis magna & funiculo umbilicali, in conſpectum veniebat. Cadaverculum ipſum ſubire ceperat jam in putredinem, (cuticula enim a cute abſcedebat,) & flavo colore erat imbutum. Dimotis cranii oſſibus, cerebrum durioris conſiſtentiæ, inſtar gypſi, ſe ſiſtebat, mollius alias & in tabum facile diffluens.

Curioſiſſimum in hoc embryone fuit, quod ne minimum quidem vel partium genitalium, vel orificii ani, adfuerit veſtigium, inque regione pubis præternaturali modo prodierit funiculus umbilicalis.

Tuba Fallopiana ipſa peculiari & non minus curioſa gaudebat conformatione. Extremitas enim ejus prope fimbrias præter naturam anguſtior erat, ut nec ſtilum, etiam minimum, nec flatum, exiliſſimos alias ductulos eorumque orificia facile detegentem, admitteret; circa ejus medium paulo quidem amplior, ſed culmum ſtraminis æquans amplitudine. Canalis hujus tubæ ſimilem fere tortuoſitatem, cellulas ac membranulas intus exhibebat, ac in ductu biliario cyſtico humano ſæpius offendi ſolet. Altera tuba, quoad orificium & cavitatem, etiam juſto quidem ſtrictior & anguſtior erat, flatum tamen ſuſcipiens, qui vero in uteri cavitatem non penetrabat. Pulmonum color & ſitus naturalis, ſiniſter ſaltem lobus diaphragmati adglutinatus videbatur. In cordis ventriculis & auriculis comparebant trunci longorum & robuſtorum polyporum, ad vaſa ſanguifera communia præſertim venam pulmonalem, ſurculis ſuis prorepentium.

Francofurto ad Mœuum Erfordiam
miſſa d. 16. Jan. 1739.)

OBSERVATIO CLIII.
Dn. D. JOANN. JACOBI von DOEBELN, Dubitatio
De Pericranii origine & continuatione cum matre dura, ex obſervatione anatomica, qua dicta mater a calvariæ ſuturis & ſuperficie interna omnino ſeparata fuit deprehenſa.

Mater dura per ſuturas egrediens pericranii origo creditur, calvariæ interiori ſuperficiei, ob relicta hanc inter & matrem ſpatiola, paſſim laxior ordinarie adhærens. Ex hiſce duabus circumſtantiis plurium phænomenorum ætiologiæ vulgo traduntur, quæ alias haud adeo facile invenirentur, vel aliunde peti deberent. Quod mater dicta, perioſtii ad inſtar vitreæ tabulæ adhærens, neutiquam avelli potuerit, niſi prius incocto in aqua cranio, vel, quod etiam ſtili acies inter cranium & duram minime immitti potuerit, *HILDANUS Cent. I. obſ. VII.* notavit. Quod dura mater cum calvaria, & cum ejus ſuturis nullo loco cohæſeſerit, ampliſſimo inter utramque invento intervallo, obſervavi in cive & piſtore olim Lundenſi, *Jacobo Fiſcher*, quadragenario, qui præter frequentia in aliis corporis partibus vulnera, in capitis præterea latere ſiniſtro d. XXIII. Jan. anni præteriti, duos ictus ferro inflictos acceperat. Morbi decurſum ſine gravioribus ſymptomatibus abſolverat, ſed biduum ante mortem capitis dolorem ſentiens, d. XIV. Febr. appolexia correptus ſuccubuit. Circa oſſis frontis & occipitis cum obſcura admodum ſutura ſagittali concurſum, ictus in calvaria ſatis erant conſpicui. Die XVII. ejusdem ſuperior cranii pars a chirurgo, qui curam ipſius habuerat, perite ſatis tollebatur, adeo ut dura ma-

ter nec laceraretur, nec alio quovis modo læderetur, multo minus avelleretur, unde ad primum meningis conſpectum ſtructuram & conditionem ejus notatu digniſſimam ſpectatoribus illico indicabam, quos inter aderant Medicinæ Doctores, Dn. *Daniel Fridericus Kehler*, & Dn. *Nicol. Retzius*, Comminiſter *Hallberg*, nunc in territorio Scheſtiano Paſtor Torpenſium & Islenſium, nec non Medicinæ, aliarumque Facultatum ſtudioſi. Quæ præterea fueruet obſervata circa vulneris conditionem, ſileo, quod ad præſens argumentum nihil faciant. Interea deſcriptum matris duræ ſtatum a vulneribus & morbo inductum facile ſibi quisque imaginabitur: nec acquieſcendum in eo exiſtimavi, quod illum præternaturalem pronunciem, quemadmodum alii judicarunt circa *HILDANI* obſervationem, de arctiſſime connata & calvariam ſuccingente membrana. Vegeta enim & conſtanti defunctus hic, quousque vixerat, gaviſus fuit valetudine. Quæ autem ex hac obſervatione prognata ſint dubia, ſequenti ordine exponam:

I.) Quomodo pericranium in hoc individuo a craſſiore meninge, ſutura ne quidem contingente, originem duxiſſe, adſeri poſſit? Et annon univerſalis de pericranii, productione, ſententia, ex modo deſcripta & conſtitutione pluribus difficultatibus laborare videatur? Auget dubitationem membranarum generatio, quæ ſimul in fœtu fit ac abſolvitur. Calvaria ab initio vel cartilagioſa, vel membranoſa, deinde oſſea: fontanella inſuper poſt partum demum, & interdum poſt plures a partu annos in os abit, & nihilo minus tam fontanella, quam ſuturæ apertæ a pericranio obducuntur.

II.) An cranii ſuperior pars, ſive calvaria, pro ſtabili termino inſerviat matri duræ, haud ſecus ac oſſa muſculis, cum ſine tali hypotheſi motus cerebri fieri poſſit, immo re vera vigeat ante membranoſam & oſſeam calvariæ conditionem? Generationis negotium id ipſum implicat, ob motum tonicum in

cerebri fibrillas, harumque nutritione, ubi tale tamen ſtabilimentum ſuperior cranii pars mollior & laxior eſſe minime potuit.

III. Cum itaque cerebrum in hoc robuſto olim corpore in *matta penſili*, ſicuti *BLANCARDUS in Anatomia* loquitur, ſuſpenſum non fuerit, omnino concedendum erit, ſine duræ matris continuatione cum pericranio, & ſine ſuſpenſione, oſcillatoriam matris facultatem nihilo minus fuiſſe adæquatam ad motuum & ſenſuum integritatem.

IV. Similiter ad ſymptomatum abſentiam matris diſtantia a calvaria, contuliſſe videtur, dum in tali ſtatu haud adeo immediate meninx a materia quadam purulenta adfici potuerit, ſed meningum cerebrique motus diutius manſerit ſalvus.

V. Annon negato ſtabilimento ad meningis motum promptiorem, arteriæ per illam & cerebrum diſtributæ pulſatione ſua ſyſtolen & diaſtolen expeditius adjuvent, adeoque veterum & nonnullorum recentiorum doctrina de cerebri motu ab arteriis meningum & cerebri, ex hac obſervatione robur quoddam accipiat?

VI. Ecquid in tali conſtitutione ſentiendum de conſenſu pericranii cum matre dura, ubi nulla harum membranarum eſt continuitas? Crania ſine ſuturis continuationem omnino negant: nec contigit mihi ea perſpiciendi felicitas, quæ aliis, qui in infantibus manifeſte continuitatem, quæ ad nominatum conſenſum requiritur, viderunt, licet in puella ſtatim a partu ſtrangulatione ſuffocata, proxime elapſo menſe Aprili, omnem attentionem adhibuerim. Membranam craſſiorem in hac vidi, calvariæ univerſæ intus adhærentem, quæ tamen digito facile ſeparabatur. Tota membrana vaſis ſanguiferis repleta exhibebat membranam ex vaſculis contextam, licet vaſa poſt aliquot dierum decurſum diſparerent.

VII. Quando nullus conſenſus inter nominatas partes

inter-

intercedit, quid in tali ſubjecto levaminis cerebri membranæ accipient a compreſſione pericranii, a cucuphæ impoſitione, ſpirituoſorum irrigatione & balſamorum inunctione, quemadmodum docet incomparabilis *BAGLIVIUS.*

VIII. Ubi nulla inter dictas partes eſt connexio, aut vanus eſt metus inflammationis duræ matris, impedientis curationem tumorum ſupra ſuturas emergentium, nominatim Talpæ & Teſtudinis, aut alia ratio reddenda inſtantis periculi in horum tumorum cura.

Ex adlatis hiſce dubiis adparet, in ætiologiis inveniendis & reddendis, ad individuales conſtitutiones ſimul eſſe attendendum, quæ etiam frequentiores fortaſſis occurrerent, ſi occaſio & temporis ratio pleniorem partium inquiſitionem permitterent.

(*Lundis Scanorum Erfordiam transmiſſa d. 24. Jan. 1739.*)

OBSERVATIO CLIV.

Dn. D. JOANNIS van WOENSEL.

De

Calculo in veſica diſrupto & ſponte per urethram excreto.

Tempore, quo Lugduni Batavorum arti ſalutari operam dabam, caſus accidit ſequens memorabilis: Curæ celeberrimi Dn. D. *Ooſterdykii*, præceptoris mei venerandi ſe ſe dederat æger calculoſus, qui tandem diri hujus morbi tortura feſſus plane, in animum induxerat ſe ſe lithotomiæ ſubmittere. Clariſſimus *Oosterdykius* ergo, antequam operatio inſtitueretur, propria manu, ope catheteris, certiſſimum præſentis calculi indicium obtenturus, inſtrumento in veſicam addacto in hunc

quidem illidit, ſed ſonum præcipit ſolito obſcuriorem & magis ſubmiſſum, quaſi in cretam, vel ſimile corpus impegiſſet catheter: Paulo fortius igitur inſtrumentum in lapidem impingit, ſicque inaudito fere & rariſſimo omnino exemplo in plurima is disrumpitur fruſtra, quæ omnia læto eventu per urethram excrevit aeger, a calculo, & doloribus poſtea prorſus immunis vivens.

OBSERVATIO CLV.
Dn. D. JOANNIS van WOENSEL, De Morbi iliaci deſperati cura per Hydrargyrum.

Uſum infauſtum Mercurii, proprio conſilio ab ægro (diſſuadentibus licet Medicis,) in adfectione iliaca adſumti, notavit D. D. *WAHRENDORFFIUS in Volum. III. Actor. Nat. Cur. Obſervat. CXXXI.* Feliciorem autem ejus in hoc morbo uſum nunc ob oculos ponere lubet. Vir triginta duorum annorum, per tempus aliquod de alui ſegnitie conqueſtus tandem corripitur ventris torminibus vehementiſſimis cum pertinaci alui obſtructione, nauſea & ructibus. Vocatur hujus civitatis Poliater D. D. *Osmont*, præſcribit ille potionem catharticam, poſt cujus uſum fruſtraneum ego accerſitus, ægrum atroci ventris dolore & conſtipatione valde querulum invenio, pulſum explorans eum febrilem deprehendo, tenſum, durum; commendo hinc largam venæſectionem, que celebrata dolor ſtatim remittit; clyſmata præſcribo ex emollientibus, laxantibus abſtergentibus, hæc autem iterum egerebat miſer, ſine ullis fere fecibus admixtis, quidquid vero ſuperne per os adſumebat, ſtatim vomitu rejiciebatur. Sequenti die omnia in eodem experiebar ſtatu, tum enema injici curo ex mero oleo olivarum, hocque nihil juvante, aliud

te, aliud ex ſesqui uncia ſaponis Veneti, in unciis duodecim aquæ ſoluti, quod magnam ſecum nigricantium & induratarum copiam ſimul eduxit. Tentatum quoque fuit celebre illud clysma ex fumo Tabaci, ſed irrito conatu. Tertio die ægrum invenio in ſtatu fere conclamato & ſumme periculoſo, terribilis aderat ſymptomatum ſyndrome, ventris dolores, inflationes & diſtenſiones immanes, ructus horrendi, adſumtorum aliorumque liquidorum vomitiones, maxima circa præcordia anxietas, pulſus inæqualis, intermittens, ſudor frigidus, virium proſtratio, extremorum frigus & tendinum ſubſultus; unde utique magnum vitæ imminere periculum, & ægro & adſtantibus prædixi. In ancipiti hoc caſu, omnibus jam ad interitum vergentibus, juxta monitum *CELSI*, anceps experiri remedium decrevi: Exhibui igitur mercurii purificati ℥vj. ol. Amygdal. dulc. recent. Syrup. violar. ana ℥j. Mixturam quum adſumſerat æger, ſtatim ſequebatur ſingultus poſt octavam horæ partem ceſſans, mixturam retinuit per triduum, clyſteribus ex ſolutione ſaponis Veneti cum euphoria crebrius iteratis, tandem alvus aperta fuit largiter, fecibusque, cum argento vivo mixtis, datus exitus. Atque ſic ejecta per inferius guttur malorum lerna, abdomen detumuit, ſublatis dolore, vomitu, & ceterorum ſymptomatum caterva. Poſtero die ad reliquias expellendas potiunculam præſcripſi oleoſam laxantem, quæ ſcybala reſidua duriſſima una cum quibusdam mercurii particulis ſubtiliſſimis, commode eduxit; vires hinc brevi recuperavit æger & optima hodie, poſt elapſum jam ſexennium, fruitur ſanitate.

(Harlemo Erfordiam tranſmiſſa d. 29. Mart. 1739.)

OBSER-

OBSERVATIO CLVI.

Dn. D. LAURENTII HEISTERI.

De

Gangræna & Sphacelo pedis Cortice Peruviano curatis.

Corticis Peruviani mirabilem vim atque effectum non ſolum in febribus intermittentibus expugnandis eſſe, verum quoque in gangræna & ſphacelo efficaciſſimam, & Anglorum varia ſcripta & *Commercium litterarum Norimbergenſe* ſatis teſtantur. Quoniam vero in Germania virtus & efficacia ejus in gangræna & ſphacelo nondum adeo explorata eſt, duobus exemplis, a me obſervatis, divini hujus remedii utilitatem ac præſtantiam uberius evincam, atque in uſum generis humani cum publico communicabo.

Primum in muliere ſexaginta fere annos nata, habitu corporis pingui prædita, obſervavi, quæ ex eryſipelate pedis in gangrænam & ſphacelum incidebat, ita, ut in pede extremo circa tarſum, metatarſum & malleolos, tegumenta omnia, quum advocarer, nigra atque emortua deprehenderem. Quia vero haud ignorabam, quam incerta pleraque remedia, ad *Sphacelum* hucusque commendata, eſſent, & cum primis in ſenibus atque impuris corporibus; e contrario inſignes virtutes corticis Peruviani ab *Anglis* obſervatas & deſcriptas legiſſem, præter ſcarificationes partium læſarum atque remedia externa conſueta valentiſſima, ægræ corticem hunc præſcripſi, ita, ut ſingulo bihorio aut trihorio drachmam dimidiam, ultra, adſumeret; quamvis ex peculari quadam nauſea quæcunque remedia averſaretur, adeoque, quoties amarum hunc corticem adſumſiſſet, toties eum aliquamdiu poſt vomitu rurſus rejiceret; tamen ſphacelus tandem

tandem ſubſtitit, corruptæ partes, tegumenta præcipue communia, ſenſim a ſubjectis partibus receſſerunt, atque ægra convaluit.

Alterum exemplum notatu digniſſimum hocce anno Brunsvigæ vidi, ubi in Illuſtriſſimo viro, quinquageſimum nonum ætatis annum agente, qui alias robuſtiſſimi erat corporis habitus, attamen a pluribus annis jam pedum œdemate, ceterum ſanus, laborabat, menſe Martio poſt venæſectionem in pede œdematoſo & ſpeciatim ſuper junctura pollicis ſiniſtri cum metatarſi oſſe gangræna pedis extremi & ſpeciatim quoque pollicis pedis corripiebatur.

Huic malo quidem valentiſſima & interna & externa per aliquot tempus opponebantur remedia; attamen ea omnia deſideratum effectum non præſtabant, quin potius pollex ſphacelo corripiebatur, primo lividus, deinde niger evadebat, ſenſum amittebat, atque ſic absque ulla ægri moleſtia ad os usque variis in locis incidi poterat, ita, ut etiam vulnera hæc nullum ſanguinem emitterent. Hoc in ſtatu & ego ad ægrum advocabar: Et quamvis quidem efficaciſſima varii generis adhiberentur remedia, ſphacelus tamen ulterius ſerpebat, & majorem pollicis partem jam occupabat. Ego quidem tunc mox utilitatem Corticis Peruviani in hoc malo laudabam, ejusque uſum commendabam; verum Illuſtriſſimus æger odio, ſive præjudicio quodam in hunc corticem, ſicuti multi alii, occupatus, eum reſpuebat. Tandem, quum malum in deterius ſemper abiret, & ſphacelus non ſolum per integrum fere pollicem, ad juncturam cum metatarſo usque, ſerperet, atque maculæ lividæ etiam inter pollicem & digitum huic vicinum ſe oſtenderent, ita ut pollex ad os usque ſine ullo ſenſu, & ſine ullo ſanguinis profluvio incidi poſſet, ne malum integrum pedem quoque invaderet, qui ſimul vehementiſſima adhuc inflammatione, ſphacelum minitante, adfectus erat, ſuaſi

iterum corticis uſum, eumque inſtantius, & quia periculum erat in mora, ut pollex jam emortuus reſecaretur, cortexque ſine mora quam diligentiſſime adſumeretur. Æger itaque ſphacelum pedis immo ipſam mortem haud ſine ratione metuens, præſertim cum ingenti virium ſimul debilitate ſe corripi ſenſiſſet, non ſolum cortice uti cœpit, ita, ut quovis bihorio primum, ac deinde quovis trihorio drachmam dimidiam adſumeret, verum etiam pollicem ſphacelo corruptum ſibi reſcindi pateretur; quem itaque in ipſo articulo cum oſſe metatarſi excidi, quia ſphacelus ab extremo ejus usque ad hunc locum progreſſus erat.

Adſumtis aliquot doſibus hujus corticis, generoſiſſimus æger mox eodem die veſperi mihi aliisque adſtantibus adfirmabat, ſe jam mirabilem virium inſtaurationem, qualis alias a præſtantiſſimis remediis vix percipi ſolet, ſentire. Continuabat itaque per plures dies hoc quod alias vehementer averſabatur, remedium, quam avidiſſime, ejusque ultra duas libras ſine ullo incommodo adſumſit, a quo non ſolum vires dejectæ potenter reſtitutæ, verum mox quoque gangræna & ſphacelus ſteterunt, atque ſenſim ſenſimque ſublata ſunt, neque amplius redierunt, ac tandem plagæ feliciter iterum conſolidatæ fuerunt.

OBSER-

OBSERVATIO CLVII.

Dn. D. LAURENTII HEISTERI.

De Plantis quibusdam perennibus, quæ vulgo pro annuis habentur.

Inter plantas, vulgo pro *annuis* habitas, & quæ propterea ſingulis annis haud ſine multo labore denuo ſeruntur, haud paucæ ſunt, quæ, ſi convenienti modo tractantur, re vera perennant, & per plures ſæpe annos conſervari poſſunt.

Inter has primo loco occurrunt *Ricini varii*; qui quidem ſi in libero ſolo relinquuntur, verſus hiemen omnes pereunt: unde factum eſſe videtur, ut pro annuis in Europa vulgo habiti, atque ſingulis annis e ſeminibus, terræ denuo commiſſis, iterum producti fuerint. Quoniam vero frigidis aut humidis æſtatibus ſemina apud nos matura ſæpius non proferunt, Botanophili poſtea ſæpius ſubſequente æſtate his plantis deſtituti erant, donec e remotis ſæpe regionibus magna cum moleſtia, ſemina nova rurſus ſibi compararent. Hæ tamen plantæ, ſi in idonea vaſa plantantur, atque hieme in aptis hibernaculis adſervantur, ſicut egregius etiam ille Hortulanus & Botanicus Londinenſis, *Phil. MILLERUS* notavit, (a) non ſolum per plures annos vigent, verum quoque ſequenti æſtate citius florent, & ſemina matura facilius certiusque proferunt.

Præter hos planta, quæ vulgo *Lacryma Jobi* adpellatur, a recentiſſimis quoque adhuc Botanicis, ut BOERHAVIO, MILLERO & LINNÆO pro annua habetur; ego vero eam per ſex minimum annos & quod excedit, in vaſe figulino & hypocauſto, ſive hibernaculo calidiuſculo, ſanam vegetamque conſervavi, atque ſingulis annis maturos fructus inde collegi, qui alias longe difficilius e ſeminibus, tempore vernali terræ commiſſis, obtineri poſſunt.

(a) In lexico ſuo botanico.

Baſellæ radicem annuam eſſe dicit LUDWIGIUS in *Plantar. definitionibus p. 19.* verum ego in noſtro horto plantas has in hibernaculo jam per triennium conſervavi, quæ adhuc vigent. *Bidens Indica, Hieracii folio*, caule alato, flore aurantio T. a pleriſque pro annua planta habetur, ſeminaque ejus ſingulo vere ſeruntur. BOERHAVIUS eam annuam eſſe ſcribit, vel ad ſummum biennem, in *Indice altero Horti Lugd. Batav. p. 123.* Nos illam jam per plures annos in hibernaculo ſervavimus. Ita & *Amaranthoides* Lychnidis folio ſæpe per biennium ſervari poteſt, quæ vulgo tantum annua habetur.

Præterea illam plantam, quam VOLCAMERUS in Flora Norimbergenſi *Dracocephalo adfinem*, TOURNEFORTIUS & BOERHAVIUS *Moldavicam* Americanam trifoliam odore gravi, ego in Catalogo plantarum Horti Helmſtadienſis *Volcameriam*, & LINNÆUS in Horto Cliffortiano p. 308. *Dracocephalum floribus ſpicatis*, foliis compoſitis adpellarunt, BOERHAVIUS *in Indice Plantar. Horti Lugduno - Batavi, editione II.* non niſi biennem eſſe vult. Ego vero quoque hanc plantam per quinque vel ſex annos in olla, & quidem in hibernaculo ſatis frigido, conſervavi.

Denique *Onagram Bonarienſem* flore mutabili DILLENII in Horto Eltham. LINNÆUS in Horto Cliffort. pag. 502. pro planta annua habet; verum ego eam ſæpius per aliquot annos in ſimili hibernaculo ſervavi. Caulis enim verſus hiemem fit durus & quaſi fruteſcit, atque, ut dixi, in hibernaculo conſervari poteſt. Plures ſunt ejuſmodi plantæ, de quibus forte alio tempore. Interea ejuſmodi obſervationes plantarum cultoribus haud poſſunt eſſe injucundæ, cum labores nonnullos eorum imminuunt, quia ſingulo vere eas denuo ſerere ſic non opus habent.

(Helmſtadio Erfordiam miſſa
d. 6. Maji 1739.)

OBSER-

OBSERVATIO CLVIII.

Dn. D. RUDIGERI FRIDERICI OVELGUN.

De

Pediculari purpurea.

Simon PAULI in *Quadripart. Botanic. Claſſ. II. p. 126.* ſequentia habet : *Pedicularis pratenſis purpurea Bauhini, ego quod ſciam, uſum inter medicamenta, homini apta, non habet : & ſi quemquam haberet, attamen Auctoribus hiſtoria plantarum univerſalis auſcultandum arbitror, qui ajunt : Quis enim Medicus propter viroſam facultatem, intus eam ſumendam, præſentibus ſuavioribus medicamentis, ſuaderet ?* Idem Archiater Regius, vir ſane ut magnæ, ita optimæ famæ, *Claſſ. III. p. m. 306.* de *Pediculari lutea*, ſeu *Criſta Galli Bauhini*, ita ſcribit : *Neque Medicis, neque Pharmacopœis utilis hæc planta, quam ideo pedicularem dictam volunt, quod oves, vel reliqua pecora, ea quæ paſcuntur, phthiriaſi facillime corripiantur, magis tamen pecori infenſam pedicularem purpuream ſtatuunt.* Simonem PAULI, quod ad uſum practicum herbarum attinet, plurimos Botanicorum poſt ſe relinquere, & hinc nulli non Practicorum novellorum majorem in modum, magno cum utilitatis fructu, commendandum eſſe, exploratum habeo. Patiantur interim manes tanti viri, quem ſua laude defraudare neque animus, neque fas eſt, ut hiſtoriam ſingularem, ſententiæ ejus non æque convenientem, in medium proferam. Omnes namque non ſcimus omnia, & dies diem ut ſemper docuit, ſic ſemper docebit. Hinc iterum dico, honori viri, tam eximie docti, & de republica medica optime meriti, hic nihil detractum volo. Filius pauperculæ, quæ in aula degebat, viliori ſervitio deſtinata, longe antea, & a teneris, circa collum ſe

male habere querebatur: Nondum autem decimum annum agebat, quum in interioribus oris, ulcere mali moris adfligeretur, quod longius ſerpens, deglutitioni & loquelæ magno erat impedimento. Eo tandem deventum eſt, ut, actis cuniculis, in ipſum penetrans collum, puer neceſſitatem ſibi impoſitam videret, ubi loqui vellet, digito colli ulceroſum & ſinuoſum hiatum comprimendi, ut voci, quæ jam minus articulata erat, non illuc, ſed per os tantum exitus pateret. Neque minus caput ad partes poſticas inclinare & ſimul digito foramen dictum claudere neceſſe erat, ſi cibum potumque capere vellet, cum alias non per gulam, ſed per locum dictum penetrarent, quod ſane omnibus mirum videbatur. Illuſtriſſima Heroina, ceu erat paupertatis amantiſſima, jam a longo tempore chirurgi, ſatis exercitati, curæ puerum concrediderat, qui, quantumvis omnem lapidem moveret, nihil adjumenti tamen eidem attulit. Rebus ſic ſatis diu, & quidem per trium annorum ſpatium, eodem in ſtatu permanentibus, ad Heroinam dictam, ob minus proſperam valetudinem vocor, quæ inter alios ſermones, mentione deplorandi hujus mali injecta, valde ſalutem adflictiſſimi pueri mihi commendabat. Quæſitus proinde a me chirurgus, vir mihi amicus, quid rerum egiſſet, interne ſe decocta ex radice chinæ & Sarſaparillæ, aliisque parata, adhibuiſſe, externe vero nihil non tentaſſe, quid quod jam ultimum ſuum, in ipſis ulceribus venereis, ceu ajebat, probatiſſimum decoctum, quod mercurii ſublimati, non æque parcam doſin recipiebat, ſæpe numero injeciſſe, fidem fecit. Poſtquam ergo ipſi expoſueram, quid monſtri mercurius ſublimatus, hoc præcipue in loco, ob deglutitionem facilem, alat, iter per ſylvam faciens conſpecta *Ruta pediculari*, ceu in Queſtphalis terris audit, quam C. B. *Pedicularem purpuream* vocat, in memoriam revoco curationem per decoctum hujus herbæ cum Antimonio crudo, ab Avo materno mihi nunquam non devenerando *Rüdigero de WESTHOVEN*,

Practi-

Practico ſummo, peractam. Hic in conſilium a virgine vocatus, quæ in collo per multos annos, multa ulcera fiſtuloſa geſtabat, cui a Medicis varia decocta lignoſa, a variis chirurgis varie non minus, at incaſſum, propinata fuerant, præſcripto ſimplici hoc decocto, quod chartæ lingua germanica mandaverat, ita illam reſtituit, ut nullam unquam recidivam paſſa ſit. Hoc filo quaſi Ariadneo ductus, jubeo fieri idem decoctum, ex Pediculari purpurea, cum Antimonio crudo, in petia ligato, uſui interno dictatum. In decocto externo, pro injectione & gargariſatione, primas tenebat eadem pedicularis, juncta Veronica aliisque vulgaribus vulnerariis cum melle roſaceo, interpoſitis ſubinde laxantibus. Vilioribus hiſce remediis tandem feliciter edomitum eſt hoc monſtrum, quod tam diu omnem vim internorum decoctorum pariter, atque externorum remediorum eluſerat, nec unquam rediit, quantumvis anni vel quindecim ſint præterlapſi. Illud interim ſcire licet, me non in uſum vocaſſe *Pedicularem paluſtrem*, rubram, elatiorem *RAJI*, in pratis uliginoris conſpicuam, ſed *Pedicularem purpuream humiliorem*, quam in locis paulo ſiccioribus ſæpe numero, ut hic in ſylva, invenimus. Calculum huic obſervationi adjicere, veterum Botanicorum monumenta videntur, quibus ſubinde, hæc Pedicularis purpurea, nomine *Fiſtularia* venit, quod nominis ipſi haud dubie, ab uſu medico, a veneranda antiquitate impoſitum fuit.

OBSERVATIO CLIX.

Dn. D. RUDIGERI FRIDER. OVELGUN.

Animi deliquii cura, matrimonium, ingravidatio, ſenectus, in virginibus.

Vel centum virgines novi, animi deliquiis frequentibus obnoxias,

noxias, prorſus curatas, utprimum matrimonium inivere, ita, ut matrimonium in junioribus, primam ſenectutem in ſenioribus unicum hujus animi deliquii remedium dixeris. Excitantia odorifera, fumus chartæ cœruleæ, nitrata, ſuccinata, caſtorina, ambrata, cum reliquo adparatu uterinorum demulcentium, orgasmum liquoris ſeminalis temperantium, ex methodo adhibita, faciunt palliative multum, & quod poſſunt, non æque ſemper quod debent. Iſthæc interea ceteris efficaciora nunquam non deprehendi, non neglecto menſium fluxu, quem tardiorem & inſufficientem videbis, maxima ex parte in talibus virginibus viro maturis & jugum pati pronis, nec facile ordinariis remediis ſolicitandum. Adſtantes mulierculas ſæpius in riſum notavi effuſas, quotiescunque Medici, hoc animi deliquii genus, cauſa genuina non ponderata, aliter, quam ***uterinum***, nominare & curare adniſi ſunt. Quo in caſu ipſas convulſiones uterinas horrendo ſpectaculo ſucceſſiſſe recordor. Nihil autem ceu jam memini, tanto juvenculis fuit adjumento, quam matrimonium. Obſervare autem unico exemplo contigit, virginem cholerico-phlegmaticam, animi deliquiis maxime ſubjectam, poſt quam nupſiſſet, per longum ſatis tempus eodem animi deliquio eousque ubjectam fuiſſe, donec poſt annum unum alterumve demum gravida facta, toto geſtationis tempore libera, manſit, excluſo fœtu, ſemper redibant animi deliquia ad ingravidationem usque, tum extemplo ceſſabant. Hic non matrimonium, ſed ingravidationem in matrimonio animi deliquii remedium vocaveris.

OBSER-

OBSERVATIO CLX.

Dn. D. RUDIGERI FRIDER. OVELGÜN.

Monita quædam circa diagnoſin Luis venereæ.

CUm a contagio per veſtes, oscula, vitra, linteamina, per lectum, reliqua, tum ex hæreditaria diſpoſitione luem Gallicam ortum ducere, tam notum, quam quod notiſſimum eſt, ubi ſane, inprimis ſi malum nondum altas egit radices, Oedipo ſæpenumero opus eſt, ad iſthoc dignoſcendum & certo definiendum. Aſt enim vero, ubi adfectus hic ſordidus natales ab impuro coitu habet, ceu hoc tempore ut plurimum fit, facilis eſt diagnoſis, quod dum fere preſſo pede illum inſequatur gonorrhœa virulenta, eaque intempeſtive ſuppreſſa & male curata, morbus Gallicus. Interea vero temporis, prægreſſo impuro coitu, nihilo minus ſubinde cauto opus eſſe tam ægro, quam Medico, quod alias decipi poſſint, ſequentia illuſtrata dabunt. Duo juvenes, primi nominis, concubitum celebrant cum una eademque fœmella: alter corripitur gonorrhœa virulenta, qui ſe venenum hauſiſſe ſentiens, extemplo ſe curæ committit, & rite curatus atque haud ita multo poſt priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt absque morbo Gallico ſuccedente. Alter, quod nec gonorrhœa virulenta, nec ullo gonorrhœæ ſymptomate adfligeretur, bene ſe ſe rem habere exiſtimans, remedia interna ſusque deque habet. Anno interjecto opem meam poſtulat, febri catarrhali laborans. Remediis diapnoicis, ex more datis, puſtularum magna ſeges, capitis partem capillatam tegebat, juxta atque volas manuum, ſequebantur dolores capitis magis nocturni, urgebat difficilis deglutitio aliaque. Denuo vocatus, cum puſtulas exactius luſtrarem, ratus, has ipſas eſſe venereas, inquiro in ſigna gonorrhœæ viru-

lentæ, non mentionem faciens nominis, quod illico rubore & pudore ſuffunderetur. Ille negat, ſe unquam laboraſſe urinæ difficultate. At quod puſtularum indoles, quas non æque quis ex ſola deſcriptione, quam ex oculari inſpectione dignoſcet, & alia adlata malum venereum indicare viderentur, ſemel atque iterum quæſita quæro. Ego vero nihil quidquam reſponſi loco accepi, quam, ſe nunquam vel minima difficultate urinæ adfectum fuiſſe. Sermonem cum alio ea de re habens, qui multa familiaritate ipſi conjunctus erat, certior factus ſum, illum non quidem, ceu prior, gonorrhœa adfflictum fuiſſe venerea, ſed ex coitu cum eadem, unico ulcuſculo perexiguo in parte illa, qua viri ſumus, laboraſſe, quod levi negotio, ipſe ſibi emplaſtro impoſito ſanaverit. Ea de re monitus, rem nullius fuiſſe momenti, regerebat. Tum vero extra dubium poſitus, omnem ipſi rem aperui, curam ſalivatoriam propoſui, chirurgo demandandam. Id quod factum eſt. Longior namque & incerta cura luis eſt, quæ hoc in gradu, his in oris, ſolis lignoſis peragitur, quantumvis Medicorum Cicero FERNELIUS id ipſum ſuadere multa opere adnitatur. Tam parva ſunt magnorum morborum initia!

(*Fritz. laria Erfordiam miſſæ d. 15. Maji 1739.*)

OBSERVATIO CLXI.

Dn. D. FERDINANDI JACOBI BAIERI.

Problema:

An venæſectio prophylactica purgationi præmittenda ſit?

Tam bene cum genere humano ſi ageretur, ut vere bona multis placerent, quemadmodum Stoicorum ſapien-

pientiſſimo olim in votis fuiſſe traditur, multi mortalium hodieque gauderent magis, minusque dolerent. Fateor equidem conſuetudinis magnam vim eſſe, & quæ placita Medicorum tot annorum, tot nationum cenſuram bono ſuo periculo ſuſtinuerunt, oppugnare ſat ingratam, ſat infelicem ſæpe, ſat difficilem operam & ſeculi emendationem videri. Nihilominus cum ſalus hominum publica ſupremæ legis vim obtineat, hactenusque circa adminiſtrationis ordinem duorum ſanitatis præſidiorum auctores Medici parciſſime commentando operoſi fuerint, nemo certe a ſcopo noſtro alienum putabit, ſi in præſentiarum paulo exactius demonſtrare adnitimur, ubi inprimis *Venæſectione* & *Purgatione* ſimul opus fuerit, ſi quidem etiam ſimul rarius contingere probabimus, ut ſemper & ubique ſanguinis miſſio evacuationi per alvum abſolute præmittenda ſit.

Initio igitur admiratione haud vulgari dignum eſt, in hoc perplexo negotio, ſi utriusque præſidii neceſſitas urgeat plane nihil determinaſſe tam inſtitutionum ſcriptores, quam ipſos practicos, quaſi utriusque concurſus fruſtra præſupponeretur, & in medio relinquendus eſſet ordo, pro ratione ſubjecti, cauſarumque morbificarum tenendus, ad naturæ ipſius prudentiſſimam imitationem, quæ longe alia molitur in cachecticis ventris turbatione, alia ſanguinis imminutione per hæmorrhagiam narium, uteri, hæmorrhoidumque in plethoricis. Unde æqua judicii lance rem ſi expendimus, & naturam morborum medicatricem reſpicimus, ſecuritatis ſtudioſiſſimam, alterutro præſidio tantum opus fuerit, & quæſtio noſtra propemodum vana & inutilis æſtimanda. Et certe HIPPOCRATES *Aphoriſm. XLVII. Sect. VI.* alterutrum particulis disjunctivis ſuadet, dum *quibus venæſectio, aut purgatio prodeſt, his tempore ver-*

no aut venam ſecandam, *aut purgationem imperandam* docet; hoc ſcilicet diſcrimine, ut ſi ſanguis copia aut motu peccaverit, venæſectio, ſi vero vitioſi humores negotium faceſſant, purgatio locum inveniat. Cum enim hæc ſimul in uno eodemque corpore propter diverſitatem temperamentorum ſtare nequeant, *plethora* ſcilicet, ſive ſanguinis boni & ſalubris, vitam valetudinemque juvantis copia & adfluentia, & *cacochymia*, ſive vitioſorum humorum corporis actiones lædentium redundantia, neque phlebotomia, neque cathartica remedia uni ſubjecto ſimul convenient. Attamen quia τὸ ποικίλον τῆς τροφῆς varietatem chyli & ſanguinis quotidianam parit in ventriculo & corde noſtro, lautæque & opiparæ diætæ abuſus haud raro, præſertim in ſubjectis vitam ſedentariam amantibus, motumque corporis ægre ferentibus, pro diverſa intemperantia, plurima corpora ex rerum non-naturalium dictarum pravo uſu non-naturalia & quaſi neutralia fiunt, non poteſt non maſſa ſanguinea ſæpius abundare ſimul & adulterari, ut auxilium utrumque adhibere fas ſit, alterum vero pro altero nefas.

Purgationi, qui primum adſignant locum, ſequentes rationes adducunt: I) Quia hæc corpus præparat, & primas vias a contentis, intemperantiæ noſtræ quotidianæ adſcribendis ſordibus vindicat, ne jacturam ſanguinis emiſſi natura ſentiens, cruditates ex inteſtinis in venas rapiat lacteas, privatumque ventris malum toti corpori faciat commune: ſtante eo, quod venæſectio inter initia adhibita vires frangat, corpusque purgationi ſuccedenti ineptum reddat.

II.) Per catharticam illam exagitationem totam maſſam ſanguineam in vaſis & viſceribus prius turbandam eſſe, ut impuriora cum puris confundantur, & ſimul in comitatu ſanguinis per venæ ſectæ foramen deinceps effluant.

III.) Au-

III.) Auctoritate divi ſenis HIPPOCRATIS ſe ſe muniunt, qui ſæpe ſæpius in inflammationibus internis, plethoram præſupponentibus, purgationem in ſubſidium vocaverit, tamquam remedium principale; de ſanguinis interim miſſione mentionem plane nullam faciens. Ita *de ratione victus in acutis*, *text. 52.* in pleuritidis principio purgationem loco venæſectionis inſtituit, *dolore* ſcilicet *exiſtente ſub thorace ex valida diſtenſione.* Sic etiam in libris de morbis, de adfectionibus & aliis practicis, inflammationes, varias corporis partes infeſtantes, ſola purgatione curari nos docet, cum in plurimis caſibus ſanguinis multitudini, cacochymia adeo prævaleat, ut in hujus gratiam purgatio omnino præferenda ſit ſanguinis imminutioni.

IV.) Ad experientiam tot practicorum, tot chirurgorum per Europam clariſſimorum, eundem ordinem obſervantium, provocant, ſine ullo valetudinis tam conſervandæ, quam reſtaurandæ incommodo, aut detrimento, poſt purgationem ſanguinis miſſionem adhibentium.

Atque hæc ſunt potiora oppugnantium machinamenta, quibus venæſectionem de prima ſede ſua deturbare conantur, & in utriusque præſidii concurſu præmittendæ purgationis neceſſitatem evincere conantur. Enim vero, quod in judiciis obſervari ſolet & debet; ita hic quoque & altera pars audiatur. Videamus igitur rem ipſam, & *primo* quidem tantopere decantatum periculum, ne ſcilicet absque prævia purgatione, fuga vacui, occaſione effluentis ſanguinis, cruditates ex inteſtinis rapiantur in vaſa & viſcera, ceu ſat vanum, diſcutiamus hoc modo: Aut enim viſcera & vaſa attrahendo in ſe ſordes inteſtinorum obvias recipient, aut ab inteſtinis conatu periſtaltico expulſæ illuc ſponte pergent. Non attrahendo, vel abſorbendo, quia onere priſtinæ repletionis, dum, cum levamine virium vindican-

tur, nullatenus novæ moleſtiæ ſe ſe exponunt partes utilitatum obſervantiſſimæ, ſed contractione tunicarum & fibrarum læta, diſtenſioni contraria, excluſiſſimas reddunt vicinas humiditates; præſertim cum ex vivorum diſſectionibus & ligaturis vaſorum, ſole meridiano clarius elucescat, hepati *facultatem* chyli, aut ſanguinis, *attractricem* majorem non, quam plantarum radicibus plane nullam eſſe. Non admittendo ab inteſtinis expulſa, quia, durante ſanguinis effluxu, natura quaſi tota ad venam turgentem ſectam determinatur, quo minus de defectu compenſando cogitare queat, & tanta ſanguinis profuſio ex vena cava nunquam concedenda, quæ naturam cogere poſſit, ut per venam portæ ejus jacturam reſtaurare moliatur. Multo minus ſanguinis adfluentia venæſectionem poſtulans, copiam cruditatum ullam in corpore præſentem patietur; ne quid dicam de ſanguine arteriarum cœliacarum & meſeraicarum, illum nempe deficientis ſucci ſpatium liberum omni præſentia ſua mox occupare, metumque vacui omnem tollere.

Ad *ſecundum* quod attinet *argumentum*, maſſam ſanguineam turbandam eſſe per purgationem prius, quam extrahatur venæſectione, tam abſurdum periculique plenum propter ſanguinis ſummam venæ portæ, imi ventris & ſanguinis venæ cavæ per omnes corporis partes diffuſi diverſitatem, naturæque tam inconveniens hoc eſt, ut, licet HIPPOCRATES l. c. pro utriusque neceſſitate in morbis magnis & acutis poſt venæſectionem, non remittente morbo, ad purgationem quoque deveniendum eſſe nos moneat, numquam tamen & nuſpiam modo contrario poſt purgationem, in gratiam prædominantis cacochymiæ ab initio adminiſtratam, venæſectionem ſubjungendam ſuaſerit; indicio certiſſimo, evacuata copia ac liberato & exonerato corpore, viisque redditis laxioribus, ipſam naturam ſponte facile præſtare poſſe officium, & ad reliquias impuritatum

tum exturbandas excitatiorem reddi. *Ineptam* igitur *& ſine ullo patrocinio recti judicii Medicorum noſtri ſæculi conſuetudinem pronunciat Leonhardus BOTALLUS* de curat. per ſangu. miſſ. cap. XXXVII. p. m. 320. *leviſſima ratione ſuffultam, ne quid crudi rapiatur in jecur.* Prodeant in hujus rei confirmationem præpoſtera hac conſuetudine imbuti quamplurimi utriusque ſexus teſtes, quorum valetudo per Medicos rationales conſervata fuit, qui varia ſymptomata olim ex purgatione præmiſſa perpeſsi, hactenus nihil amplius moleſti ſentiunt, quin ordine mutato venæſectioni primas tribuunt.

Tertio auctoritatem magni divi *Coi* nosmet ipſi in hoc, quod tractamus, negotio, maximi facimus, utpote cujus verba *ex IV. acut. text. XXXVI.* ita ſe habent: *Quicunque ea, quæ inflammata ſunt, ſtatim a principio purgante medicamento ſolvere adgrediuntur, hi de inflammato nihil auferunt: Non enim remittit adfectio, quæ adhuc cruda & in fieri eſt; quæ vero morbo reſiſtunt, & ſana ſunt, colliquat: debili vero corpore facto morbus invaleſcit, cum vero corpori morbus prævaluerit, taliter jam incurabiliter adfectum eſt.* Sed iſthæc verba conſenſu GALENI, interpretis optimi, aliorumque, ita pro noſtra ſtant adſertione, ut hic in primis ſtatim Commentarii ſui lineis, adſerat, *verba Hippocratis adlata & ſequentia eſſe catalogum eorum morborum, qui primum ſanguinis miſſione egent, dein ab ea purgari.* Unde & *Comment. I. in VI. Epidemior.* hisce terminis concludit: *Si contingat unum aliquem hominum indigere utroque auxilio, ſatis notum eſſe, ordiendum a venæſectione.* Eandem ſententiam de iisdem morbis *Jo. HEURNIUS Comment. Lib. IV. acutor. p. m. 90.* per experientiam probat: *Hi omnes*, inquit, *morbi, inflammationes ſcilicet alioquin ſanabiles, fiunt inſanabiles, niſi curatio earum initium ducat a ſanguinis detractione, maxime ſi pro phlebotomia præſcribitur pharma-*

cia.

cia. HIPPOCRATIS autem adducto loco ut ſatisfiat, reſpondemus: Omnes iſtos morbos eſſe inflammationes ſpurias, & ex eorum numero, qui utroque præſidio non indigent, ſed ob prævalentem cacochymiam ſolam poſcunt purgationem, cui, ut jam dictum, nunquam & nuſpiam ſanguinis miſſionem HIPPOCRATES ſubjunxit.

Tandem ad experientiam provocant quotidianam, & hactenus neque in caſu valetudinis confirmandæ, neque in ſtatu ſanitatis reparandæ, purgationem venæſectioni præmiſſam ullam unquam noxam induxiſſe, ſed ſalutarem ſemper ſucceſſiſſe præſervationem & curationem, quaſi de re bene geſta, gloriantur. Nos ſanguinem reſpicientes languentium miſeriam, publicamque calamitatem opponimus. Quam rara enim in concurſu populi retardatæ ætatis, quam frequens acceleratæ ſenectutis canities? Uno verbo, cur tam pauci macrobii? Si itaque dicendum, quod res eſt, etiamſi natura juvenum virorumque non ſtatim ex tempore poſt peractam purgationem & ſanguinis miſſionem, hac vel illa die, hoc vel illo menſe, hoc vel illo anno ſuccumbat, ſed quadantenus error iſte ad tempus leviter feratur, per rerum naturam tamen ſanguis, vitæ noſtræ ſanitatisque auctor, non poteſt non ſemper in diſcrimen adduci, ejusque vigor, longævitati favens, frangi. Porro ex ſanguine miſſo inſpecto certiores reddimur de iis, quæ in ejus maſſa peccant, & purgationem poſtulant. Et longe ſatius eſt ſanguinem adhuc impurum mittere, quam poſt vitioſorum humorum ſubtractionem ejus maſſæ florem profundere. Iſthac enim evacuatione ſanguinis humores omnes, qui adſunt in venis, æqualiter effunduntur; purgatione vero tamquam qui prava qualitate affecti ſunt. Hocque reſpectu *univerſalis evacuationis* privilegium venæſectio meretur; purgatio titulum *particu-*

laris,

laris. Uuiverſalia autem ſemper præmittenda ſunt particularibus ex methodo.

OBSERVATIO CLXII.

Dn. D. JOAN. FRIDER. WEISMANNI.

De

Novo magiſterio cœruleo Erlangenſi.

INventum illud novum Dippelianum, ex ſanguine bovino exſiccato, cum ſale alcali calcinato, & alumine præcipitato conſtans magiſterium cœruleum, magnas hactenus promeruit laudes, alias *cæruleum Berolinenſe* dictum, quod omni jure artrifices, in ſpecie pictores, magnifaciunt, utpote qui ſumtibus parcentes loco Ultramarini, vulgo pretioſioris, illud uſurpant. Hinc ſæpius de hoc invento cogitans, eo ſemper adlaboravi, omni ſtudio, ut ex alio regno ſimile obtinerem Magiſterium. Multa hinc inſtitui experimenta, ſed irrito ſemper effectu, tandem vero in mentem venit concretum illud ex regno vegetabili notiſſimum, nempe *Fuligo ſplendens*, Spiegel = Ruß, animoque hilari rem ſum adgreſſus, & felix eventus coronavit opus. Recepi nempe fuliginis ſplendentis & cinerum clavellatorum ana ℥iv. in pulverem redactam & commixtam materiam indidi crucibulo exteme calefacto, calcinavi eo usque, donec materia ex toto candida adparuerit, ex qua dein mediante aqua pluviali præparavi lixivium primum mediante filtratione per chartam bibulam.

Alterum vero elaboravi lixivium tali modo: ſumſi Vitrioli martis ad rubedinem calcinati ʒiij. adfudi aquæ pluvialis ℥iv. præviaque leni coctione hanc per chartam bibulam filtravi; & calidum hoc ſecundum lixivium priori adfudi. Denique ſolvi Alumin. crudi ℥viij. aquæ pluvialis

 mens.

mens ij. coctioni expoſui & liquorem adhuc calidum per chartam bibulam filtravi, eumque duobus prioribus etiam adhuc calefactis, adfudi, ſic mox adparuit liquor gryſeus, quem ex una olla in alteram ſæpius effudi, ut probe omnia commiſcerentur, unde dein adparebat color cœruleus. Tandem addidi Aquæ fortis ℥j. & per aliquot dies quieti tradidi, dehinc novam admiſcui aquam pluvialem & in fundo poſtea inveni magiſterium illud elegans cœruleum, quod porro edulcoravi aqua pluviali, exſiccavi, & uſui reſervavi.

Ex liquore illo remanente lixivioſo, filtrato, & ad cuticulam usque evaporato, præparavi ſal aliquod polychreſtum inſtar arcani duplicati in febribus intermittentibus valde proficuum.

Erlanga Norimbergam miſſa
d. *24. Maji 1739.*

OBSERVATIO CLXIII.

Dn. D. JO. JACOB KIRSTEN.

De

Oleo Salviæ & Copaivæ.

Nemini, qui in arte chemica vel leviter verſatus eſt, ignotum eſſe poteſt, ex *Chamæmelo vulgari* deſtillando ſemper evocari ſolere oleum egregii cœrulei coloris; minime vero ex *Romano;* cum tamen utrumque Chamæmeli genus facie externa ita inter ſe conveniat, ut ovum ovo vix magis ſit ſimile. *Millefolium* quoque oleum ejusdem coloris, hoc modo tractatum, non raro exhibere, multi jam obſervarunt; & ego etiam ipſe expertus ſum. Sed major me cepit admiratio, cum in Laboratorio paterno, præſente quidem parente, ex veſica deſtillarem *Salviam*, floribus

ut

ut plurimum deſtitutam, & jam maturis fere ſeminibus inſtructam. Tunc enim ſimiliter apparuit oleum eleganter cœruleum. Quam vero *Salviam*, cum pluries antea deſtillaverim, nunquam ſimilem effectum obſervavi, ſed non niſi oleum coloris ordinarii, quod omnibus conſtat, inde elicui. Veſica bene erat purgata, & antea deſtillationi ſubjectum erat fœniculum. Poſt anni fere dimidium oleum amiſit colorem cœruleum; uti plura olea, elegantibus coloribus ornata, ejusmodi mutationi expoſita eſſe ſolent. Evolvi *Jo. Sigm. ELSHOLTII deſtillatoriam curioſam*, ubi de variis coloratis liquidis, per deſtillationem paratis, mentio fit; perlegi varia de Salvia peculiaria ſcripta, variaque conſului Botanicorum ſcripta; ſed nondum deprehendi relatum, idem ab aliis obſervatum eſſe. Idcirco operæ pretium duxi, hoc phœnomenon chemicum etiam cum aliis communicare. Cum vero mihi nunc de oleis coloratis & deſtillatis ſermo eſt; adjungam & id, quod mihi nuper demum obſervare licuit. Legi aliquando in obſervationibus chimicis Celeberr. *Frid. HOFFMANNI, Obſerv. 6. Libr. 1.* quod is *Balſamum de Copaiva* primo deſtillaverit, acceperitque inde non ſolum *permagnam olei quantitatem*, verum etiam oleum *viridicati coloris.* Cum igitur officii ratio poſtularet, ut artem chemicam publice docerem; in publico hujus Academiæ Laboratorio chimico, inter alios proceſſus, hunc etiam inſtitui, ut & philiatorum & meo deſiderio ſatisfacerem. Invenimus autem, cum aliquot uncias hujus balſami per veſicam deſtillaſſemus, hujus experimenti eventum, Illuſtris HOFFMANNI ſententiæ ex omni parte convenientem: oleum nempe ſupernatans prodiit egregii viridis coloris. Sed animus indagandi curioſus, eo me deduxit, ut etiam ex cucurbita vitrea hanc deſtillationem ejusdem balſami rite inſtituerem, & ecce, collegimus quoque priſtinam quantitatem olei, non autem oleum viridis coloris, ſed in-

ſtar limpidiſſimæ aquæ. Aſſervavi utriusque coloris olea; ſed id, quod viride erat, mutavit ſenſim colorem in fuſco-luteum; alterum autem adhuc retinet faciem ſuam limpidiſſimam.

Altorfio Noribergam
miſſa.

OBSERVATIO CLXIV.

Dn. D. JOANN. HERMAN. FURSTENAU.

Hiſtoria febris catarrhalis circa finem Anni 1734. & initium 1735 paſſim epidemiæ.

Poſt ſuperatum ingens illud & exquiſitum, quod Menſe Novem. ingruit, & ad M. Decembr. usque initia continuavit in aëre frigus, nivibus copioſis & glacie denſa junctum per reliquam M. Decembris partem usque ad anni finem, quin & inter ſequentis initia anni, per totum M. Januarium, tempeſtas varia extitit, ventis modo ex oriente, modo occidente ſpirantibus, pluviis modo ſparſim & guttatim, modo cum impetu & nimbi modo decidentibus, & nullo quidem gelu præſente, frigore tamen ſatis notabili, ad horripilationem usque viventium, in aëre obſervato. Inde adeo frequentes valde affectus catarrhales, tuſſes, coryzæ, raucedines, capitis & pectoris dolores punctorii, febrilibus ſymptomatibus junctis, homines, inprimis litteratos & linguæ exercitio adſuetos, ſimulque aëri liberiori expoſitos, ac tenerioris inſuper texturæ, invaſerunt. Quorum in numero proprium, quod plurium inſtar eſſe poterit, adlegare juvabit exemplum. Prævio aliquot dierum languore, nauſea, ciborum faſtidio, & catarrhalibus cum primis ſymptomatibus, horripilatio quædam circa horam no-

nam matutinam acceſſit, cui mox hemicrania lateris dextri junƈta, & ſenſim auƈta tanta vehementia ſæviit, ut clinicus faƈtus omnem lucis uſuram prorſus horrerem, quin culcitris profunde immerſus, in ipſo meridie per quadrantis horæ & amplius fere ſpatium ſomnum capeſſerem, cum notabili hemicraniæ levamine, quæ tamen ante quintam vel ſextam horam veſpertinam non plane remiſit. Hinc vero totam noƈtem a doloribus & omni moleſtia prorſus immunem, ſed inſomnem, plerumque traxi, ſequenti mane eadem ſcena, heſternæ per omnia ſimili, redeunte. Quæ omnia ad diem usque undecimum continuarunt, hinc vero ſenſim remiſerunt, urina poſtremis aliquot diebus turbida, cum cuticula in ſuperficie & lateribus matulæ adparente. Medicamentis oppido paucis, & præter pulveres nitroſo-cinnabarinos, & abſorbentes, fere nullis uſus ſum. Sed a prandio per totidem dies conſtanter abſtinui, cœna vero admodum frugali uſus ſum, ac regimen non tam ſudoriferum, quam diapnoicum exaƈte ſervavi, indeque Deo juvante cum valetudine brevi in gratiam redii.

Sed triſtius longe fatum, acerbiora ſymptomata, & tragicum morbi exitum in filiolo 6. fere annorum expertus ſum, qui haƈtenus ſanus, vegetus, florida facie, & habitu corporis toroſo præditus, ab ineunte fere ætate reƈte valens, nullis fere, niſi verminantibus & ſpaſmodicis ſymptomatibus laborans, variolis ante annum cum dimidio rite ſuperatis, de palpitatione cordis tamen frequenter conqueſtus, poſteaquam apoſtemate in collo, magnam puris vim fundente, adfliƈtus, febrilia ſimul ſymptomata expertus eſſet, eodem mecum temporis momento prævia leni horripilatione, ſimili febri catarrhali, cum iisdem quoque ſymptomatibus, correptus, de hemicrania pariter acerbas & perpetuas fudit querelas; aderant ſimul anxietates præcordiales, vigiliæ, & inquietudines indeſinentes, cordis palpitationes graviſſimæ, virium major in dies proſtratio, tuſſis & vomitus frequens, ſitis clamoſa, ciborum faſtidium, alvus adſtri-

cta, ſimiliaque ſymptomata ne per momentum quidem temporis remittentia, tot internis licet & externis auxiliis fruſtra uſurpatis.

His omnibus linguæ paralyſis circa diem morbi vigeſimum primum acceſſit, puſillumque corpus, nunc macie confectum, graviter adeo atque acerbe adflixit, ut lacrymas adſtantibus vel invitis extorqueret, ultima hac ſcena in quintum usque diem perſeverante, & pridie mortis adfectu anginode accedente, magnum terrorem propinquis incutiente, nec niſi injectis ſyringa gargarismatibus tantillum mitigato. Præter ſexcenta alia, & emulſiones, inprimis amygdalinas papaveraceas, ut & pulverem cordialem Cellenſem, non ſine omni levamine ægroto ad deſiderium ejus propinata remedia, V. S. in pede inſtituta, veſicatorium vero in nucha die 22. morbi adplicatum eſt, utroque remedio officium faciente; ſed æger d. 25. morbi, qui erat d. 27. Jan. hora 5. matutina vitam cum morte commutavit.

OBSERVATIO CLXV.
Dn. D. JOAN. HERMAN. FURSTENAU,
De
Abſceſſu muſculorum abdominis
παραλειπόμενα.

Enarravi pluribus nuper (a) adfectum talem in viro mediæ ætatis feliciter ſuperatum, in quo cum grana viridia, ſeu globuli minores, puri affatim permiſti nonnullis magiæ ſuſpicionem parerent, alios in ſtuporem raperent, ipſeque veram ejus rei cauſam ab aliis repetere, quam firmiter quidquam ſtatuere, ſatius duxerim; tamen, ut dies diem docet, videor mihi in alio exemplo, non ita multo deinceps oblato, probabilem

(a) *in Volum. IV. Actor. Nat. Cur. obſ. 123. pag. 477.*

lem hujus rei cauſam deprehendiſſe. Vidua nempe plus quam ſexagenaria, præviis doloribus, ardore & rubore in regione inguinali dextra, facta apertione abſceſſum pariter abdominis & quidem ad cavitatem uſque inteſtini, forte ilei, penetrantem, oſtendit, ſiquidem præter materiam purulentam, in quantitate notabili prodeuntem, & adſumtorum reliquiae nonnihil digeſtæ & immutatæ, & lumbrici albicantes ſubinde ex foramine cum flatibus & magna ſecum liquidarum parte, pauciſſimis alvo pigerrimæ relictis, inde per integrum biennium exeuntes, id ſatis in aprico poſuerunt. Deligationi ſæpius, maxime ab initio, adſiſtens, miram ex foramine prodeuntium varietatem, & adſumta modo magis, modo minus mutata, inque his ſæpius ſimiles globulos virides, ab adſumtis inprimis oleraceis, ſed magis tritos & ſubactos offendi. Quid mirum ergo, ſi in viro ſuperius laudato & habitu corporis & ætate magis florida prædito, atque abſceſſum ejusmodi in loco abdominis ſuperiori, & inteſtina non perforante, experto, puri, quod ipſe chylus eſt, globuli ejusmodi virides ab adſumtis pariter oriundi & nondum attriti, per quascunque demum vias, una cum chylo oleoſo & copioſo, ſeu pure pingui, permiſti, in conſpectum prodierint.

Fœmina autem illa variis poſtmodum ærumnis expoſita, tandemque ſucco omni vitali privata & ſceleti inſtar emaciata, biennio exacto, circa tempus æquinoctiale vernum, anni proxime elapſi, placide animam efflavit, adeoque prognoſin, a non nemine ab analogia argumentante factam, exacte adimplevit.

Hoc autem in caſu ſequentia inprimis notatu videntur digna:

1.) Quod per totum morbi decurſum lumbrici teretes, ſed pallidi, minuti, quaſi imperfecti, & nondum vitales, una cum maſſa pultacea chyloſa, ex abſceſſu prodierint, eoque argumentum haud obſcurum præbeant, verminoſam iſtam pullitiem toto quidem die cum ſeminiis adſumtis ingeri, & revera ſæpius in primis viis propullulare, quo minus vero in plerisque magnitudinem & figuram debitam, vitamque adipiſcantur, illud tum bilis amaritei,

riitei, tum primarum tono viarum & robori in acceptis referendum erit. 2.) Quod obſtructione alui frequenti & pertinaci præſente laxantia hinc blanda propinata, magis per abſceſſum materiam fundendo, quam vias conſuetas aperiendo, operationem fecerint. 3.) Quod iliacæ metus paſſionis identidem quidem adfuerit, ægra tamen non eadem ſed vero marasmo ſenili, exhauſto omni ſucco vitali, extincta, fuerit. 4. Quod unica de æſtu partium internarum, & abſceſſui inprimis vicinarum, querela, non niſi temporantibus, abſorbenibus & ſalinis, ipſisque nitroſis, carminativis & roborantibus congruis additis, mitiganda, fuerit.

Aliud inſuper notare licuit exemplum in milite fere quadragenario, qui non uno, ſed pluribus abdominis abſceſſibus, materiam ſeroſam purulentam affatim plorantibus & inter ſe communicantbus, laborans, diu internis externisque auxiliis tractatus, ſenſim contabeſcens vitam, in alterum pariter annum miſere tractam, cum morte commutavit. Cujus quidem initia dolores retulit ipſe dorſi perpetuos & exquiſitos fuiſſe, a variis idcirco conſultis Medicis & chirurgis empiricis varia ratione tractatos. Ab acribus videlicet, pellentibus, diureticis, ipſisque acidulis, methodice uſurpatis, nullum non modo auxilium, ſed dolorum potius & moleſtiarum augmentum expertus eſt; cum non calculus quispiam renibus, aut ureteribus inhærens, ſed negotium hæmorrhoidale hic ſcenam luderet, ægro nimirum, dum viveret, libere profitente, ſe hæmorrhoides quondam apertas ſemel atque iterum vidiſſe.

Erat præterea fœmina fere quadragenaria, aliquot liberorum mater, ultimo puerperio poſt excluſos gemellos ab imperita obſtetrice ita læſa, ut vaginæ uterinæ prolapſum & fluorem album inde retinuerit. Hæc diu cauſaria, tandem abſceſſu abdominis adeo fœdo correpta eſt, ut muſculi abdominis, laciniæ cujusdam inſtar penduli, & ad peritonæum usque conſumti, nau-

ſeam

ſeam crearent abominandam, a materia purulenta, per alvum & pudenda affatim & cum fœtore prodeunte, non parum auctam. Hæc ſiti & ſumma virium proſtratione, adpetitu licet aliquamdiu ſuperſtite, confecta, talem meruit prognôſin, quam eventu confirmavit, ægra paulorum ſpatio dierum fatis cedente.

OBSERVATIO CLXVI.

Dn. D. JOANN. HERMANN. FüRSTENAU.

Apoſtemata muſculorum abdominis morte terminata.

QUemadmodum abſceſſus abdominis muſculorum occulti fauſtos quondam infauſtosque vidi ſucceſſus, prout notabilia exempla, *ſupplem. IV. Annal. phyſ. med. Wratislau. p. 116.* inſerta demonſtrant; ita abſceſſus muſculorum abdominis apertos non pari ſemper felicitate ſanari, tum ab aliis, in primis ab *H. HEINRICI* in Diſſ. *de Abſceſſu muſculor. abdom. & meſenterii* & Illuſtr. *Fr. HOFFMANNO in Med. Conſult.* paſſim præclare oſtenſum eſt, tum mihi ſemeſtri hoc ſpatio duplici, eoque memorabili paradigmate innotuit. Eodem nempe tempore, quo abſceſſus, *Volum. IV. horum Actorum. Obſerv. 123.* deſcriptus, in Viro pl. Reverendo feliciter aperiebatur, & facta ſufficienti purulentæ materiæ evacuatione D. b. ad conſolidationem iterum perducebatur, ſicut anno ſuperiori pluribus commemoratum eſt, idem fere in equite, pridem ruſtico, 23. circiter annorum, ſed impari ſucceſſu, contigit, ſolſtitium æſtivum vix dum erat elapſum, cum æger ex acidulis Pyrmontanis, proprio magis auſu, quam aliorum ſuaſu uſurpatis, redux, utriculum quaſi quendam notabilis capacitatis in regione iliaca dextra præ ſe ferret, quo a chirurgo aperto, ingens puris aquoſi quantitas ex eodem & aliis deinde ulceribus, in abdomine, dorſo, & inguine exortis, & inter ſe invicem communicantibus, ipſamque genu flexuram in conſenſum trahentibus,

profluit. Sed ſimulac apoſtema illud apertum eſt, mox febris ægrum invaſit quotidiana & lenta, illumque per ſex deinde menſes ita confecit, viribusque exhauſit, vt circa finem anni, fruſtra in ſubſidium vocatis internis externisque præſidiis, mortis præda fieret.

Non multo ante obitum tempore, data occaſione ægrum de cauſis procatarcticis, & valetudine prægreſſa interrogavi, & reſponſi loco ab ipſo aliisque tuli, integra eum hactenus valetudine gaudentem, & ſobrie viventem, neque ullis in diæta erroribus indulgentem, annuo fere ſpatio exquiſitis & perpetuis dorſi doloribus valde excruciatum eſſe, & a variis varia, ipſaque lithontriptica, & diuretica exhibita hauſiſſe. Sed, nullum hic adfuiſſe calculum, quin potius hæmorrhoides molientes omnem fere hanc ſcenam luſiſſe, eventus tandem triſtis, meo quidem judicio, confirmavit, quando paucis ante obitum ſeptimanis hæmorrhoides, ſed ſero nimis apertæ fuerunt.

(*Rintelio Erfordiam transmiſſa d. 30. Maji 1739.*)

JO. HARTM. DEGNERI

CIVITAT. NEOMAG. ARCHIATRI ET ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. COLLEGÆ

HISTORIA MEDICA

DE

DYSENTERIA BILIOSO-CONTAGIOSA,

QUÆ

MDCCXXXVI.

NEOMAGI ET IN VICINIS EI PAGIS EPIDEMICE GRASSATA FUIT.

IN QUA SIMUL CORTICIS SIMARUBÆ ET RADICIS SALAÆ EFFECTUS EXPLORATUR.

APPENDICIS
CONTENTA.

I. Dn. D, Joann. Hartmanni DEGNERI Hiſtoria Medica de *Dyſenteria bilioſo contagioſa*, quæ MDCCXXXVI. Neomagi & in vicinis ei pagis epidemice graſſata fuit. pag. 1.

II. Dn. D. Joann. Philippi WOLFFII Epiſtola, de *Syncope*, *Paralyſi univerſali & Aphonia, ab aeris privatione Svinfurti d. IV. Decembr. MDCCXXXVII. oborta feliciterque curata*, ad Illuſtr. b. m. *Joann. Philipp. FEHRIUM.* p. 133.

III. Dn. D. Caroli Friderici LOEW, Epiſtola ad celeberrimos omnium regionum Botanicos, qua *de Flora Pannonica conſcribenda* Conſilium cum ipſis communicat, & ſingulos ad commercium botanicum, mutuamque rariorum plantarum ſeminumque communicationem, perofficioſe & peramanter invitat. p. 145.

IV. Dn. D. Joannis Conradi TRUMPHII Epiſtola ad modernum Academiæ Nat. Cur. Præſidem, Dn. D. *Andream Eliam BUCHNERUM*,

NERUM, qua de collato loco in Academia hac Imperiali gratias agit debitas. p. 155.
V. Memoria THEBESIANA. p. 161.
VI. Memoria CAMERARIANA. p. 169.
VII. Memoria LIMPRECHTIANA. p. 177.
VIII. Memoria HOYERIANA. p. 185.

APPENDIX
AD
VOLUMEN QUINTUM
ACTORUM
PHYSICO MEDICORUM
ACADEMIÆ CÆSAREÆ LEOPOLDINO CARO-
LINÆ NATURÆ CURIOSORUM
IN GERMANIA.

PROOEMIVM.

Seculum integrum nunc abiit, ex quo omnium morborum truculentiſſima *Peſtis*, *Belgium*, inprimis vero *Geldriae* Provinciam, atque in ea inter reliquas, maxime *Civitatem* noſtram *Neomagenſem* miſerrime afflixit. Tanta enim tunc ſævitia hic locorum iſta lues graſſabatur, ut totum *Neomagum* quaſi incendio ab eadem correptum videretur, et vix in urbe decem domicilia ab illius contagio intacta relinquerentur.

Facile eſt colligere, quam luctuoſum illud fuerit ſpectaculum, dum feretra funeribus excipiendis per omnes plateas ante plurimorum fores collocata, et non ſolum mortuos undique, ſed et ſaepius tria quatuorve cadavera ex iisdem aedibus ſimul ad ſepulcra deportata fuiſſe legimus.

Miſeram illorum temporum faciem, quorum hiſtoriam graphice deſcriptam nobis reliquit Celeb. Isbr. de DIEMERBROECK, civitatis huius tunc temporis *Medicus* ordinarius, nobis in mentem revocavit calamitas, quam hoc ipſo *anno ſeculari* experti ſumus, cum morbus quidam *Epidemicus*, inter affectus nobis familiares fere graviſſimus et foetidiſſimus, nimirum *Dyſenteria bilioſo-contagioſa*, hic terrarum ſatis vehementer ſæviret.

Peſte quidem laborantes nunquam tractavimus, ſed ex hiſtoria morbi, ab aliis conſcripta, facile concedimus, *contagium*

iſtius violentius et malignius eſſe dyſenterico, neque aequale periculum huic ineſſe.

Verum enim vero *lues* quoque *dyſenterica* interdum ſatis virulenta eſt, et miasma ſuum contagioſum quam latiſſime diffundens, non tantum magnam hominum multitudinem inficit, ſed etiam multa ſtrage interficit; etſi praeſentius periculum vera *Peſtis* affert quam modo dictus affectus, tamen putidiſſimus et cadaveroſus foetor, quem nec ditiores evitare poſſunt, ipſo horrore et averſione alterius mali metum fere adaequat, ut taceam dolores et intenſiſſimos cruciatus, qui in alio morbo, non erunt graviores.

Plures quidem morbos *Epidemico - contagioſos*, ex. gr. *febres catarrhales malignas*, *petechiales*, *purpuratas*, *variolas*, *morbillos*, etc. late graſſantes, in praxi noſtra obvios habuimus tractavimusque, nihil tamen horum cum horrendo hoc malo dyſenterico comparari poſſe nobis videtur.

Et ſane peſte excepta febribusque, quae iſti ſunt affines, vix aliud morborum virus latius graſſatur, magisque genus humanum vaſtat, quam ipſa *dyſenteria*, ob quam etiam rationem ſummum veluti gradum adepta pro *peſtilente*, ſeu *peſtilentis indolis* morbo, aut, ut ita loquar, pro noſtra *peſte* haberi poteſt.

Horrent etiam hunc morbum prae reliquis mortales. Vicinus vitat vicinum, agnatus agnatum; de piſtore panem, de cereviſiario cereviſiam accipere recuſant, ſi eorundem domus aliquem hoc malo affectum habeant; hinc opifices, mercatores, aut alii, quorum intereſt, rem ſuam familiarem nullum detrimentum pati, morbum maxime celare ſatagunt, ne a negotio aut commercio ſuo quemquam avertant.

Tantus quoque per *Belgium* et apud vicinos de noſtro morbo rumor et terror fuit, ac ſi ipſa peſtilentia afflati fuiſſemus. Haud pauci urbem noſtram intrare timebant; alii audita fama de dyſenteria hic graſſante ante ipſas portas gradum retulere domumque rediere.

Nonnulli, quia in DIEMERBROECKIO legerant, tunc

tem-

temporis hic locorum praeceſſiſſe dyſenteriam malignam, eamque excepiſſe peſtem, etiam nunc peſtem inde naſcituram vaniſſimo praeſagio hariolabantur, ac ſi non ſatis magna malorum moles nobis incumberet.

Morbus vero *dyſentericus*, uti in genere eximiae malignitatis ac truculentiae eſſe ſolet; ita in ſpecie apud nos non ſolummodo magnum aegrorum rapiebat numerum, ſed etiam tantam et tam exactam pro ratione laborantium requirebat attentionem, ut, ubi in aliquo articulo peccabatur, aut quidquam ὕστερον πρότερον fiebat, aeger periculum vitae incurreret, nec niſi experto credibile ſit, quam plenam moleſtiae vitam Medicus tunc temporis agat, cum dies noctesque continuo inter huiusmodi nil niſi putridum foetorem exhalantes aegrotos verſari debeat, ac ipſi vix ſpatium capiendi cibum, aut defatigata membra neceſſaria quiete reficiendi, concedatur.

Vix enim quisquam Medico parcit, dum ſibi auxilium ferri cupit.

Ipſe ego laboribus delaſſatus ſaepius commotionibus febrilibus corripiebar, ac dolores capitis patiebar, qui mihi in morbis epidemicis ſemper malignitatis ſignum fuerant. Vomitu praeterea ſpontaneo & diarrhœa leviore illo tempore aliquoties tentabar, nec leve morbi incurrebam periculum, nullum tamen otium relinquebatur habendi curam mei, ut non una vice cogitarem, me fere vitam cum labore finiturum.

Anno quidem huius *ſeculi ſecundo dyſenteria caſtrenſis* Ducatum Clivenſem, ob caſtra ibi poſita graviſſime affligens, noſtram quoque civitatem corripuit, magnaque ſtrage tunc devaſtavit, ſicuti ex ore eorum accepimus, qui illum morbum aut ipſi tolerarunt, aut illorum temporum adhuc memores ſunt. Aſt non ſemel indoluimus in praeſenti noſtro caſu, quod Medici illius ætatis hic degentes nullas ex ſuis obſervationibus memoriae prodiderint, ex quibus forſan aliquid conſilii aut auxilii haurire potuiſſemus. Operam quidem dedimus, ut aliquas de illo morbo relationes genuinas nanciſceremur; at, cum nullus amplius

Medicorum, qui eo tempore vixerunt, ſuperſtes eſſet, voti noſtri compotes fieri nequivimus.

Quid vero artem noſtram magis illuſtrat, quid certius ſtabilit ac firmat, quam *obſeruationes* ac *hiſtoriae morborum* ab iis ipſis fideliter conſcriptæ, qui ſaluti hominum praefuerunt?

Sunt enim *Obſeruationes medicae* ſpecies facti et relationes earum rerum et mutationum, quae in corpore humano fiunt, ſive illud in ſtatu ſano, ſive morboſo exiſtat. Ex iis cognoſcimus non tantum veram naturam, generationem et cauſas laeſionum et ſymptomatum morboſorum, verum etiam pandunt nobis certos, et genuinos effectus medicamentorum, cum iam cognitorum, tum et eorum, quae nobis adhucdum incognita erant. Illis maximam partem innititur Praxis et Experientia medica, quae rationes ſuas ſolidas ex iisdem petere debet.

Certe ſi Medici *Obſervationes* et *Annales hiſtoricos* diligentius conſcriberent, et de iis caſibus, qui annuatim ipſis offeruntur, et praeſertim quemlibet morborum epidemicorum et contagioſorum ſtatum ſcriptis accuratius notarent, non poſſet fieri, quin ſolidior morboſarum cauſarum cognitio et firmior medendi methodus inde emergeret. Tunc enim quid in iſto affectu emolumento, quid nocumento fuerit, quidque *in ſimili caſu* agendum ſit, certius diſceremus, nec de vita hominum denuo periculum faceremus.

Cum enim multi ſint morbi, qui nil niſi ſpeciem ſimilitudinis prae ſe ferunt, cauſas vero ſi reſpiciamus, maxime a ſe diverſas habeant; ita quoque in ſpecie magna *inter dyſenterias* occurrit *differentia*, quae non niſi ex eiusmodi collectis et inter ſe collatis obſervationibus et hiſtoriis recte cognoſci et diſtingui poteſt.

Inde etiam evenit, ut cum haec noſtris diebus oborta dyſenteria phaenomena haud vulgaria exhiberet, quod nomen ſpecificum ei imponerent, aut quam cauſam genuinam ei aſſignarent, ipſi admodum ambigui haeſitarent Medici, qui ex hac lue laborantibus medicinam faciebant.

Illam

Illam autem haud alia quam *bilioſae* nomine deſignandam eſſe, ex ipſa eius natura patebit.

Morbum iuſto nomine definire Medicum decet, nam hoc ipſo declarat, illius genium ſpecificum ſibi notum eſſe, quinimo viam ad eius ſanationem ſibi non ita fore difficilem.

Solet autem hic morbus eſſe *lapis offenſionis* illis, qui rem parum cognoſcunt, utpote qui inde facile in incerta deferuntur trivia, ut nil niſi experimenta fallacia ipſos facere, eandemque illorum perverſam medendi methodum noxiorum eventuum cauſam evadere, neceſſe ſit.

Huius rei cogitatione permoti in praeſenti conſtituimus hanc de malo epidemico, quod noſtros hoc anno oppugnavit muros, publicare relationem, ſimulque ea, quae in noſtro periculo ſingularia occurrebant, ab oblivione vindicare.

Nulla cum oſtentatione, cum multorum ſcriptorum, ad libri molem augendam, citatione, ſed ſimplici ſermone et ſtilo omnia conſcripſimus, rebus potius, quam verborum copiae & elegantiae intenti atque ſtudentes.

Herbis enim, non verbis, curantur morbi. Verbis vero offendi, iuxta *Tullium*, aut morbi aut imbecillitatis argumentum eſt.

Quod vero hic libellus aliquanto ſerius in lucem prodeat, primaria huius morae cauſa fuit praxis nimium cumulata, quae nobis tempus ſubtraxit, quo minus obſervationes noſtras in debitum ordinem redigere licuerit.

Deinde per totum *Anni* 1737. decurſum ad finem menſis *Novembris* vsque complures adhuc obſervabantur aegri, qui ex *diarrhœa bilioſa* laborarunt, quos inter ſemper quidam erant, qui materiam cruentam excernebant, aut qui inde infelici modo mortem oppetebant, donec tandem ab eo tempore iſtae diarrhœae plane evanuerint, poſtquam ultra annum et dimidium epidemico fere morbo hic graſſatae fuerant.

Illae vero *diarrhœae* incolas noſtros adeo terruerunt, ut quamprimum quispiam ab iis tentabatur, rumor in vulgus ſpargeretur, *dyſenteriam* aut in hunc vsq; diem nondum ceſſaſſe, aut iam redire.

Et licet eiusmodi logi vani deprehenderentur, nec morbus ſe hactenus manifeſtaret, hoc tamen pacto quotidie novae nobis remorae ſubnatae ſunt, utpote avidis videndi prius totius ſcenae exitum.

Cum enim omnino exempla in propatulo ſint, dyſenteriam vehementem atque malignam non tantum per magnam hiemis partem duraſſe, verum etiam ab una ad alteram usque aeſtatem tanquam uno tenore, licet non uno vigore, continuaſſe, prudentia ſuadere videbatur, de morbo noſtro nihil ante abſolutam periodum et impletum finem literis vulgandum eſſe.

Praeterea non adeo magno impetu ad id ferebamur, quoniam ſentiebamus iudicia admodum diverſa fuiſſe, huncque aliquid pro utili declaraſſe, alium idem damnaſſe; quam invidiam declinare maluiſſemus.

Interim cum crebris ſolicitationibus ad haec publicanda ſtimularemur, rem ulterius differre noluimus, bene memores, facilius eſſe aliorum labores reprehendere, quam meliora exhibere.

Neceſſitas et utilitas rei omnino exigit, ut omnia fideliter et vere exponantur, quae in morbo ſalutaria aut noxia fuerint, inque illorum commemoratione nemo, uti ſpero, dicere ſuſtinebit, nos modeſtiae terminos egreſſos eſſe. Hoc tantum agimus, ut rem medicam, quantum in nobis eſt, adiuvemus; eſtque, quod ſperemus, exiguos noſtros conatus publico non ingratos fore.

Caeterum in pluribus quoque *Europae* regionibus *dyſenteriam* hoc anno invaluiſſe, novellae publicae nuntiarunt; nil vero certi de eius Epidemia nobis conſtat, quod ad uſum communem proferre poſſemus.

In *Tranſiſalanam* etiam terram, & inprimis in civitatem *Campenſem* illam luem magno impetu irrupiſſe, fama et literis accepimus. Et quamquam amplior eius relatio nobis deſit, tamen infra, quantum de ea comperire potuimus, exponemus. Harum enim obſervationum inter ſe inſtituta collatione ſemper aliquid lucis rebus noſtris affundetur.

HI-

HISTORIA MEDICA
DE
DYSENTERIA BILIOSO-CONTAGIOSA,
QUAE
Anno 1736. Neomagi eique vicinis quibusdam pagis
EPIDEMICE GRASSATA FUIT.

CAPUT I.
Exhibens Relationem hiſtoricam Dyſenteriae bilioſo-contagioſae &c.

§. 1.

DUm *hiſtoriam Dyſenteriae epidemicae*, quam hoc anno haud exigua incolarum calamitate hic locorum toleravimus, deſcribere adgredior, meus non eſt ſcopus, de dyſenteria in genere eiusque variis ſpeciebus integrum contexere tractatum; hoc enim centies ab aliis factum, centiesque recoctum eſt. Sed tantummodo et unice ad illam dyſenteriae ſpeciem me convertam, quam *bilioſo-contagioſam* adpellavi, et quae ab aliis dyſenteriae ſpeciebus, nimirum ſanguinea, caſtrenſi, alba, mucoſa, &c. quoad ſymptomata quaedam eſſen-

eſſentialia non parum diſtincta et diverſa fuit, ut mox clarius patebit.

§. II.

Eius vero *Schema* ſequenti modo ſeſe ſiſtebat: Initio *Aprilis*, et per totum ſequentem menſem *Maium*, magis vero *Junium*, inter adultos aeque ac inter impuberes et parvulos ſatis frequentes erant diarrhœae biliofae, vomitibus ac doloribus in abdomine levioribus comitatae; nihil tamen malignae luis in receſſu habere videbantur, utpote quae neque contagioſae, neque rebelles erant, lenioribus corrigentibus ac laxantibus facillime cedentes.

§. III.

Cum vero *numerus aegrotorum ſolito maior* fieret, cepi tandem ſuſpicari et vereri, ne malum quoddam violentius, dyſentericum, ſucceſſu temporis inſequeretur, ſolicitudinemque hanc meam cum aliis communicavi, neque vanam illam fuiſſe, ſubſequentis menſis *Julii* eventus docuit.

§. IV.

Circa *initium huius menſis*, tractabam aegram febre anomala per dies quatuordecim aut plures laborantem, quae febris tandem terminabatur in diarrhœam cum magnis doloribus inteſtinorum, eamque pro dyſenteria potius, quam pro diarrhœa critica, habuiſſem, niſi *excrementa bilioſa*, valdeque fœtentia, ac nihil ſanguinis exhibentia ab illa ſuſpicione mentem avertiſſent.

§. V.

Deinde vero die *decimo ſeptimo* eiusdem *Julii* advocor ad *Decurionem* equeſtris militiae, virum iuvenem ac robuſtum, qui in platea, de Paul ſtraet dicta, habitabat. Hunc iam per octo vel decem dies *continuo alvi fluxu* laborare, eique a cohortis Medico fruſtra medicinam fieri, ab adſtantibus refertur, Aeger quidem viribus valde exhauſtus iacebat, adpetitu vero nondum plane proſtrato, nec ſitis, nec febris notabilis aderat, nec de alio incommodo, niſi de alvi fluxu valde frequenti et dolenti, querebatur. Nihil ego de *Dyſenteria vera* in hoc ſubiecto adhuc ſuſpicatus praeſcripſi ea, quibus diarrhœam auſcultare hactenus exper-

expertus fueram, ſed itidem omnia incaſſum. Cum vero malum augeri potius, quam imminui, deprehenderem, ut *excrementa* luſtrarentur, poſtremo iuſſi; quo facto adparuit, illa fuiſſe *cruenta* ac *ſanioſa*. Triſte hoc mihi exſtitit majoris mali forte ſecuturi praeludium. Interim ſtatim ea medicamenta, quæ morbo dyſenterico ſanguineo opponere alias ſolitus eram, præſcripſi quidem, omniaque, quæ pro temporis et circumſtantiarum ratione ſalutaria mihi videbantur, adplicanda curavi, ſed nullo levamine; morbus potius ſemper abibat in deterius, vires minuebantur, pulſus ſenſim deficiebat, frigebant extrema, accedebat ſingultus, et *vigeſimo quinto huius menſis* mente ſana placida mors inſequebatur.

VI.

Hic *omnium primus* fuit aegrotus, quem *vera dyſenteria* hoc anno in hac civitate correptum fuiſſe novimus. In ea vero ſtatim *ſingularia* quædam, tam quoad *ſymptomata* morbi, quam quoad *curam* & *medicamentorum* effectum obſervavi, quæ dein in hoc fatali morbo maximæ utilitati ægris meis fuerunt. Didici enim hunc morbum non ſolum a dyſenteria vulgari ſanguinea, alba, mucoſa, &c. notabilem indolis ſuæ diverſitatem exhibere, ſed & ejus curam ſolito difficiliorem eſſe; ideoque mature putavi *cauſam* eius *procatarcticam* propius examinandam, eique alio modo aliisque remediis, cum ſtudio excogitandis, obviam eundum eſſe.

§. VII.

In *illa* vero *platea*, ne dicam in *illa ipſa domo*, in qua moriebatur modo dictus æger, & quæ verſus meridionalem civitatis tractum extenditur, *omnem noſtram calamitatem* natam fuiſſe, aut ſaltem primo loco ſe manifeſtaſſe, ex ſequentibus patebit.

§. VIII.

Non enim multo poſt & quidem in *fine* eiusdem menſis *Julii*, & in *principio*, magis vero jam *medio Auguſti* ſenſim ſenſimque ad dextram æque ac ad ſiniſtram modo dictæ plateæ partem, in plateas eidem vicinas ſeſe diffudit malum; nimirum in plateas que Boream ſpectant *de Kruitberg*, *de Nieuſtraet*, *de Bxuurſtraet*

adpellant; in plateas vero verſus Auſtrum jacentes, quæ *de Koningſtraet, de Siekenſtraet de Meulenſtraet* audiunt, morbumque hunc minime benignum, ſed malignum & *contagioſum* eſſe, nunc ſatis aperte docebamur.

§. IX.

In modo dictis plateis, quarum quaſi *centrum* erat *de Paulſtraet*. morbus hic etiam vsque ad *declinationem* menſis *Auguſti* fere vnice adhuc ſubſtitit, adeo quidem, ut licet jam menſis elapſus eſſet, ex quo illius naturam iam perſpectam haberem, & quidem in aegris compluribus, Medici tamen quidam adhuc acriter pugnarent, non eſſe *Dyſenteriam* in civitate, ſed tantum diarrhœam ſimplicem: forſan quia aut nullum ſanguinem, aut non multum ſanguinis excerni videbant; alii *fluxum* tantum *hepaticum* eſſe adfirmabant; num bene vel male iudicaverint, euentus deinde evicit.

§. X.

Verum enim vero malum in dies magis magisque adcreſcens *in fine menſis Auguſti* et quaſi gradatim porro de platea in plateam diſperſum eſt, inprimis vero in meridionalem civitatis partem, ibique etiam plateas, quas *de 'e gelbaan, de Svvaenegas, de Bloemerſtraet. de Reguliersſtraet* dicunt, corripuit. Jam etiam in aliis civitatis partibus, hinc inde, ſed admodum ſparſim unus vel alter æger dyſentericus offendebatur, ſed cum morbi genius adhuc multum lateret, alio morbo illos extinctos fuiſſe, fama ferebat.

§. XI.

Tandem circa *initium menſis Septembris* per uniuerſam ciuitatem morbi progreſſum ſentiebamus, nullaque urbis pars ab illo plane immunis erat, ut nunc de *malo epidemico graſſante* nemo amplius dubitare poſſet.

§. XII.

Eſt vero non ſolum ſingularis conſiderationis hæc obſeruatio, quod morbus hic in ſui principio *non ſimul et ſemel per totam civitatem* graſſatus ſit, & quod *ejus veſtigia* preſſo quaſi pede legere & ſequi potuerimus; ſed & hoc notatu admodum dignum eſt, quod huc usque *ſolis noſtris muris* incluſus fuerit. Neminem enim extra pomœria noſtra haec lues ad hoc tempus adflixit, at ſola noſtra civitas ab ea tacta fuit.

§. XIII.

§. XIII.

Jam vero *procedente menſe Septembri* in dies *incrementa ſumens* latiusque vires ſuas explicans, etiam in confines nobis *pagos* contagium tranſiit, et quidem per homines, qui urbem fre. quentaverant. Itaque ab eo tempore omnium primus mali rabiem ſenſit pagus ſeptentrionem verſus proxime Neomagum ſitus, quem Hees adpellamus. Porro ſenſim proxime nobis adiacentibus vicis, nimirum *Weurd*, *Beuningen*, *Hadert*, *Groesbeck*, *Ubbergen*, *Beeck* &c. aliisque illis adpoſitis virus ſe inſinuavit. Eadem tempeſtate, vel potius paululum tardius *Vahalim* tranſiens contagium vicinos nobis vicos *Lenth*, *Elst*, *Bemmel*, *Gent*, &c. dictos, adflauit, vt nunc multi ab eo tum rure, tum in civitate decumberent.

§. XIV.

Hoc tempore, *medio nempe Septembri*, nundinæ annuæ ſeu *Encænia* apud nos celebrabantur: qua occaſione ingens multitudo inprimis rure habitantium in urbem, morbi metu poſito, confluebat. Per hanc mortalium frequentiam, parum opportuno tempore convenientium, *mali fines non parum propagati ſunt*, nam aduenae infectas domos intrantes, cum ægrotorum, tum ſimul ipſius morbi commercium, contraxere, eaque via in ſua rura transmiſere; ita ut ab hoc tempore circumiacentes vicos idem malum vehementius adfligeret, multique paucorum dierum aut horarum lætitiam vitæ iactura penſarent.

§. XV.

Notabile huius rei habuimus exemplum in *puero*, qui *Cliuiae* ſcholam frequentabat. Hunc pater ob nundinarum ferias huc arceſſivit. Accidit vero, ut brevi poſt ejus adventum ſoror ejus dyſenteria corriperetur; quo facto pater quidem puerum ſtatim eo remiſit, unde venerat, poſt aliquot autem dierum intervallum ibidem itidem dyſenteria decubuit, et feliciter cum ſorore e morbo evaſit. Noui quoque *tabellarium* e vicinia Bommeliae ad Moſellam, *Maes Bommel*, ad me hoc tempore miſſum, ut peteret conſilium ad præſeruandum et curandum morbum dyſentericum, ſi forte illis locis adpropinquaret. Iſte tabellarius domum infectam, in qua ancilla dyſenteria decumbebat, frequentavit, ſecumque hinc ad ſuos infelici modo transtulit contagium,

ex quo & ipſe & alii eiusdem vici incolæ obierunt. Talia exempla multa, ſi neceſſitas exigeret, adducere poſſemus, praeſertim quorundam *militum*, aliorumque hominum, qui hinc *Graviam*, *Arenacum*, *Emericum* atque aliorſum profecti, ibidem hoc morbo correpti, eodemque vel extincti fuerunt, vel etiam ex eo convaluerunt, aliosque hac lue ibidem infecerunt.

§. XVI.

Itaque circa *medium Septembris ſuam* ἀκμὴν morbus attingebat, numerusque aegrorum vndique tam rure quam in civitate ſatis notabilis erat, vt omni labori ferendo aegrisque inviſendis vix ſufficerent Medici.

§. XVII.

In hoc *ſummo ſuo vigore a medio Septembris* ad *vigeſimum ſextum Octobris* usque perſiſtebat lues, & non paucos omnis conditionis homines e medio tollebat; *ſub finem* vero *Octobris* paulatim declinare, neque tot homines ab eadem infeſtari, magno ſane omnium noſtrorum civium ſolatio, laetique obſervavimus.

§. XVIII.

Reticendum autem hic non eſt, quod morbus in *eadem quaſi vrbis regione*; ubi *initium ſuum* ſumſit, per omne graſſationis tempus, *etiam vehementiſſimus* extiterit, virusque ſuum non ſolum ſemper circa meridionalem & ſeptentrionalem urbis poſitum magis expanderit, ſed & majorem ibi ſtragem fecerit, quam in oppoſita civitatis parte: plures enim ibi ſæpius in una domo decumbebant ægri, quam in integra platea boreali reperiebantur.

§. XIX.

In ſupra memoratis itaque plateis auſtralibus et ſeptentrionalibus maximus ægrorum numerus per totum morbi decurſum extitit, adeo quidem, ut praeprimis in platea de Siekenſtraet vix una aut altera domus a contagio libera maneret, ac haec platea ipſo nomine & omine de Siekenſtraet, ſeu ægrorum platea adpellaretur. In aliis contra civitatis partibus, vix unus aut alter inueniebatur æger, neque tamen hic omni ſuſpicione commercii cum infectis vacabat. Quo ergo propius verſus Boream, aut ſi mavis, flumen noſtrum Vahalim poſitae erant domus, eo pauciores in plateis decumbebant ægri, ſic quidem, ut in plateis flumi-

flumini proximis, quas de Laegemarkt, de Steenſtraet, de Meeshouwersſtraet adpellant, pauciſſimi, & vix unus aut alter in quavis platea ægrotaret, quamvis duæ poſteriores plateae numeroſa plebe quam maxime abundent.

§. XX.

Illud vero *morbi decrementum*, de quo ſupra §. XVII. adhuc magis elucebat ſub *initium* menſis *Nouembris*; abhinc enim in dies pauciores ægri & rariora funera conſpiciebantur; & circa *medium*, vel ſi mauis, *ſub finem menſis Decembris* per ſummam Numinis gratiam *morbus* per totam civitatem tandem plane ceſſabat.

§. XXI.

Omnium enim *poſtremus*, quem ſcio & ad quem vocabar, iſta lue aegrotantem, fuit famulus, qui a domino ſuo, iam ex hoc adfectu paucis ante diebus mortuo, per contagium eundem morbum contraxerat; hic die quarto Decembris decubuit, ſed idem, dum ruſticorum more, omnia fere reſpuebat auxilia atque remedia, *die vigeſimo tertio eiusdem menſis* exſtinctus, cumque eo malum finitum eſt, totaque civitas ex atroci hoc vulnere convaluit.

§. XXII.

Itaque hic morbus per *integros quinque menſes* hic graſſatus, multas familias magno luctu, nec leviore calamitate adflixit. Rumor quidem in *fine menſis Decembris* dicebat rure adhuc in nonnullis vicis propinquis morbi veſtigia reperiri, ſed certi quid de eo compertum non habeo.

§. XXIII.

In vico autem *Gent*, *menſe Januario Anni* 1737. aliquot aegros pauperes vera dyſenteria tactos, ac ea extinctos eſſe, nobis a Viris fide dignis, ibi habitantibus, nuntiatum eſt.

§. XXIV.

Toto deinde menſe *Januario*, immo ipſo *Februario* & *Martio* complures adhuc alvi fluore & lubricitate correptos tractavi, & quidem ſæpius plures in una eademque domo, immo ipſo *menſe Aprili*, quatuor ægri in iisdem ædibus diarrhœa fere ſimul adfligebantur, in quibus unus erat, qui excrementa cruenta dyſen-

tericis ſimillima deponebat; brevi tamen omnes, quotquot habui, facillima methodo, infra indicata, convalverunt, utpote *vera dyſenteria* minime laborantes.

§. XXV.

Hic autem ſilentio prætereundum non eſt, non omnes, qui toto illo luis tempore aliquem alvi fluxum patiebantur, *Dyſenteria vera* laboraſſe; *diarrhœæ* enim leviores, quas *dyſenteriodes*, ſi placet, adpellere poteris; morbum dyſentericum non ſolum ſemper intercurrebant, ſed etiam adhuc vigebant, nec dum ceſſabant, ceſſante jam Dyſenteria.

§. XXVI.

Fuerunt etiam adhuc illis menſibus, qui cum *reliquiis* & *ſequelis Dyſenteriæ*, quam per autumnum paſſi erant, etiamnum conflictabantur, vel quia ante minus ſalubri fuerunt corporis diſpoſitione, vel quia morbus non bene fuit ſanatus. Inde rumor quidem ſemper fovebatur, ac ſi Medici adhuc ægros ex Dyſenteria laborantes haberent; non vero fluxus dyſentericus, ſed potius *cœliacus* vel *lientericus*, pro ratione ſubjectorum, nunc dicendus fuerat, qui iſtos premeret, veluti ejusmodi ægri mihi tractandi huc usque obvenerunt, iique hinc eo lentius ſanabiles erant, quo diutius languidum corpus traxerant, antequam curæ legitimæ committerentur.

§. XXVII.

Porro ulterius ipſo *vere*, cum jam ſiccior & calidior aër oriretur, dein menſibus æſtivis, magis vero autumnalibus usque ad finem *menſis Octobris* hinc inde complures adhuc inventi ſunt, qui *frequenti alvi fluxu* laborabant, & quorum ſemper aliqui excrementa mucoſa, ſtriis ſanguineis mixta, deponebant, paucis vero diebus omnes cum ſanitate in gratiam redibant, nihilque contagioſi ſuberat.

§. XXVIII.

Ut vero ad noſtrum *morbum* vere *dyſentericum* redeamus, illius *indoles hiſtorica* ſequenti modo ſe habebat: non omnes aequali modo adflixit; ſed quot hic morbus ſubjecta corripuit, tot fere diverſa ægrotantium ſchemata exstiterunt. *Duplex* tamen præcipue conſideratio inſtitui debet, dum vel *malignius* vel paulo *mitius* homines malo infeſtabantur.

§. XXIX.

§. XXIX.

Quos *malignius* malum infeſtavit, illi vel prægreſſis per aliquot dies *flatibus*, *borborygmis*, *doloribus* abdominis levioribus, *alvi ſegnitie* &c. vel etiam absque præviis illis incommodis ſubito corripiebantur *alvi profluvio* admodum frequenti.

Accedebat ſtatim ſub initium mali, *faſtidium ciborum*, *nauſea*, *conatus vomendi*, immo *vomitus actualis*, una cum magna *virium proſtratione*.

Maxime vero ægrotos angebant *cardialgia* ſumma, *dolores*, *torſiones* & *cruciatus inteſtinorum* graviſſimi, utpote moleſtiſſima morbi ſymptomata.

Feces per alvum ejectæ, in initio feces *cereviſiæ colore* æquabant *flavæ* aut potius *ſubrufæ* erant, ſed ſenſim aut fiebant *porraceæ*, *æruginoſæ*, aut *ſubcruentæ*, *ſpumido-ulceroſæ*, loturæ carnis ſubturbidæ haud abſimiles, & paulo poſt, *tunicæ* interioris villoſæ *abraſiones* referebant.

Ut plurimum tamen parumper una vice ejiciebatur, immo *irritus* ſæpe totus fuit excernendi *conatus*.

Quidam ſucceſſu temporis interdum *corpuſcula carnoſa*, *carunculas* & quaſi *glandulas* parvas, ut & integra ſæpius *fragmenta tunicæ* interioris & *membranæ inteſtinorum* abraſæ, excrementis cruentis & purulentis mixta depoſuerunt, quæ integra & ſolida exierunt.

Ad hæc *præternaturalia* quædam, ex gr. *pinguia* corpora inſtar *lardi ſciſſi*, aliaque *glutinoſa concreta* per inferiora vel ſuperiora ejecta fuiſſe, vidi.

A quibusdam *Lientericorum* more, cibus, potus, medicamenta, omniaque ingeſta, cruda, non mutata, ejiciebantur, & quam primum guttam liquidi adſumſerant ægroti, ſtatim alui fluxus cum moleſtia eos urgebat; inteſtina adeo laxa & relaxata erant, ut canalium mortuorum inſtar, nihil retinerent.

Foetor ut plurimum aderat putridus, cadaveroſus, intolerabilis.

Materia per *vomitum* ejecta in aliis a fecibus aluinis parum differebat, adeo ut illam excrementa aluina fuiſſe crederes, niſi quod rariſſime ſanguine tincta fuerit.

In

In non paucis jam primo, ſecundo, vel tertio die percipiebatur *ſingultus*; plurimi vero paucis ante mortem diebus eodem corripiebantur.

In aliis, ſtatim in principio morbi, *Lipothymiæ* erant frequentes.

Febris in aliis ſatis notabilis, in aliis vero vel plane nulla, vel quæ vix percipi poterat, hæc ſymptomata comitabatur.

Pulſus in initio a naturali vix diſtabat, ſenſim vero & ſæpius jam tertio vel quarto die *intermittebat*; in quibusdam autem plane *deficiebat*. Tunc quoque *extrema frigebant*; interdum etiam aliquot ante mortem diebus pulſus & calor naturalis redibant, ſenſim vero plane iterum evaneſcebant.

Lingua erat arida;

Sitis urgebat & angebat ægros, ut potum ad palati gratiam excogitare vix poſſent.

Agrypniæ & *vigiliæ* continuæ maxime quoque fatigabant ipſos.

Urina plerumque plane erat ſuppreſſa, ut intra ſex, octo, decem aut quatuordecim dies vix guttam emitterent;

In aliis vero ſtatim cum morbi adſultu aderat *ſtranguria* moleſta; urina rubella ſedimentum ex luteo cineritium deponebat.

Teneſmus vix tolerabilis complures excruciabat.

In aliis *ani procidentia* ſequebatur.

Purpura rubra in fine morbi non raro conſpiciebatur.

Rarius vero *aphthæ* accedebant.

Alii *puſtulis rubris* in cute variegati adparebant, quæ in ſuppurationem abibant.

Virginem vero nobilem vidi *maculis* & *tuberculis duris nigris*, quaſi *carbunculis vere peſtilentialibus*, per totum corpus ſparſis, defœdatam, quæ in ſphacelum lethalem terminabantur, ut rumor eſſet; illam peſte extinctam fuiſſe, quam tamen opinionem nunquam non oppugnavi.

In pauciſſimis *ſubſultus tendinum*, aut *convulſiones*, modo totius corporis, modo ſolius abdominis obſervabantur.

Deliria quoque, ſed tantummodo leviſſima, in moribundis notavimus.

Horum

Horum *oculi torvum* tuebantur, & *vultus diſtractus* erat, nec eodem loco manere, ſed peregre abire volebant.

Sub his modo compluribus, modo paucioribus, ſymptomatibus, magis magisque *invaleſcebat alvi profluvium*, & ex ſpumido - purulento fiebat *ichoroſo - colliquativum cadaveroſum*, ſenſim ſenſimque magis inſenſibiliter, ut ita dicam, effluens, ac ægri intra *primam* vel *ſecundam periodum ſeptenariam*, viribus plane exhauſtis, *facie Hippocratica*, ut plurimum mentis ſatis adhuc compotes & cacaturientes, placide moriebantur.

Nonnullos *intra tres* vel *quatuor dies* ita mortuos vidi.

Mente vix concipi & credi poteſt, quanta *liquidorum humorum copia* in hoc morbo per inteſtina depoſita ſit. Totum fere corpus in liquidum ſolvebatur, & per inteſtina expurgabatur, ægrique tanta macie conficiebantur, ut nil niſi ſceleta ſine ullo ſucco adparerent.

§. XXX.

Talis fuit triſtis hujusce morbi facies, in quo ſummum ægri periculum incurrebant, & quidem hoc certius, quo gravius decumbebant. Hoc nobis fere *univerſale* fuit *axioma* & *prognoſticon*; *quo* enim *magis inopinato morbus aliquem invadebat, & quo gravioribus ſymptomatibus*, vomitu nempe, cardialgia, lipothymia, virium proſtratione, febre acuta, &c. *ſtatim in principio ſtipatus* fuit, *eo gravius* etiam *adfligebat*, *ac eo citius*, *intra tres*, *quatuor*, *aut ſex dies ad finem*, *ut plurimum lethalem properabat*; & contra hoc levior & benignior morbus evadebat, ubi ſymptomata erant mitiora, & functiones animales magis ſibi conſtabant.

§. XXXI.

In illis itaque, qui *mitiori* gradu adfligebantur, *ſimplex* quaſi, ſed fere *continua alvi lubricitas* aderat, & *excrementa* primo *flavedine* aut *viriditate* aliqua *bilioſa* plus minus tincta, dein *cruentata* magis & *ſpumida*, *tanquam albumine* ovi mixta,

& ſenſim velut *ulceroſa* evadebant, ac in dies magis magisque cum impetu profluebant; alii merum *mucum album* ſtriis ſanguinis tinctum, mittebant.

Alii *ſanguinem* purum, ſincerum, ſatis notabili quantitate dejiciebant.

Excrementorum fœtor non adeo intolerabilis, immo in quibusdam feces fere ſine omni odore erant.

Faſtidium ciborum, *&* *nauſea* non adeo multa; in aliis *adpetitus* ſatis bene ſibi conſtabat.

Tormina & *cruciatus inteſtinorum* non adeo erant ſenſibiles, immo nonnulli plane iis carebant;

Nec hos *præcordiorum axietates* multum vexabant.

Somnus & *vires* ipſos non ita relinquebant.

Pulſus in aliis, & præprimis in illis, ubi morbus in longum protrahebatur, motum febrilem leviorem indicabat, certam tamen periodum *febris* non ſervabat; quandoque *ſchema tertianæ anomalæ* ludere videbatur.

In his ſudor facilius ſequebatur.

Defluvium alvi cum reliquis ſymptomatibus ſenſim iterum minuebatur, fecibusque ad naturalem conditionem redeuntibus, ægri vel paucorum, ſex, octo, decem, vel plurium, quindecim, viginti &c. dierum ſpatio convaleſcebant.

§. XXXII.

Generatim porro in hoc morbo ſequentia notanda duximus; homines quidam per dies aliquot, antequam morbo infeſtabantur, *flatus* & *borborygmos abdominis* ſe audiviſſe quidem, ſed vix ſenſiſſe referebant; alii vero *flatibus* vehementer vexabantur.

Aliis ante morbi invaſionem *alvus* erat ſolito *adſtrictior*.

Deinde bonum fuit indicium in iis, qui *bilem flavam*, & adhuc magis, qui *bilem viridem*, quocunque morbi tempore, in primis ſtatim in *principio*, vel ſponte, vel medicamento exhibito, vomitu vel dejectionibus alvinis, excernebant; hoc ipſo ſæpius omnis propemodum mali fomes quaſi una vice auferebatur;

&

& quo citius hæc evacuatio fiebat, eo certius ægri convaleſcebant.

Sanguinis ſinceri excretio per alvum non erat morbi ſymptoma eſſentiale & ſimpliciter pathognomonicum, neque tam mali ominis; ii enim, qui multum ſanguinis per alvum fundebant, quod tamen perpaucis evenit, minus periculoſe laborarunt, quam ii, quorum feces parum ſinceri ſanguinis ſecum efferebant, ſed ſolummodo album ſpumeum mucum viſcoſum velut intermixtis ſanguinolentis ſtriis; hi namque vehementiora abdominis tormina ſentiebant, crebrius alvum ponebant, & virium majorem jacturam patiebantur.

Peſſimus fuit *fluor alvi colliquativus*, *purulento-cadaveroſus.*

Quidam homo valde robuſtus *uvas paſſas majores* integras cum reliquis fecibus ejecerat; quas octiduo ante morbum comederat.

Vomitus cruentus peſſimus erat: hominem tamen robuſtum, propinato vomitorio, multum ſanguinis puri reiicientem, brevi reſtitutum vidi; hic vero vomitus cruentus ipſi jam ſæpius familiaris fuit, ob lapſum, ut putabat, ex equo factum.

Malignus & *lethalis* fuit *vomitus*, ſi materia fœtida purulenta, vel alia excrementis ſimilia ejiciebantur; inteſtina enim jam putrefacta, eorumque liquidum in ventriculum depoſitum eſſe, eo oſtendebatur.

Non omnem morbi adſultum comitabatur *febris*. Quo gravius enim malo laborabant ægri, & quo citius inde jugulabantur, hoc mitior ſæpius febris ex pulſu dijudicari poterat, & defectu potius quam exceſſu ut plurimum errabat pulſus.

Non erat malum ſignum, quibus *dies tertius* moleſtior & gravior adparebat, hi enim certius emergebant, morbo diutius, interdum per tres pluresve ſeptimanas, protracto.

Criſin aliquam morbus in eo monſtrabat, quod ii, qui inde moriebantur, maximam partem die quarto, initio ſeptimi, vel noni, decimo quarto aliisque diebus judicatoriis exſpirabant, in-

iis autem, qui e malo reſtituti ſunt, dierum criticorum ordo ſervabatur.

Convulſiones ſemper mortis prodromi erant.

Singultus incipiente morbo non adeo funeſtus, ſed lumbricorum ſæpius in ventriculo ſtabulantium ſignum erat, at in ſtatu morbi ſuperveniens fatalem ſemper eventum indicabat.

Anxietates præcordiorum ſuſpectæ, & latentis putrefactionis, immo inſtantis ſphaceli erant ſignum.

Pulſus parvus, debilis, vacillans, malum omen;

Pulſus vero *inæqualis*, inordinatus, altero momento celerrimus, altero lentiſſimus, erat pulſus morientis, & quo ſimilior modo dictis indiciis deprehendebatur, hoc periculoſior erat conditio ægri.

Pulſus vero quocunque tempore *intermittens & deficiens*, gangrænæ in inteſtinis jam factæ & inſtantis mortis infallibile ſignum mihi ſemper extitit, neminemque novi, qui cum tali pulſu evaſerit, ſed omnes, quotquot ſimilem exhibuerunt, intra paucos dies obierunt. Licet enim pulſus per intervalla ad ſtatum naturalem rediret, & per aliquot dies adhuc regularis exiſteret, ægerque melius ſe habere videretur, nihil tamen eo levabatur, immo poſt aliquot dies certo extinguebatur, Medicumque in cautum non parum fefellit: proinde eidem neceſſe erat, ut quam diligentiſſime & patientiſſime per longum tempus pulſum exploraret, deque illo prudenter judicaret, ne imprudentiæ notam incurreret, nec ſalutem inſtante morte promitteret.

Nullus hic *Uromantiæ* & *Uroſcopiæ* erat uſus; omnia enim, quæ ex urinis ſumebantur *prognoſtica*, incertiſſima erant; præterea in aliis interdum per totum morbum plane deficiebat urina, ob ejus ſuppreſſionem & ſedium numerum, ut ne quidem inſpici potuerit.

Dolorum remiſſio manente fluxu fœtido, ichoroſo, fecium ſine ſenſu emiſſione, pulſu debili, &c. malum ſignum erat, quod brevi mors inſecuta eſt.

Lingua

Lingua arida, ſive ea in principio, ſive in fine mali areſcebat, ceteris paribus, non tam malum erat omen, liquida tantum expoſcebat.

Purpura rubra in fine morbi ancipitis erat eventus ſymptoma, vix enim unquam ægri levamen inde percipiebant, licet rite ſuccedente purpura.

Aphthæ vero ſemper funeſti exitus præſagium erant.

Quibus in fine morbi *puſtulæ* & furunculi erumpebant, illi, his rite ſuppurantibus, bonum nacti ſunt exitum.

Stranguria & *Dyſuria* in fine morbi pejoris ominis, quam initio erant, ubi plerumque nil mali portendebant; neque etiam in fine morbi multum mali ex unico hoc ſymptomate metuendum erat, reliquis bonis exiſtentibus.

Tenesmus plus moleſtiæ, ſed minus periculi adferebat, & melior fuit, quam ſi inſcio ægroto ſortes effluebant.

Multi ægrotorum *lumbricos* vel per ſuperiora, vel inferiora, reddebant, nullo malo præſagio.

Magna virium proſtratio, *animi deliquia*, *cardialgia*, *conſtans deglutiendi difficultas*, *viſus obſcuritas*, *inquietudo*, *mentis alienatio*, ut ſi ſedibus ſuis exulare deberent, *deliria levia*, *floccorum collectio*, *extrema* valde *frigida*, *oculi* inſinigter *cavi*, prout in facie Hippocratica deſcribuntur, periculoſa, plerumque lethalia erant indicia.

Ramenta inteſtinorum abraſa, *caruntulæ* & *ſolidæ membranarum partes* ſi excernebantur, funeſtus erat ſtatus.

Non deerant *crepitus ventris*, quos absque fecibus emiſſos aliqui pro bono habuerunt ſigno, ſed tamen nihil certi inde colligi poterat.

Sudoris ſpontanei ſucceſſus bonum præſtabat effectum, arte vero excitatus, ſperato hoc ſucceſſu utplurimum deſtituebatur; nec eidem ob alvi fluxum, uti oporteret, operam dare poterant ægri.

Nec hoc omittendum eſt, me in tanto numero adflictorum ne unicum de *capitis dolore* conquerentem audiviſſe.

§. XXXIII.

Omnis ætatis & *ſexus* homines immo ipſos *infantes lactantes*, matre ſana exiſtente, morbus hic adortus eſt, magis vero *laxioris*, *ſpongioſioris* & *repleti*, quam ſtrictioris & ſiccioris habitus corpora, inprimis vero *ſexum ſequiorem* infeſtavit, ſiquidem plures feminæ quam mares ab eo correptæ ſunt, ita ut quibusdam *mulierum morbus* adpellaretur.

Menſium fluxus morbo ſuperveniens nil mali portendebat, dummodo periodum & ſucceſſum legitimum ſervabat; extra periodum vero prorumpens malum magis adgravabat.

Gravidis & *puerperis* plerumque periculoſus extitit hic alvi fluxus ſecundum Hippocratis Aphoriſmum 34. Sect. V. *Mulieri in uterro gerenti, ſi alvus multum fluxerit, periculum ne abortiat.* Et porro Sect. III. Aphoriſm. 31. *mulierem gravidam morbo quodam acuto corripi, lethale.*

Ita quoque aliæ ſtatim ſub mali initium, alii vero ſuperato jam morbo, aliquot ſeptimanas poſt, abortum patiebantur, quandoque triſti cum eventu: multæ tamen etiam, immo, quod notandum, plurimæ dyſenteria ægrotantium apud nos fœtum ad juſtum parturiendi tempus retinuerunt.

Sic inter complures gravidas, quas tractavi, duas tantum offendi feminas, quæ ſexto circiter graviditatis menſe fœtus, vivos licet, brevi tamen poſtea morientes, abortierunt: harum altera feliciter evaſit, altera, quæ in morbi recidivam incidit; & ſub hac partum enixa eſt, diem obiit ſupremum.

In alia ſub ipſa dyſenteria, qua graviſſime decumbebat, *partus terminus* incidit, matre fœtuque eluctantibus, immo optime lactante & lactente, contra obſervationem illorum, ubi *puerpera dyſenterica* infantem lactaverat, unde idem terribili modo convulſus interiit; aut ubi parvi *catuli* ubera puerperæ dyſente-

rieæ

ficæ ſugentes, diarrhœa ac vomitu correpti ac mortui ſunt, ac ſi *cholera* laboraſſent.

Infantes & ſenes, item *debiliores*, *valetudinarii*, qui viſcera fortia non habebant, vel aliis morbis debilitati; e. g. *Venereo morbo* fatigati, *cachectici*, *phthiſici*, aut quibus *in viſceribus* hærebat *labes* &c. maximo periculo expoſiti erant, morbique violentiæ minus reſiſtere poterant, quam robuſta & ſana corpora; quamvis & *infantes* tractaverim *lactantes*, quibus parum medicamentorum, & hæc non niſi per ubera matris ſanæ propinari poterant, qui tamen eluctati ſunt.

§. XXXIV.

Tandem adhuc notandum eſt, morbum, qui in *plebe* primo ſe manifeſtavit, & ex illa plures morti dedit, ſenſim etiam ad *lautioris conditionis* homines & divites tranſiiſſe.

Deinde & hoc ſingulare videtur, morbum in principio graſſationis ſuæ jam ſatis acutum & lethalem, in ſui decremento maligniorem fere evaſiſſe, violentioribusque ſtipatum fuiſſe ſymptomatibus, id quod ſane contra vulgarem contagioſorum morborum indolem eveniſſe videtur.

§. XXXV.

Poſtremo & hoc ſilentio prætereundum non eſt, *nationem Gallicam* ab hoc morbo fere immunem manſiſſe, e qua duo tantum viri annoſi eodem correpti ſunt ac occubuerunt.

Judæi vero omnes, a vera dyſenteria, quantum comperire potui, plane immunes extiterunt, & ne unicus quidem ex iis cum hac lue conflictatus eſt:

Adeoque & hic loci confirmata obſervatio, quæ jam in aliis morbis contagioſis vera fuit, nempe, *unam nationem ab iis magis adfligi quam alteram.*

§. XXXVI.

Morbo minus bene ſuperato, aut methodo incongrua tractato alii *leucophlegmatia* & *tumoribus pedum œdematoſis* adficieban-

bantur, quæ tamen ſymptomata adhibitis congruis remediis facile cedebant.

In quibusdam morbus degenerabat in *lienteriam* multo labore ſanabilem.

Alii, quidem antea *valetudinarii*, ſuperata dyſenteria per aliquot adhuc ſeptimanas, multum *chyli albi*, qni a pulte farinacea haud aberrabat, cum fecibus naturalibus mixti, vel poſt eas dejiciebant.

In aliis, in quibus morbus in longum tempus fuit protractus, in *ulcus* quaſi *cancroſum* terminabatur, ex quo per multas hebdomadas, decumbentes tandem interibant.

Alii aliquot menſes ita adfecti, immo per totam hiemem cum *alvo laxa* conflictati vitam trahebant, viribus aliquantum adhuc valentibus.

Multi de *debilitate* & de *frigore ventriculi*, de *abdomine male adfecto* & *dolente*, quo vix ferre poſſent adpenſas veſtes ſeu tunicas, ut & de *flatibus* conquerebantur.

Aliii dyſenteriam paſſi *famem* fere inſatiabilem inde reportabant.

In *recidivam* valde periculoſam incidebant, qui morbi curam negligentes ſe nimis cito ſanatos putabant, fomite mali non ſatis expurgato.

Sic inter alios tractavi gravidam, quæ, uti modo ſupra enarravi, ſeſe jam reſtitutam credens, *medicamenta* præſcripta ulterius *reſpuit*, ſub *ſpecioſo graviditatis prætextu*, brevi tamen poſt in eundem morbum recidit, & ſimul abortum ſex menſium paſſa, ipſa progrediente dyſenteria, die decimo quarto mortua eſt.

Puer alius, quem parentes *ſine medicamentis ſanatum* putaverant, poſt duas hebdomadas in idem incidit malum, eoque extinctus eſt.

Eundem recidivæ adſultum paſſi ſunt, qui feſtinato nimis *libero aëri* ſeſe expoſuerunt.

§. XXXVII.

Tandem & hoc ſilentio non eſt prætereundum, omni illo tempore quo dyſenteria graſſabatur, *omnes alios morbos*, excepta diarrhœa & uno vel altero varioloſo, fere plane *ceſſaſſe*, pauciſſimosque novi, qui alio, quam hoc ipſo morbo contagioſo lecto adfixi decubuerint; quod phænomenon cum alii in peſte etiam obſervaverint, illorum ſententiæ accedere non dubito, qui ſtatuunt, alios morbos tempore luis contagioſæ larvam epidemice graſſantis mali ſæpius induere, ſeu in eam abire. Et hæc mihi ratio videtur, cur in quibusdam dyſenteria ægrotantibus ſe ſpecies febris tertianæ manifeſtavit, dum ægroti tertio quoque die gravius laborarunt. Subjecta enim morboſa, ſeu homines minus bene diſpoſiti, contagio facilius expoſiti ſunt.

§ XXXVIII.

Ultimo, *contagioſum* hunc *morbum* fuiſſe; inde adparebat, quod, cum domus ſemel infecta eſſet, plures vulgo eodem ſucceſſive corriperentur, qui modo gravius modo levius conflictabantur. Vidi enim integras familias, in quibus ne unicus ab hoc malo immunis manebat. Vidi alias, in quibus pauci adfligebantur. Vidi etiam alias, in quibus unicus tantum a morbo hoc infeſtabatur, ceteri omnes liberi manebant.

§. XXXIX.

Contagium vero hoc intra corpus receptum *non adeo violentum* fuit, ut adſtantes ſtatim proſterneret; hoc enim raro accidit, alios vero non niſi poſt aliquot dies, immo poſt unam alteramve ſeptimanam morbus invadebat. Per longum tempus enim virus hoc in corpore latere poterat, antequam ſe prodebat, viresque ſuas exſerebat, ut ægri ſæpe ignorarent, quo tempore, quave occaſione malo adflati fuerint. Unum etiam ſubjectum præ altero ad hunc vel illum morbi fomitem magis diſpoſitum eſt.

§. XL.

Deinde miaſma hoc contagioſum non eandem obtinuit violentiam in omnibus, nec omnia corpora ab eo adfecta, pari malignitate contagioſa, reſpectu aliorum, imbuta fuerunt; in nonnullis potius ædibus periculoſior erat morbi conditio magisque inficiens, quam in aliis, qui et in his plures, in aliis pauciores interemit; itaque alter altero citius aut lentius inficiebatur, et gravius laborabat, *prout a quopiam contagium contraxit*, qui aut facile *ſanatus* fuit, aut illa luc *interiit*: plures enim ab iis, quorum morbus exitialis fuit, infecti ſunt, quam ab aliis, qui a morbo convaluerunt: gravius etiam adfligebantur, & curatu erant difficiliores, qui a moribundis, quam qui a convaleſcentibus infecti ſunt. In his enim exhalationes minus putridæ et venenoſæ fuerunt, & inquinamentum morbificum benignius, quam in illis, quorum morbus lethalis extitit; nam in extinctis venenum humores in ſummam corruptionis & putredinis ἀκμὴν perducit, qui hanc ob cauſam viciſſim exhalationes lethales emittunt, aliorumque hominum humoribus acrius diſſolutionis ſtimulum imprimunt; ex qua re etiam analogia inter hunc et alios morbos contagioſos animadvertere datur.

§. XLI.

Facillime morbo corripiebantur, quorum erat ægrotis et morituris opem ferre, inprimis vero, qui eis repurgandis; et *excrementis* auferendis, manum admoverant, aut uſurpata linteamina laverant, eaque præſtiterant, quæ cum gravi *excrementorum fœtore* coniuncta fuerant, hinc in *famulos* & *famulas* facile morbus tranſibat, qui & plurimum periculoſiſſime luctabantur.

§. XLII.

Et hæc *generalis huius morbi* eſt *hiſtoria*, ex qua ejus *natura* et *indoles ſpecifica* Medico ſatis patebit, quamque mox ulterius enucleabimus.

Nunc

Nunc tantum maioris illuſtrationis gratia unum aut alterum lethalis aut ſalutaris eventus *exemplum* adducam.

Ita *femina* 25. circiter annos nata, habitus ſucculenti, die 25. Octobris ſubito *ſumma cardialgia*, *lipothymiis*, *vomitibus continuis materiæ feculentæ*, *putridæ* veluti, correpta fuit. *Feces* hæ *per ſuperiora* excretæ ſimiles erant illis, quæ per inferiora magna quoque quantitate ſimul ejiciebantur. Die ſecundo fere *ſyncoptica* facta, die morbi tertio iam *pulſum intermittentem* ſiſtebat, qui die quarto plane *deficiebat*; *facies* mortem propinquam ſignificabat; *algebat* per totum corpus, & ſub *continuis his ſymptomatibus* absque ulla fere remiſſione aut medicamentorum levamine die octavo expiravit.

Alius *juvenis* 20. annorum, macilentus, valetudinarius, die primo Novembris dyſenteria adflictus fuit, continua fere cum *cardialgia*, *nauſea*, ac *doloribus inteſtinorum* valde *acutis*, die ſecundo iam multum *materiæ* quaſi *purulentæ liquidæ* dejiciebat; die tertio *pulſus intermittebat*, & die quarto plane *ceſſabat*, cum inſequente *frigore extremorum*, immo totius corporis. Redibat quidem die quinto & ſexto ſenſim pulſus & calor naturalis; & die ſeptimo etiam cardialgia, nauſea, dolores in abdomine & deiectiones alvinæ pauliſper minuebantur, ut ægrum melius ſe habere crederent adſtantes: patiensque idem adfirmabat; at audiebatur hoc ipſo, & inſequente die octavo interdum *ſingultus*, inopinatoque inter ſermones præſentium die nono placide expiravit æger, cum nihil minus quam ejus mortem expectarent domeſtici.

Alius *vir* tricenarius, in cuius ædibus jam quatuor homines ſucceſſive dyſenteria laboraverant, convaluerantque, mihi obvius factus eſt in platea, die 23. Sept. ſub veſperam. Is quintus, ut & pater familias, hilari mente lætabatur, ſe huc uſque liberum manſiſſe; ſed inſequenti nocte *dyſenteria* cum *vomitu* adeo vehementer eum inceſſit, ut *viribus* maxime *proſtratis* ſtatim lecto adfigeretur, & altero mane crederes, eundem iam

 per

per menſem decubuiſſe. Adeo vehemens inſultus initio me ſollicitum habuit, at evacuata multa bile flava ac viridi, dyſenteria cum reliquis ſymptomatibus intra biduum ceſſavit, ac patiens brevi plenarie reſtitutus eſt.

Alia *femina* octogenaria ſana ſibi viſa die undecimo Octobris e templo rediens circa horam nonam matutinam ex improviſo *vomitibus* ac *dejectionibus alvinis*, *bilioſo feculentis*, adeo frequentibus, coniunctis modo *lipothymiis*, modo *convulſionibus* intercurrentibus, corripiebatur, vt circa horam undecimam nocturnam iam per ſemihoram pro vere mortua haberetur; rediit tamen ſenſim ad ſe, & ceſſantibus ſucceſſive modo dictis malis, intra biduum faucibus mortis erepta eſt.

§. XLIII.

Hoc modo poſſem multa exempla dyſentericorum adlegare; at, cum vix duo ægri indicari queant, qui in omnibus circumſtantiis plane conveniſſent, contra alter ſemper altero periculoſioribus ſymptomatibus laboravit, non video, qualem utilitatem talis labor allaturus ſit, ſiquidem Medicus ex prioribus per ſe decernere valet, quo in ſtatu ſuus verſetur æger; ideoque hæc ſufficere jubentes, ad ipſam morbi *cauſam*, ejusque inquiſitionem tranſibimus.

CAPUT II.

Continens cauſas Dyſenteriæ bilioſo-contagioſæ.

§. I.

NIl pulchrius ſane, ſed & nil difficilius eſt in Medicina, quam *Phyſicas morborum cauſas* cognoſcere, easque per rationes evidentes demonſtrare. Tot ſæpe & tam varia hic concurrunt ſymptomata, tot diverſi effectus, ut in oſtendenda & indicanda *vera cauſa reali* non raro acutiſſimi hæreant Medici,

ci,

ci; diverſasque in partes abeant. Si unquam peccatur in *fallacia cauſæ pro non cauſa*, ut Philoſophi loquuntur, certe illud in hoc articulo in Medicorum ſcriptis offendimus, ut inde *conjecturalem* potius, quam *rationalem* artem noſtram declarandi occaſionem nacti ſint inimici.

§. II.

Et certe me nunc opus adgredi longe difficillimum, is demum facile intelligit, qui me *de cauſis hujus morbi epidemico-contagioſi* commentaturum videbit. Illi potius Medici, ſi non acuti & accurate loquentes, ſatis tamen ſibi ſapientes videntur, qui ab aliis de cauſa hujus mali rogati in promptu habent reſpondere, hoc *ab aeris infectione*, & *venenoſitate*, ut ſic dicam, dependere; quo quidem nihil dicentes, nec ipſi cognoſcentes, ſibi tamen ignorantique vulgo optime ſatisfeciſſe habentur.

§. III.

Si vero hanc rem accuratius inſpiciamus, negligentiâ maxime culpanda notandi ſunt tales artis magiſtri, ubi in re tam magni ponderis circa generaliora & incerta tantummodo cum ignorante plebe ſubſiſtunt, nec in propiorem & *ſpecificam* cauſarum *rationem* inquirunt, præſertim in caſu, ubi illas ipſas cauſas omnibus viribus oppugnare, & oppoſitis remediis tollere, tota Medici verſatur ars & ſcientia. Contra umbram tales pugnant Medici, qui hanc noſtræ artis partem negligunt, nec ipſi, quid faciant, aut quid faciendum ſit intelligunt.

§. IV.

Hic error ſatis nobis liquet, omnesque eruditi facile mecum conſentient, tam brevem tamque *obſcuram morborum Epidemicorum Aetiologiam*, qua omnis cauſa modo ſimpliciter in aerem rejicitur, ſegnes facere Medicos, eosque levare labore inſtituendi juſtas & rationales morborum obſervationes. Verum enim vero ex altera parte liberrime fateor, *me mihimet ipſi in noſtro caſu non plane ſatisfacere*, ac propemodum dubium

 hæ-

hærere, num certius aut melius quid in medium prolaturus ſim, quidquid etiam laboris in hanc rem indagandam impenderim.

§. V.

Si quis enim ex me quæſiturus eſſet, quænam *Cauſa procatarctica* ſit, unde *morbus ille Epidemico - contagioſus, dyſentericus*, certo tantummodo tempore ortus & graſſatus ſit? ſane & ipſe certam quoque aeris qualitatem cauſari cogerer; at ſi ulterius urgeas, *quænam & qualis* proprie *hæc certa aeris qualitas & conditio* ſit, quæ certis temporibus ac tempeſtatibus, menſibus nimirum æſtivis & autumnalibus hanc luem vulgo producere apta ſit? mox infra oſtendere cogar, nec dum circa hoc inter Medicos convenire, ſed varias ac diverſas aeris conſtitutiones & mutationes ab illis allegari.

§. VI.

Ubi autem tandem quis roget, quænam porro ſit *materia illa phyſicæ morboſa*, aut in quo proprie peculiaris ejus qualitas conſiſtat, ut certo tempore, aut ſi mavis a certa aeris mutatione ſemel nata, atque uni adplicata homini, aliis deinde ſeſe communicet, ac per *contagium* totam civitatem, regionemve inficiat? tunc ſtatim in limine cum omnibus Medicis cordatis ingenue fateri non erubeſco, *non imaginabilem*, *nec dum explicabilem* adhuc illam extitiſſe; vera enim & ſpecifica illius indoles neque a prioribus Medicis ſatis cognita & perſpecta fuit, neque nobis adhuc ſatis patet.

§. VII.

His præmiſſis mihi facile objici poſſet, plane ſupervacaneum, immo ineptum quid, me ſuſcepiſſe, qui rem inquirere atque demonſtrare adgredi velim, de qua tamen in anteceſſum faſſus fuerim, *neminem unquam mortalium id feciſſe, nec quemquam præſtare poſſe*; quæ objectio, quamvis non plane abſurda, nos tamen non prorſus deterrebit, quo minus aliquem laborem ten-

tentandi gratia ſuſcipiamus ac experiamur, quo usque pervenire poſſint ingenii noſtri vires, & quinam porro *artis limites* nobis in ejusmodi perquiſitione poſiti ſint; quod, ſi ea attentione atque ἀκρίβεια fiat, qua par eſt, & rei ipſius gravitas poſtulat, illa opera non plane inutiliter erit collocata, verum in perveſtigatione morbi ulteriori tantum lucis adfundet, ut ea in praxi clinica bono cum fructu uti poſſimus.

§. VIII.

Et quoniam iſthoc ipſum experientiæ ope ſummo cum ſucceſſu ita expertus ſum, rem rationibus & experimentis adeo luculentis eo usque exhaurire ac demonſtrare ſatagam, ut cauſas in noſtro morbo eatenus clare concipere poſſimus, quatenus pro eisdem poſſint haberi, neque cogamur, ſine rationali pathologico nexu & conſiliorum rationibus ſufficientibus, ex fortunæ arbitrio, patientes tractare.

§. IX.

Adnumerantur autem generatim morbis *contagioſe*, vel ſi mavis, *epidemice* graſſantibus, *peſtilentia*, *febres catarrhales*, *petechiales*, *variolæ*, *morbilli*, *dyſenteria*, aliique, quorum omnium culpa confeſtim in aerem transfertur; verum etiam illi omnes & ſinguli quam maxime inter ſe differunt, dum quilibet eorum non ſolummodo ſpecialia ſymptomata & ſigna ſiſtit, ſed etiam intimiorem cognitionem, tam ratione theoriæ, quam ratione praxeos poſtulat, quænam nimirum Cauſa methodusque ſpecifica in cognitione & adplicatione remediorum, tamquam antidotorum, ad hos diverſos morbos cuilibet conveniat.

§. X.

Hæc morborum *Epidemico-contagioſorum* adeo notabilis inter ſe *diverſitas* in indaganda illorum cauſa vera, non ſola eſt difficultas; maxima adhuc in eo verſatur, quod *quilibet talis morbus*, quotiescunque in genere *ſemet ſiſtit*, *toties diverſum* a ſe

ſe invicem *habitum induat*, ac in ſua ſpecie adpareat mutatus, diverſus, immo priori malo epidemico contrarius; idque in tantum, ut non ſolum uno tempore periculoſior, atque adeo curatu difficilior exiſtat, quam alio, ſed &, quod pro varia, immo priori malo contraria indole, etiam aliam & ſæpe contrariam medendi viam expoſcat.

§. XI.

Hujus rei admodum notabile exemplum habuimus in *dyſenteria*, quæ nos hoc tempore adflixit, quamque *Illioſo- contagioſam* adpellavi, ad differentiam illarum, quæ ſanguinolentæ, albæ, mucoſæ, &c. audire conſueverunt. Falluntur enim, et fallunt ſeſe Medici, qui noſtram dyſenteriam ſanguineam, albam, griſeam, &c. fuiſſe ſtatuerunt, cum bilioſa potius materia hic peccaverit. Inde accidit, ut indoles hujus ab aliis dyſenteriis adeo diverſa, Medicisque adeo fallax videretur, ut, qui ad hanc rem animum non attenderent, nimis ſero animadverterent, ſe a ſcopo multum aberraſſe.

§. XII.

Cauſas vero *phyſicas mali dyſenterici*, uti generaliter in omni, ſic etiam in ſpecie, noſtra in dyſenteria Medici quærunt ſequentes:

(I.) In *certa* quadam *aeris diſpoſitione*; alii enim aerem ſimplicem, nimis ſiccum & intenſe fervidum, æſtuoſum; alii aeris fervidi cum humiditate nebuloſa & flatibus auſtrinis conjuncti temperiem; alii ſubitas, frequentes & notabiles incipiente autumno æſtus & frigoris viciſſitudines & mutationes incuſant. Quidam a *corporum cæleſtium* variis motibus & influentiis, itemque a *phaſibus Lunæ* cauſam derivant. Creduli infeſtum *aeris inquinamentum*, cœlitus demiſſum, aeremque ipſum corruptum, venenatumque eſſe venditant.

(II.) Alii cauſam dyſenteriæ deducunt ab *externa ſublunarium effluviorum putredine*, exempl. gr. ab exhalationibus ex aqua

aqua ſtagnante putrida, ſeu *lacunis*, aliisque rebus putreſcentibus; alii *evaporationes terrenas venenatasque, & ſalis volatilis corroſivi, ex terræ antris ſublimati*, ſpicula excogitant, illas Cauſis mali dyſenterici adnumerantes.

(III.) Alii dicunt, *morbum* eſſe *plebis*, a malo vitæ regimine obortum, & hinc modo *fructus horaeos*, cucumeres, melones, pira, pruna, omnisque generis nuces, mala perſica, uvas, &c. ut & *potulentorum fermenteſcentium* ingurgitationem, modo vero frequentem uſum *ſeri lactis* accusant.

(IV.) Adhuc alii alias ſingulares cauſas arceſſunt: nempe *aquas* per *canales plumbeos* defluentes, *eſum carnis ſuillæ*, ſi ea comeſta homines ſtatim bibant; nonnulli *aquam frigidam*, *vermes* & alia, quæ otioſa ingenia excogitare ſolent.

§. XIII.

Cum vero *dyſenteriæ*, generaliori nomine acceptæ, *Cauſa* eſſe poſſit omne id, quod adſumtum inflamationem, corruptionem & ſuppurationem in ventriculo & in inteſtinis eorumque ſuccis promovet, e. gr. omne fermentum, eſculentum vel potulentum, omne acre, ſtimulans, corrodens, evacuans, omnia peregrina cauſtica, omnia malæ nutritionis ingeſta, &c. hæc tamen pro caſibus tantummodo peculiaribus benignioris dyſenteriæ *ſporadicæ*, vel potius diarrhœæ haberi debent, non vero conſtituunt morbum *contagioſum* epidemice graſſantem, quod *criterium eſt veræ dyſenteriæ*, qualis hic deſæviit; hinc in iis cauſis ſingulariter diſcutiendis non diu moraturus, eos primarie tangam caſus, qui tanquam præcipui, & Medicorum attentione digni habentur.

§. XIV.

Antequam autem ad diſcuſſionem harum *Cauſarum ſecundarum* tranſeamus, ante omnia adſcendendum eſt ad *primam*, quam principalem, agentem, moventem, ſeu ſi placet, *Metaphyſicam* cauſæ phyſicæ adpellamus. Non enim ſolum omnes morbi juſtæ ſunt peccatorum noſtrorum pœnæ, adeo quidem

naturales, phyſicæ, &, ut ita dicam, indiſpenſabiles, ut hominibus contra regulas naturæ inſitas vix peccare liceat, quin gravius aut levius inde, etiam phyſice, puniantur, & verum ſemper apud nos evadat proverbium: *per quod quis peccat, per idem punitur & idem*: ſed & præterea homines morbis puniuntur, ubi nullam, vel ſaltem certam, & veram cauſam in phyſicis demonſtrare vix poſſumus. In his caſibus *Deus* utitur *morbis* tanquam *flagello extraordinario*, quo invaleſcentem prævaricationum numerum alicujus urbis aut regionis peculiari & gravi modo vindicare, & ſimul mortales a peccatorum erroribus revocare, aut eorum incrementum ſufflaminare nititur. Ita a *Syracide* cap. XXXVIII. vers. 15. pulchre dicitur: *qui in Creatorem ſuum peccat, incidet in Medici manus*; & Cl. *Diemerbrœkius* cauſam calamitatis ſui temporis declarare volens, eam ſequentibus exprimit verbis: „ prima „ & primaria cauſa eſt juſtiſſima ſummi Dei ira, quam turpiſſimæ „ ac deterrimæ exhalationes, e ſtagnis fœdisque peccatorum no„ ſtrorum cloacis ſurſum elatæ, provocarunt & incenderunt.

§. XV.

Hanc quoque cauſam *caſtigationis divinæ* penes nos obtinuiſſe, & pro primaria habendam fuiſſe, dum noſtra civitas præ aliis tam ſingularem ultionis gravitatem experta eſt, a multis probe agnitum & publice declaratum eſt, nec a quoquam, cui ſincera & ſana mens erit, in dubium vocabitur. Exemplum modo capiant alii, ſibi mitiora non imminere, quam quæ nos tempore adflictionis pertulimus & in memoriam ſibi revocent ſalutarem exhortationem *Salvatoris* noſtri ad Judæos Luc. XIII. *Sed vos, niſi ad frugem redieritis, omnes ſimiliter peribitis.*

§. XVI.

Quod vero ad *Cauſas ſecundas*, & primo ad *aërem* attinet, Medicorum quidem fere omnium ſententia eo vergit, & non ſolum confeſtim *omnium morborum Epidemico-contagioſorum*, ſed & in ſpecie *dyſenteriæ* graſſantis culpam, uti jam dictum eſt, in aërem transferre velint, ob ratioem, quod plures ſimul adfligun-

tur;

tur; ſed ſi porro quæritur, quomodo *aer ille diſpoſitus* & comparatus ſit, aut qualis eius *conſtitutio ſpecifica* adeſſe debeat, ut adeo *ſpecificum effectum* exſerere & ſpecifice *morbum contagioſum certi generis* excitare potens ſit? ſupra jam vidimus, de hac re non omnium eandem eſſe ſententiam, & ipſam non adeo apertam, aut extra controverſiæ aleam poſitam eſſe, Microſcopiorum enim noſtrorum nondum ea eſt claritas, ut eorum ope cujusvis aeris mutati figuram ſpecificam, aut ſpicula illa morbifica, in aere ſuppoſititie volitantia, oculis ſubiicere queamus: potius rationis humanæ infirmitas ubique patet, ſi omnium illorum eventuum rationes phyſicas ſemper in aere quærere velimus.

§. XVII.

Experientia enim magiſtra jam abunde edocti ſumus, quod, quotquot fuerint *Meteorologi*, qui quovis die aeris in *termometro* & *barometro* effectus, eius calores & frigus, gravitatem & levitatem, ventorum ſtationes, humiditatis & ſiccitatis viciſſitudines, tonitrua, grandines, &c. adnotaverunt, ac per complures annos continuaverunt, ne unicam tamen regulam inde evenire & ſtabilire potuerint, qua certo liqueat, aut quisquam a priori prædicere valeat, ex hac vel illa aeris diſpoſitione, aut tempeſtatum mutatione ſpecifica hunc vel illum morbum ſimplicem ſolummodo in genere, multo minus alium epidemicum aut contagioſum malignum, certa & neceſſaria conſequentia phyſica ortum fuiſſe, aut unquam certo oriturum eſſe, quæ tamen omnia prius probanda, & firmis rationibus & experimentis ſtabilienda eſſent, ſi iisdem inniti poſſemus.

§. XVIII.

In hanc rem libenter quidem *obſervationes Meteorologicas* ad annum noſtrum in curioſorum gratiam addidiſſem, num forte quosdam dyſentericos aeris atomos in iis detegere potuiſſent alii; ſed quia illorum conſtitutionum obſervationes ipſe non inſtitueram, nec iisdem per alios potiri potui, curioſi hujus rei easdem ab aliis notatas alibi invenire poterunt. At vix credo, quem-

quam ex iis demonſtraturum fore, aerem noſtrum corruptioni dyſentericæ magis obnoxium fuiſſe quam alibi.

§. XIX.

Nimis longum foret, cujuſvis opinionem circa hanc rem ſingulatim recenſere & ſub examen vocare; plerique tamen in hoc conſentiunt, ut *dyſenteriæ ſtatutum anni tempus* adſignent, nempe æſtatis finem & autumni initium; hinc cauſam hujus morbi è calore diurno & frigidioribus noctibus ſemet invicem excipientibus petunt: unde tamen & alii porro ex eo contendunt & concludunt, dyſenteriam quovis anni tempore, tam hieme, vere, quam æſtate & autumno poſſe oriri, ſi modo tempeſtatis conditio ad id conſpiret, nimirum ſi ab intenſo calore ſubita mutatio in frigus fiat. Verum enim vero & hæc opinio haud nititur immoto fundamento, cum dyſenteriæ longe frequentiores & univerſaliores eſſe debeant, ſi modo dictas tempeſtatum viciſſitudines pro directa ſua Cauſa phyſica agnoſcerent; ſed & e contrario vidimus hunc morbum etiam ſe manifeſtare eo tempore, quo tales aeris mutationes neque prægreſſæ fuerunt, neque adhuc dum deprehendebantur. Deficiente vero cauſa fieri nequit, ut ejus ſequatur effectus.

§. XX.

Cum porro videamus, dyſenteriam plerumque & ordinarie *calidiſſimo æſtatis tempore* ac ſæpiſſime etiam jam menſe *Junio* & *Julio* oriri, eundemque morbum eodem tempore in pluribus locis, etiam longe a ſe inuicem diſſitis, ſimul ſæpe inveniri, ipſumque in regionibus calidioribus crebrius occurrere, quam in frigidioribus, prout in primis ab illis, qui in *Indiam Orientalem* abierunt, edocemur, advenas ob calores ibidem continuos & ferventiſſimos a malo dyſenterico facilius corripi quam inquilinos, quia peregrini ejusmodi calori vehementiori adſueti non ſunt; porro cum experimur, ipſum hunc morbum tempore calidiore ortum, ſuccedente frigidiore tempeſtate vulgo ſeneſcere, inde tandem concludendum mihi videtur, *calido* & *ſicco aeri* inſueto

ſueto diuturno in producenda ejusmodi morboſa corruptione in noſtris corporibus non omnem vim negandam, ſed ipſi omnino inter cauſas externas, inſignem effectum tribuendum eſſe; Siquidem hoc ipſo noſtræ graſſationis tempore calidam quidem, at non ferventiſſimam habuimus æſtatem, iisdemque menſibus, prout relationes publicæ nuntiarunt, dyſenteria *agrum Campenſem*, *Ducatum Juliacenſem*, *Montanum*, *Coloniam*, aliasque Germaniæ regiones, plus minus adflixit.

§. XXI.

Attamen manet adhuc *nodus inſolubilis*, quod non ſolum multæ fuerint æſtates, in quibus longe major, quam hoc anno, fuerit calor, nec tamen *Dyſenteria Epidemica* vel *contagioſa* inde ſuborta ſit; ſed & quare dyſenteria hic loci, & in prædictis regionibus nata ſit, & omnes fere reliquæ per tantum intervallum interiacentes urbes & vici incolumes manſerint, ut ne veſtigium ejus ibidem deprehenderetur? cum tamen aerem intermedium, in primis in regionibus ſub uno climate ſitis, communem & vix magis ſalubrem, aut intenſius calidum, fervidumue, uno quam altero loco fuiſſe, probabile videatur. Quis enim ex. gr. cogitarer, Emerici, Cliviæ, Graviæ, Tielæ, Arnhemiæ, &c. calidiorem, frigidioremue extitiſſe aerem, quam qualem nos hic habuimus? Et tamen illæ urbes, nobis ita vicinæ, a morbo tactæ non fuerunt, dum interim nos, medii inter iſta loca, ſoli ab illa lue tentati fuimus; cujusmodi eventus ſingulares & adeo notabiles, ſpecifici, ita crude & nude aeri ſoli, calido, ejusque effectui, ſalubri, vel inſalubri &c. ſtabili cum fundamento vix tribui poterunt, ſed illius adhuc aliæ rationes infra inveſtigandæ venient.

§. XXII.

Dum vero aliquam, non vero omnem, calido aeri hunc morbum producendi tribuimus poteſtatem, omnium minime tamen inde ſequitur, ſententiam eorum firmam ſtare, qui autumant, *aerem* ipſum tempore morbi, ſic contagioſe vel epidemice graſ-

 ſantis,

ſantis, *venenatum*, aut venenum aliquod univerſaliter tunc per aerem diffuſum eſſe; cujus ſententiæ quidam patroni veſpertino tempore apud nos rure redeuntes, ſibi viſi ſunt videre venenatos tales vapores & nebulas urbi noſtræ inpendentes; ad quod meticuloſa imaginatio ſine dubio multum contribuerit.

§. XXIII.

Si enim, cum tam multi ac inter ſe diverſi hinc inde oriantur epidemici & contagioſi morbi, *omne illud venenum* tempore graſſantis cuiusdam morbi, *in aere reſideret*, ex hac hypotheſi porro ſequeretur, in atmoſphæra noſtra fere ſemper volitare modo *venennm morbilloſum*, *varioloſum*, *petechizans*, *pleurizans*, *purpuratum*; *catarrhale*, *dyſentericum*, modo aliud; aeremque noſtrum fere maximam partem debere eſſe venenatum & corruptum. Verum, uti non negamus, ab aere corrupto, & putreſcente, ubi re vera talis exiſtit, multos & graves morbos oriri poſſe, tamen venenum illud contagioſum, quod variis anni tempeſtatibus, aut quod tempore morborum Epidemico-contagioſorum aeri inſinuatum, & quod in eo vagari & volitare putatur, mera ſane, ut doctus quidam Medicus loquitur, videtur eſſe chimæra & feſtinata nimium conjectura illorum, qui *efficaciam qualitatum communium* aeris, ex. gr. ſimplicis caloris ſiccitatis, humiditatis, frigoris, &c. diuturnioris aut intenſioris, extraordinarii, inſueti in noſtra corpora, & in primis notabilem inde *humoribus noſtris inductam mutationem & vitioſam alterationem* non ſatis attente conſiderant, neque perpendunt, quam facile & quam vario modo ex varia & ſimplici aeris illa qualitate humores noſtri blandi alterari & in putredinem converti poſſint.

§. XXIV.

Itaque hoc *noſtra Epidemiæ* tempore *venenum dyſentericum non poterat hærere* aut *divagari* in *aere*, conſiderato, non tantummodo urbem noſtram ſolam laboraſſe, vicinas autem urbes longe lateque circum nos ſanas permanſiſſe, ſed & ne quidem

ab

ab initio morbi, civitas omnibus in partibus ſimul infecta fuit, ſed malum quaſi per gradus certas ſolummodo plateas occupavit, donec ſenſim per infectionem immediatam in ceteras plateas, ac tandem etiam in vicos agrumque proximum translatum fuerit, veluti ſupra in hiſtoria morbi indicatum eſt. Cum vero nec in noſtra urbe, multo minus in uno urbis angulo vel platea diverſum aerem habeamus, quam in alio, exinde manifeſto adparet, aerem, qui univerſalis eſt, & quo nemo viventium carere poteſt, non potuiſſe eſſe venenatum; alioquin, ſi contagium dyſentericum eiusque ſemina in aere quærenda forent, tunc & omnes vel ſaltem plurimi hominum, qui ex illo, hac labe putatitię infecto aere, ſpiritum ducunt, adfici deberent, id quod experientiæ omnino repugnat.

§. XXV.

Neque etiam *phaſes lunæ* aliquem in morbum influxum habuiſſe, ut quidam venditabant, certa obſervatione & experientia colligere potuimus, neque credibile eſt, illas phaſes ad producendos vel augendos morbos Epidemico-contagioſos aptas eſſe, ob rationes contra aeris efficaciam communes & venenoſitatem modo adlatas, ac certo reſpectu huc quoque adplicandas, ut & ob eas, quas infra tamquam magis proximas adlegabimus.

§. XXVI.

Quod opinionem illorum ſpectat, qui ſtatuunt, venennm dyſentericum ex *vaporibus venenatis terrenis*, ex terræ antris ſublimatis, vel *ê rerum externarum putredine* & fœtidiſſimis *colluvionum putridarum exhalationibus* poſſe generari, in primis vero illud apud nos e corruptis vaporibus aquæ pluvialis, quæ in *tribus lacunis* in urbe noſtra collecta adſervatur, in repentinos uſus incendiorum oborientium, &c. ortum traxiſſe, illi adhuc minus veram mali originem eiusque naturam tetigiſſe videntur, ſi non ſolum generatim obſervamus, hanc luem non ſolummodo hic, ſed etiam alibi locorum ſe manifeſtaſſe, ubi tales lacunæ non habentur, aut ibi tales exhalationes, externæ

putridæ,

putridæ, vel alii vapores, venenati habiti, non reperiuntur. Cum contra his in terris ſint urbes, in quibus multæ ſunt aquæ & foſſæ ſtagnantes, & interdum maxime fœtentes, & tamen inde nulla dyſenteria oritur, quæ ex horum ſententia longe frequentior eſſe deberet, ſi illæ aquæ morbi Cauſam procatarcticam conſtituerent. Ut taceam, quod noſtræ lacunæ forte per longum annorum ſpatium in urbe hac extiterunt, & tamen per longum tempus nulla dyſenteria contagioſa hic ſæviit, præter eam, quæ Anno 1702. e caſtris, in agro Clivenſi hærentibus, per milites huc propagata eſt, quæque alii & peregrinæ ſeu exteræ cauſæ ortum ſuum debet, minime vero hic loci nata erat. Proinde, ſi hæ lacunæ hujus mali fontes veri eſſent, dyſenteria certe admodum ſæpe hic graſſari, & ortum ſuum diſtinctius manifeſtare deberet, quam huc usque contigit. Cum hoc jam non liqueat, iſtis lacunis tanti mali cauſam veram tribuere nequimus.

§. XXVII.

Et quod in ſpecie ad illam rationem attinet, dum nonnulli *iisdem lacunis* cauſam mali ideo adſignaſſe videntur, quod una harum lacunarum adiacet plateæ dictæ *de Siekenſtræt*, in qua morbus admodum ſæviit; tamen ſciendum eſt, morbum hunc non ſumſiſſe initium in hac ipſa platea, vel altera huic lacunæ proxima, *de Koningſtraet* dicta, quod tamen oportuiſſet evenire, ſi malum ex lacunæ vicinia ortum traxiſſet, verum in alia platea longius verſus ſeptentrionem ſita, quæ vocatur *de Paulſtræt*, morbi prima ſemina detecta ſunt, & hanc plateam integra ſeries ædificiorum ab illa lacuna ſeparat. Poſtquam vero malum, in platea Paulina ortum, dextrorſum, ſiniſtrorſumque ſe diffuderat, ac inprimis in auſtrinas partes, ubi lacuna jacebat, vehementius graſſabatur; præterea cum illa platea, *de Siekenſtraet*, plena ſit hominum plerumque inopum; quibus vitæ auxilia & commoditates deerant, aliter fieri non potuit, quin ibidem & complures ægrotarent, & morbo conſumerentur; *nullo* autem *jure huic lacunæ Cauſam mali imputari* poſſe cenſeo, in primis etiam, cum

apud

apud reliquas duas lacunas, & ſpeciatim apud eam, quæ ad orientale urbis latus vergit, tantus ægrotorum numerus non fuerit, nec certe major, quam in aliis urbis locis.

§. XXVIII.

Interea non negem, *has lacunas per indirectum multum facere* poſſe ad *propagandum malum*, quanquam directe & proprie morbi cauſa continens non exiſtant, quoniam eiusmodi lacunæ ad varias impuritates occaſiones præbent, dum accolæ multiplices ſordes in easdem conferunt, unde non tantummdo ſpectatu iniucundæ fiunt, ſed etiam re vera putrescentem fœtorem tempeſtate æſtiva emittunt. Inſigniter vero contagium tempore talis morbi per illas lacunas diſſeminari poſſet, ſi *excrementa aegrotorum* illuc aut etiam in plateas) proiiciantur; nam *in his maxime reſident exhalationes exitioſæ*, quæ proxime accedentes adflant, & in morbum præcipitant; ut hinc iſtæ lacunæ proprie urbi non ſint nocivæ, ſed ſordes, tempore morbi graſſantis in eas coniectæ.

§. XXIX.

Inter ſcauſas morbi ſupra §. XII. num. III. una a *mala victus ratione* deducitur, quia hic morbus ordinarie initium ſuum capit inter *plebem* & *pauperes*, magisque ſemper inter illos, quam inter divites, viget. Plebs hinc hic loci admodum irritabatur, cum audiret, malum ab initio ſolummodo per contemtum *pro morbo infimæ hominum feci proprio* haberi; cum vero mox etiam potentiores ac divites eo invaderentur, iique aeque ac viliores morte abriperentur, plebeii homines vindictæ fruitione ſe ſe conſolabantur, & hoc ipſo cauſa etiam illa evanuit. Interim ratione non caret, homines, promiſcuo, viliore ac ſordidiore victu utentes, & aliis ſanitatis conſervandæ commodis deſtitutos, citius & facilius eiusmodi morbo eſſe obnoxios, quam alios, qui ſalubribus ſolummodo eduliis fruuntur, neque aeris iniuriis adeo ſunt expoſiti, quandoquidem & apud nos plures pauperiores in morbum incidebant ac moriebantur, quam alii opulentiores,

qui remedia præſervativa & juvantia neceſſaria mature adhibere poterant; hi enim principiis obſtant, illi contra plerumque ſe negligunt, vel perverſis & contrariis remediis malum augent; Et hæc circumſtantia ſola mihi videtur ſufficiens ratio eſſe, quare vulgus plerumque in eiusmodi morbis plurimum patiatur.

§. XXX.

Quod ad *fructus horæos* in ſpecie attinet, hi non adeo poſſunt accuſari, quandoquidem primo: non ſolum ſingulis annis dysenteriæ non graſſantur, etiamſi fructus horæi & olera abundanter provenerint; verum perſpicue obſervatur, & apud nos etiam ſæpe numero compertum eſt, homines iis fructibus omnino non utentes, immo & infantes lactentes ab hoc morbo corripi, quamvis matres ab iis fructibus plane abſtinuerint. Præterea malum dyſentericum *apud nos jam viguit*, *antequam fructus comedi poterant*. Comeſtio quidem eorum tunc temporis moderata eſſe debet, nam fructuum abuſus apud eos, qui ad morbum jam diſpoſiti ſunt, utique malum promovere, eique ſtimulum addere poteſt. interea verum eſſe nequit, hos fructus morbi contagioſe graſſantis *Cauſam continentem* aut *veram procatarcticam* exiſtere, aut in iis latere poſſe, quotidiana refragante experientia; ſed ſolummodo, ſi quis fructus comederit, & dyſenteria dein laborare cœperit, pro nuda *Cauſa occaſionali* per individua haberi poteſt, idque eo magis, cum complures apud nos noverim, qui illos fructus, inprimis vero uvas, ſine ullo ſanitatis diſpendio quotidie & copioſe ederunt. Promiſcue enim homines, ſive fructus horæos comederint, ſive ab iis ſibi temperaverint, contagium apud nos invaſit; nec ulla in his diſtinctio notanda fuit.

§. XXXI.

Quod dixi de fructibus, idem etiam obtinere puto in *carne ſuilla*, aliaque re ingeſta, quibus quidam originem mali dyſenterici perperam tribuere volunt. Nam quamquam comeſta caro ſuilla per individua & certis circumſtantiis aliquam *dyſenteriæ ſporadicæ*, *ſolitariæ*, ſpeciem excitare poteſt, illa tamen non

extem-

extemplo eſt *morbus epidemico-contagioſus*, *malignus*, qui integram urbem vel regionem malo inficiat, benigna potius & parum metuenda eſt talis dyſenteria, proinde nec in veris noſtræ luis cauſis reponi poteſt.

§. XXXII.

Hic ſilentio prætereundum non eſt, etiam *metum* & *terrorem* cauſis dyſenteriæ adnumeratum fuiſſe. Et revera non raro videmus, per ſolos animi motus omnes effectus morboſos in corpore humano oriri poſſe, quos Medici aliis quoque cauſis phyſicis adſcribere ſolent. Si enim ex. gr. homo ſanus ſubito terrore percellatur, maxima ſtatim oritur mutatio in eius ſtatu naturali, omnia præter modum perturbantur, confunduntur, & ſtatus plane præternaturalis exoritur. Jam ſi forte intus aliquod malum vel venenum morboſum latuit, hoc ſimul ſtatim in actum promovetur, adaugetur, & illum excitat morbum, ad quem homo jam diſpoſitus erat; licet itaque imaginatio, terror, metus, aliaque animi pathemata, talem effectum edere queant, qualem in morbo videmus, proprie tamen, mea ſententia, nunquam per ſe & ita ſimpliciter morbum *contagioſum* producere poſſunt. Sed ſi ille occaſione terroris, metus, &c. oritur, ſemper licet ſuſpicari, ante aut poſt terrorem contagii commercium præceſſiſſe, & corpore jam ad ſtatum illum morboſum diſpoſito, materiam peccantem per terrorem in actum deductam fuiſſe. Sic *complures homines apud nos* putabant, ſe *metu correptos fuiſſe dyſenteria*: illi vero omnes quos vidi, non vacabant ſuſpicione, ad ipſos ſimul penetraſſe halitus quosdam contagioſos, ut hinc ſine omni contactus externo ipſos iſtum morbum contraxiſſe non credibile videatur; nam tempore graſſantis luis vix omne commercium inter ſanos & infectos evitari poteſt, quo fit, ut facile contagium etiam per eos, qui ſani adparebant, ad propius accedentes tranſire poſſit. Interea a leviori infectione natura facilius ad ſanitatem redire valeret, ſi modo aliquis nimis meticuloſus non ſit, ſed ſi terror & metus accedat, *ex*

minimo fit maximum malum, cui Medicus ſæpe minus mederi poteſt, quam ipſi ſimplici malo; ſiquidem timidis & meticuloſis citius fatale quid accidit, quam inperterritis, & *trepidi* etiam minus *valent ad ſuperandum malum*, quam intrepidi. Sic novimus homines, rure in urbem venientes, qui audientes dyſenteriam hic graſſari, tanto metu correpti ſunt, ut confeſtim hinc aufugerent, & eodem malo adflati brevi poſt extinguerentur.

§. XXXIII.

Et licet alii *alias* adhuc morbi noſtri *Cauſas ſingulares* adlegent, quarum ſupra mentio facta eſt, tamen illæ nobis adhuc magis a veritate remotæ videntur. Nam uti modo diximus, proprie quæſtio hic non eſt, quid dyſenteriam in genere excitare poſſit? ſed quid *contagioſe graſſantem dyſenteriam* inferre queat? hinc illas miſſas facientes, propius nos ad ſcopum noſtrum convertimus.

§. XXXIV.

Propior itaque *Cauſa* nobis quærenda erit, ex qua *origo mali contagioſo dyſenterici* derivanda ſit; ea vero non extra nos, ſed *in nobis ipſis* invenietur. Non inepte, etiam phyſico ſenſu, cum propheta *Oſea* cap. III. enunciare poſſumus. *Malum tuum*, homo, *intus* & *in Te* ſeu *a Te* eſt. Sane non ab externa ſublunarium putredine aliaque re extra nos, ſed *in nobis* & ab *interna humorum noſtrorum putreſcentia* naſcitur morbus. Effectus vero atmoſphæræ in noſtra corpora tantummodo eſt occaſionalis, quatenus nimirum unum aut alterum ſubiectum ad hunc morbum ſpecifice diſpoſitum eſt; tunc aer ex. gr. ſimplici ſuo ardore vel ſiccitate diuturna humores noſtros ita ſingulariter ac præternaturaliter alterat & mutat, ut naturaliter blandi nunc abeant in corruptionem ac rem putredinoſam, ac veram inde venenoſam qualitatem induant, corpusque ad ſummum diſſolutionis periculum diſponant, ut brevi tempore omnis motus vitalis deſtruatur.

§. XXXV.

§. XXXV.

Hæc humorum noſtrorum ad diſſolutionem putredinoſam facta actualis mutatio a medicis *malignitas*, ut & *miasma*, *fermentum* &c. *contagioſum*, adpellatur, quod adeo ſpecificum eſt, ut non tantummodo certum genus morbi pro indole & proprietate talium corruptorum humorum producere poſſit, ſed etiam maximum illius malum poſtea in hoc conſiſtit, ut *ſemel natum* dein *potentiam conſequatur ſeſe diffundendi*, ac per contactum aliis ſeſe communicandi.

§. XXXVI.

Hæc vero morboſa materia, & *inquilina acrimonia*, quæ in ſuo principio in homine generatur & naſcitur, & quæ dein ex uno corpore morboſo emiſſum, alii corpori ſano ſimilem mutationem morboſam inducere poteſt, primo quidem, ut Cl. *Diemerbroekius* optime loquitur, *morbi ſoboles* dici poteſt, poſtea vero omnis mali in reliquis fit *præcipua cauſa*, *vera nimirum*, *continens*, *phyſica*, *materialis*, *immediata*; ſoboles, dicit, morbi fuit, quia non exiſtit, niſi poſt morbum prius inductum. Nam qui primus morbo contagioſo, ex. gr. variolis, petechiis, dyſenteria &c. corripitur, morbum per contagium non contraxit, ſed poſt ſemel natum & excitatum morbum, *contagium* demum exortum eſt.

§. XXXVII.

Deinde *morbus contagioſus ſemel ortus non ultra ex aere pendet*, ſed ipſa morbi origo, fomes & contagium, intra corpus humanum natum, nunc ſufficit, ad eum tam late ſpargendum; *aer* tunc *eſt* tantummodo *vehiculum*, contagium illud ſpecificum deferens, uti hoc plerumque in aliis morbis contagioſis etiam obſervari poteſt. Morbi enim contagioſi ſemel nati dein quovis anni tempore graſſari pergunt, nec neceſſe eſt, ut eadem aeris conditio, qua ortum eſt malum, ſemper maneat immutabilis, ſed morbus vim ſuam exercet, licet alia inſurgat cœli conſtitutio.

§. XXXVIII.

Inficiandum tamen non eſt, *aerem* ad *majorem contagioſi morbi progreſſum*, vel etiam ad *diminutionem* eius, in tantum ſymbolum conferre poſſe, quantum eius mutationes ſucceſſu temporis corporibus noſtris magis vel minus noxiæ manent. Sicuti enim atmoſphæræ conditio ſemper eadem manens, in qua malum initio ortum eſt, eius majorem progreſſum facile fovere, immo augere poteſt; ita e contrario alia & contraria interveniens aeris conſtitutio multum facere poteſt ad mali contagioſi faciliorem extirpationem. Sic ex. gr. calor intenſus, diuturnus, ad putrefactionem humorum noſtrorum in dies plus contribuit, eamque promovet; e contrario frigus putrefactioni non ſolummodo potenter reſiſtit, ſed & ejusdem progreſſum maxime ſiſtit. Frigus enim humores coagulat, ut effluvia noxia minus evagari poſſint; præterea regnante frigore converſatio inter homines non adeo frequens eſt, quam calidiore tempeſtate, adeoque contagium eo celerius ſiſti poteſt. Quo enim illud contaginm magis vitatur, eo pauciores inde corripiuntur.

§. XXXIX.

Hoc autem loco notandum eſt, *contagium* iſtud *dyſentericum non ſemper* ac *plane cedere* appropinquanti hiemi & frigori, quæ illud reprimere videntur; verum ejus ſemina & ſpicula morboſa aliquando ſatis diu alicui inhærere, atque adeo latere poſſunt, donec poſtea accedente occaſionali quodam ſtimulo erumpant; ut merito de opinione eorum dubitare liceat, qui, ubi per *aliquot annos continuos* viderunt dyſenteriam alicubi locorum graſſatam eſſe, exiſtimant, *cauſam* continuatæ luis hanc adeſſe: quod nimirum annorum per eam ſeriem conſtitutio eidem morbo epidemice producendo nimium faveat, dum frigus intemperantius aer calidior repente excipiat, vti Cel. *Sydenham* opinatur. Sed ego potius in hanc ſententiam abirem, cauſam huius phænomeni in hoc poſitam eſſe, quod miaſma contagioſum nondum in omnibus ſubjectis plane ſublatum aut extinctum ſit;

ſit ; hinc dato tempore ſe iterum explicat ; cujus rei exempla in aliis contagiis compluria in promptu adſunt. In hac me ſententia plenius confirmat illa conditio mali, quod illi ipſi, qui priorem fovent opinionem, una ſe obſervaſſe fatentur, malo ſenſim ſeneſcente, ſub poſtremis annis non amplius tot homines corripi, nec tam graviter tamque periculoſe laborare, quam in ipſô contagii ortu, quia nimirum hoc paulatim decrevit, tandemque finem attigit.

§. XL.

Hac ratione non ſolum omnis *contagii* origo & progreſſus in genere, ſed etiam *morbi noſtri dyſenterici ætiologia hiſtorica* intellectu facilis videtur. Apud nos rem ita experti ſumus, nec dubito, in aliis quoque morbis contagioſis idem diſci poſſe, dummodo ſatis operæ velimus impendere, ad eos debita cum induſtria explorandos, in quo tamen ab ipſis Medicis non raro negligentia peccatur, ut non ſatis ad rem attendentes illico omnem culpam in cauſas alienas transferant.

§. XLI.

Jam vero mihi quis obiiceret, dicens, ſi non tam aer, quam quidem contagium cauſa princeps fuerit, ob quam hic morbus apud nos tam vehementer ſævierit, qui igitur fiat, ut homines, qui *per complures annos* continuos *decubuerant*, nec ullam conſuetudinem cum infectis hominibus habebant, tamen hic morbus invaſerit ? quod proinde non aliunde, quam ab aeris communis mala diſpoſitione proficiſci queat ? Sed & hoc argumentum ſibi contradicit ; nam quia per adeo longum tempus in apertum aerem non prodiere, is certe in eorum corpora vim ſuam haud ita facile exſerere potuit.

Et quod nullo cum homine verſati fuerint, a quo contagium contrahere potuerint, ejus rei contrarium adparet, quandoquidem vel ipſe eorum *Medicus*, qui ægros infectos tractavit, ſimul ipſos quotidie inviſat, ut ſic ab eo ægri valetudinarii ac debi-

debiles contagium vel hoc facilius excipere potuerint, quo minus eorum corpora veneno reſiſtere valuerint.

§. XLII.

Communicatio enim contagii non ſolum fit immediate, & per contactum corporis morboſi vel excrementorum, ſed etiam mediate per *veſtes* illius ſemen transmittitur.

Si modo *comparationem hujus morbi cum aliis morbis contagioſis*, ex. gr. peſte, variolis, &c. inſtituas, luce meridiana clarius cognoſces, has non ſolum contactu propagari, ſed etiam mali effluvia ſingulatim ab altero ad alterum in veſtibus *circumferri* & transportari; nec ipſum ideo eum, qui veſtes geſtat, ſemper infici.

Præterea, quorum in ædibus apud nos *infecti* erant, ii *ſtatum ſuum* ut plurimum *celabant*, quantum fieri poterat, nec ipſi lectis adfixi a commercio cum aliis abſtinebant, ut nemo ſcire poſſet, num in ſano loco eſſet nec ne? hinc alius morbum facile excipere poterat ab eo, in quem nulla ſuſpicio cadebat.

Medicis porro *domatim ægros inviſentibus* infectæ domus frequentandæ erant, *ipſique ſæpius magis vel minus* cum ipſo malo graſſante conflictaverant.

Et hac via vel adfectus, vel ipſe ſanus, ad alios contagium quaſi per traducem propagavit.

§. XLIII.

Et ſi exempla hunc in finem de eo, quomodo nimirum morbus apud nos per contagium ex uno adfecto in alium tranſierit, adleganda eſſent, facile plura citari poſſent. Sed ejusmodi ſpecialia vix tantum utilitatis, quantum laboris adferunt, quare illis ſuperſedebimus; Rem enim ipſam per ſe ex hiſtoria morbi facili conjectura adſequi & colligere licet, *ut ab uno ægroto integra civitas immo regio poſſit infici.*

§. XLIV.

Cum vero contagio, non autem aeris diſpoſitione hunc mor-

morbum maximam partem diſſeminatum ac propagatum fuiſſe diximus, jam quæſtio eſt, unde *primus apud nos* contagium nactus fuerit? an noſtra in urbe natum ſit malum ab homine, qui nullum commercium habuit cum infecto? an vero peregrinus ex infecto loco veniens illud contagium ad nos attulerit? quum primam aliquam originem ut habeat, neceſſe ſit, antequam ſeſe porro propagare poſſit: id quod dictu erit difficillimum, nec facile fieri poteſt, ut id extra omnem dubitationem determinemus.

§. XLV.

Relatum quidem mihi eſt, *adoleſcentem* quendam die 10. *Julii Amſtelodamo* huc delatum eſſe ægrotum.

Is cum e navi de Vehali domum deportandus eſſet, propter alvi continuum profluvium in domum, in *platea majore* jacentem, ad eam exonerandam illatus eſt.

Poſt paucos autem dies duo in eadem domo homines, pater nempe familias & ancilla, qui eidem latrinæ inſediſſent, ſimiliter diarrhœa correpti ſunt.

Ipſe vero juvenis in platea, de *Bruurſtrat*, eodem morbo die 19. ejusdem menſis obiit.

Ex hoc aliquo modo veroſimile adparet, ac ſi iſte æger malum Amſtelodami huc tranſtulerit.

Quia vero Amſtelodamo non ſatis certus fieri potui, illam luem ibi regnaſſe, pro certo dicere non auſim, num ille adoleſcens vero malo dyſenterico, & an non potius ex *phthiſi* cum *diarrhœa colliquativa*, ut alii volunt, perierit, ideo huic hiſtoriæ non ea fides attribui poteſt, in qua certus adquieſcas.

§. XLVI.

Præter huncce, quantumvis in inveſtigando me multum defatigaverim, alium invenire potui neminem, qui prior dyſenteria correptus fuerit, quam ſupra dictum *decurionem*, qui in platea *Pauli* dicta habitavit; hunc itaque equitem veluti in hiſtoria morbi ſupra Cap. I. §. V. & VI. demonſtratum eſt, *primum*

deſigno, in quo malum detectum, & per quem id porro diſſeminatum eſt; num autem malum in hoc primum natum ſit, an vero illud ab illo juvene, aut ab alio acceperit plane hæreo, maxime, cum experiri mihi non licuerit, ante nominato adoleſcenti cum hoc decurione aliquod commercium interceſſiſſe. Suſpicio quidem aliqua de propagato contagio exinde naſci poſſet, quod *platea paulina*, & *platea Fratrum minorum* dicta in extremo angulo ſibi contiguæ ſint, indubia tamen concluſio ſequi non poteſt.

§. XLVII.

Jam vero quibusdam juxta Cap. I. §. II. - VI. videri poſſet, noſtram *luem dyſentericam conſequens* fuiſſe *diarrhœa antecedentis*, quæ in dyſenteriam abierit.

Verum enim vero *diarrhœa* illæ *dyſenteriodes* nobis viſæ, in ipſo vera dyſenteriæ furore non ſolum ſed & hac jam ceſſante adhuc per multos menſes perdurarunt.

Præterea diarrhœæ illo ipſo tempore etiam alibi locorum graſſatæ ſunt, & tamen easdem nullæ dyſenteriæ exceperunt, ut hinc dyſenteriam ex diarrhœa ortam fuiſſe, pro certo adfirmare nequeam.

Interim, dum dyſenteria apud nos non ſubito & uno impetu, aut ex improviſo nata fuit, in uno aut altero ſubiecto facile fieri potuiſſe haud negare velim, ut adlata occaſione ſpecifica & nobis adhuc dum ignota, humores barioſi, ad illud malum jam aliquo tempore ante tamquam præparati & diſpoſiti, in actum & ad ſummum putredinis & cauſticæ corruptionis gradum deducerentur; & ſic primum initium ad inſecutam luem ſævientem oriretur.

§. XLVIII.

Tandem itaque aliquis interrogaret, quæ & qualis ergo ſit illa *materia phyſica*, quæ ejusmodi effectus tragicos edit, & quæ *contagium dyſentericum* a nobis adpellatur? illi communiter reſpondebitur: eſſe *fermentum* ſpecificum, ſubtiliſſimum, pereg-

regrinum, venenatum, acre, maxime corroſivum, non ſolum humores noſtros in diſſolutionem putredinoſam convertens, ſed & exhalationis ſpecie alios contactu mediato vel immediato inficiens, & ad æqualem corruptionem diſponens.

§. XLIX.

Negandum quidem non eſt, in genere *morbi* cujuscunque *contagioſi* cauſam phyſicam eſſe *fermentum* aliquod *ſpecificum*, quod contactu alios adficiat, id enim omnes morborum horum hiſtoriæ ſatis evincunt. Sed difficultas in eo conſiſtit, cujusnam indolis ſpecificæ ſit illud acre fermenteſcens, quod efficax ſit ad producendum morbum ſuæ ſpeciei, inprimis cum in tam multorum tamque variorum adfectuum contagioſorum diverſitate quilibet morbus *acre* ſui generis *ſpecificum* habere debeat. Etenim non ſolum morbi *Epidemici acuti*, ſupra citati, tale fermentum contagioſum præ ſe ferunt, ſed & morbi quidam *chronici*, quales ſunt omnis generis *ſcabies*, *lues venerea*, *ſcorbutus*, *arthritis*, *phthiſis*, &c. iſtiusmodi quid oſtendunt.

§. L.

Nulla quidem ſpes adfulget, hanc rem a priori perſpiciendi.

Eſt enim *inquinamentum* illud *venenoſum* materia inviſibilis & adeo ſubtilis, ut non ſolummodo omnia humanorum ſenſuum organa effugiat, ſed & ſimul adeo ſpeciali immo ſpecifico charactere imbutum, & inter ſe invicem diſtinctum & diverſum eſt, ut eius natura a nullo Medicorum huc usque cognoſci aut deſcribi potuerit, & forte in perpetuum nos ceu incognitum & inexplicabile latebit.

Hinc Medicis non immerito τὸ *latens* τὸ Θεῖον adpellatur, ultra quod progredi, aut clarius rationibus demonſtrare, arti non datur.

§. LI.

Qui dicunt, fermentum illud ad certam *ſalis* vel *ſulphuris* ſpeciem referendum eſſe, nihil diſtinctius loquuntur, quam qui

merum alcalinum putridum hic peccare autumant; cum hæc potius effecta, quam cauſæ morbi dicenda ſint.

Incognita iſta venena non aliter quam *a poſteriori*, & ex ipſo *effectu* & *eventu* rerum cognoſci, exindeque vera Eſſentia & natura ejusmodi miasmatis venenati dijudicari poteſt.

Quotiescunque enim unum venenum *effectu* cum altero convenire obſervamus, concludere licet, ſimilem etiam *cauſam* adeſſe.

§. LII.

Hæc in fermentorum iſtorum venenatorum ratione inveſtiganda & deducenda nobis optima videtur *via*, quam ſi ſequamur, ac in noſtro caſu perſequamur, tunc demum illuc rem perducemus, ut, ſi non indubitatum quid, certe omnium vero ſimillimum ſtatuere queamus.

§. LIII.

Potiora autem morbi noſtri, ut ſupra indicavimus, ſymptomata fuerunt, *cardialgia* ſubita & ſumma, conſtans *conatus vomendi*, *vomitus* actualis, *profluvium alvi* continuum, bilioſum, cruentum, purulentum, *dolores inteſtinorum* intenſiſſimi, eorum *corroſio ſine notabili febre*, huic inſequens *inflammatio*, *abraſio*, *corruptio*, *gangræna*, *ſphacelus*, quibus tandem accedebant *ſingultus*, *convulſiones* &c. & poſtremo tragœdiam claudens ipſa *mors*.

§. LIV.

Hæc omnia ſi coniunctim ſumamus, ac ſimul ponderemus, quam ſubito, & intra quam paucos, ſæpius tres quatuorue dies, ea omnia evenerint, non vana nobis naſcitur ſuſpicio, tales homines *veneno* aliquo necatos eſſe. Omnes enim veneni effectus hic adſunt, quibus fit, ut corpus citiſſime funeſto modo mutetur, corrumpatur, &, ut ſic dicam, mortificetur.

Nam ſi nobis referretur, talia ſymptomata extra tempus graſſantis hujus luis in quopiam viſa eſſe, poſt adſumtum cibum aut aliud quid, apud homines ſuſpectos, certe crederemus, illis propinatum eſſe venenum, eoque ipſum interiiſſe.

§. LV.

§. LV.

Hoc non tantummodo adfirmabunt, qui tractarunt aut viderunt homines *veneno* & inprimis *Arſenico* ſublatos; ſed & mihi notus fuit *vir quidam*, rure habitans, qui *graſſante dyſenteria* intra tres dies obiit, & in quo *omnia memorata ſymptomata* aderant; nullum Medici implorabatur auxilium, & prætexebatur, illum virum dyſenteria extinctum eſſe, ſub quo etiam prætextu, ſine ulteriore inquiſitione, ſepultus eſt, id quod ſane extra tempus graſſantis morbi dyſenterici minime factum fuiſſet. Cum vero inter iſtos coniuges non modo perpetua jurgia & odia interceſſerint, ſed & uxor maritum tamquam abjectiſſimum neglexerit, eoque jam mortuo nulla triſtitiæ ſigna ediderit, verum uti ante ejus obitum, ſic etiam poſt, cum aliis amatoribus verſata fuerit, non levis ſuſpicio nata eſt, hanc non naturalem, ſed violentam per venenum fuiſſe illatam mortem; dico, ſuſpicio nata fuit; rem adfirmare nolumus, cum ambo venena, dyſentericum nempe & arſenicale, ſimilem inter ſe edant effectum, ut difficile ſit determinare, utrum horum hominem necaverit.

§. LVI.

In his itaque caſibus, nempe in dyſenteria & veneni hauſtu, pro *cauſa* adeſſe debet, *acre* aliquod *cauſticum*, *corroſivum*, quod ventriculi & inteſtinorum tunicas compungit, & continua vellicatione rodit, arrodit, corrodit, abradit, exedit, exulcerat, & ſic dolores intenſiſſimos, anxietates continuas, cardialgiam, nauſeam, vomitum, alvi profluvium continuum, &c. inducit, corpusque ad ſubitam putrefactionem diſponit. Si vero venenum illud corroſivum putrefaciens ex ſua natura validum eſt, aut inteſtinorum & viſcerum abdominalium tunicis adeo tenaciter adhæret, ut avelli educique nequeat, quin potius mucum naturalem abradat, nervos vellicet, humoribus blandis qualitatem venenoſam conciliet, &c. neceſſe eſt, ut inflammationes, gangrænæ & mortificationes hinc inde in corpore oriantur,

quas natura irrito ſane conatu ſæpe expellere nititur, unde tandem ſingultus, convulſiones, vomitus & alvi fluxus lethalis, &c. inſequuntur.

§. LVII.

Si vero omnium venenorum effectus examinamus, nullum mihi notum eſt, ad quod modo dicti effectus & ſymptomata in corpore humano propius accedant, quam illud, quod *Arſenicum* adpellamus.

Si enim hoc a quopiam adſumtum eſt, omnia ad amuſſim ea eveniunt, quæ in dyſentericis deprehendimus; nimirum, *venenum* illud *arſenicale* certa quantitate hauſtum, vi ſua ſeptica & cauſtica inteſtina corrodens cardialgiam, anxietates, dolores, convulſiones, inflammationes, ſphacelationes, vomitum & dyſenteriam lethalem ſine notabili febre inflammatoria excitat, & æque brevi tempore, iisdemque ſymptomatibus accedentibus, totum humanum corpus deſtruit, ac *venenum dyſentericum*, ita ut hoc ipſum cum nullo alio propius conveniat aut comparari queat, quam cum veneno arſenicali.

§. LVIII.

Ab horum itaque eventuum & effectuum ſimilitudine & comparatione, qua nimirum ſatis evidenter demonſtravi, venenum dyſentericum omnium maxime convenire & optime comparari poſſe cum veneno arſenicali, non inepte cum Hermeticis me locuturum puto, ſi ſtatuam, hoc ipſum, *acre venenoſum in noſtro morbo dyſenterico arſenicalis natura & indolis* fuiſſe.

§. LIX.

Obiiceret mihi forſan aliquis, *dyſenteriam* noſtram extitiſſe *contagioſam*, cum contra ea, quæ ab arſenico infertur, non ſit contagioſa; atque adeo arſenicalis proſapiæ nomen ferre non poſſe.

Verum enim vero, hoc noſtræ theſi nil derogat; conſiderato, arſenicum non poſſe miasma contagioſum exhalare, cum ſit

ſit ſubſtantiæ fixæ mineralis, & extrinſecus ſolummodo propinetur.

Contra *venenum arſenicale dyſentericum* intra noſtra corpora generatur, atque adeo eſt naturæ animalis & volatilis, quod venenato ſuo vapore ſubtili per poros corporis noſtri penetrare, aliosque per venenoſam ſuam qualitatem eadem labe adficere poteſt.

§. LX.

Quod vero in animantibus corruptio quædam adeo vehemens excitari, aut *humores* eorum adeo *corroſivi* evadere queant, ut non ſolum veneni ſimilem vim ac qualitatem habeant, ſed etiam *contagioſi* ſint, notiſſimum eſt.

Conſideremus modo mala ab adſumtis corruptis alimentis, ex. gr. *carne*, *piſcibus*, *ovis*, &c. *putreſcentibus* genita, aut *ſeminis* intra corpus *corrupti* venenoſam qualitatem ac naturam, quæ omnia ſæviſſima ſymptomata in corpore excitant; inprimis vero *venenum animalium rabidorum* ex. gr. canum, felium, luporum, &c. quod ex inſigni bilis ardore & putredine intra corpus animalis productum habetur, eique ſimul ineſt potentia, *morbum contagio communicandi* & producendi; ut taceam venena *ſcabioſa*, *venerea*, *ſcorbutica*, &c. intra corpus humanum genita, & ſatis virulento-contagioſa.

§. LXI.

Tandem ſi interrogetur, ubi ergo pars adfecta & *ſedes* hujus *animalis arſenicalis veneni* quærenda ſit? ad id reſpondeo: in noſtro morbo dyſenterico bilem omnino pro ea habendam eſſe.

§. LXII.

Bilis enim vario modo, ex. gr. *ab ira*, a *ſummo aeris aeſtu*, aliisque cauſis excitantibus, efferueſcentibus, &c. facile excandeſcere, putreſcere & ita mutari poteſt, ut *acerrimus* & admodum *corroſivus* ac *malignus* inde evadat humor, qui corpus intra breve tempus tamquam venenum deſtruit:

Ex his dein cauſis reliqui quoque humores corporis noſtri, inpri-

inprimis pingues, ut ſanguis &c. valde fervent, inflammantur, corrumpuntur, ac variis impuris & corruptis particulis implentur.

Idque hoc citius fit, ubi jam aliqua ad corruptionem putredinoſam corporis diſpoſitio concurrit; tunc levi accedente cauſa externa vel interna, vel utraque ſimul, malum ex minimo motu in actum deducitur, & ad ſummum violentiæ & malignitatis gradum exacerbatur.

§. LXIII.

Hoc non ſolummodo tot *morbi graviſſimi* & *acutiſſimi a bile exorti* teſtantur, ſed etiam hoc in ſpecie evincit alius morbus, *dyſenteriæ bilioſæ* aliquo modo adfinis, præterquam quod contagioſus non ſit, qui *Cholera* vocatur, & in quo ſaburra bilioſa ventriculi & inteſtinorum adeo cauſtica & corroſiva evadit, ut veneni ſeptici inſtar non tantummodo vias, per quas tranſit, arrodat, corrodat, & excoriet, eoque ipſo magnos *cruciatus*, *dolores*, *cardialgiam ſummam*, *vomitum*, *alvi fluxum*, aliaque lethalia & dyſentericis maxime familiaria ſymptomata excitet, ſed & per vomitum in nudum pavimentum effuſa cum hoc efferueſcat.

§. LXIV.

Hæc itaque *bilis corruptio acris*, quæ inſtar *veneni* in dyſentericis ſupra enumerata ſymptomata producit, initio morbi *in primis viis* ſe ſe manifeſtat, non vero diu hic in partibus ſolidis fluctuans manet, ſed ſpicula ſua heterogenea putrido-corroſiva mox etiam *humoribus* & ipſi *maſſæ ſanguineæ* ſenſim immittit, eamque ſimul corrumpit, id quod inter alia maxime comprobant *tubercula*, *furunculi*, *puſtulæ ſuppurantes purpuræ rubræ*, *maculæ petechiformes* & alia exanthemata cutanea, quæ in dyſentericis quibusdam effloreſcebant.

A quibusdam enim venenis non ſolummodo partes ad fectæ gangræneſcunt, ſed & ſanguis cito in putredinem vertitur.

§. LXV.

§. LXV.

His itaque dictis, haud leviter me probaſſe arbitror, *venenum arſenicalis naturæ e bilis acrimonia & corruptione putredinoſa in corpore noſtro generari*, huncque humorem bilioſum tanto corroſionis ſtimulo acui, ut non ſolum inteſtina ad aſſiduum alvi exonerandæ conatum urgeantur, ſed etiam omnia reliqua ſymptomata inſequantur, quorum ſupra in hiſtoria morbi mentionem fecimus.

§. LXVI.

Eſtque *hæc obſervatio* attentione maxime digna;

Hac enim inquiſitione prudenter inſtituta, non ſolummodo abſcondita inquinamenti dyſenterici indoles & natura aliquantum *pathologice* illuſtratur, ſed & methodus *therapeutica* & recta via indicatur, quam ſequatur Medicus in praxi clinica & adplicandis remediis antidotis, adpropriatis. In *prognoſi* quoque multo cautior erat, qui hujus veneni indolem noverat, utpote ſibi conſcius, illud venenum non adeo facile remediis domari, morbumque ab eo inductum nunquam vacare periculo.

§. LXVII.

Exitus etiam & *experientia* uberrime monſtravit, nec vanam nec inutilem fuiſſe hanc noſtram ſpeculationem. Ea enim duce indicabantur maxime ſalutaria medicamenta, aut quæ cane pejus & angue fugienda eſſent.

Sed qui rem quaſi per tranſennam inſpiciebant, cum ex natura hujus veneni non adeſſent gravia indicia febrilia, morbum leviorem judicabant, magnaque artis fiducia, ſed fruſtra, eum adgrediebantur.

§. LXVIII.

Cum vero omnia illa pluribus perſecutus ſim, ut quantum fieri poſſet, hujus *veneni dyſenterici cauſa* & *natura* clare & diſtincte indicaretur, & tamen quibusdam eo nondum ſatisfactum fuerit, illos oro, ne mihi litem moveant, ſed in hoc

mecum ſequantur Theologos, qui, ſi de *Myſteriis* quanta poſſunt perſpicuitate locuti ſunt, ſuaque dogmata compluribus dictis biblicis confirmarunt, in fine ſermonis fatentur, *ſemper aliquid eſſe, quod mortalibus nondum datum ſit, clare aut perſpicue cognoſcere.*

§. LXIX.

Tandem prætereunda non eſt eorum ſententia, qui dyſenteriam in *morbis congeſtoriis* habent, ſtatuentes, cauſam ejus formalem eſſe *principium movens*, humores copioſe verſus inteſtina dirigens, ad infringendam materiam fermenteſcentem, ejusque potentiam inflammatoriam præoccupandam, ac per inteſtina ſequeſtrandam, ne in actum tranſeat.

§. LXX.

Jam quidem in nullo morbo nego ſynergiam principii vitalis, ſed eam hoc potius admitto, quia mihi perſuaſum habeo, ſine illius concurſu nos in Medicina parum aut plane nihil effecturos eſſe.

Interea tamen hæ vires & conatus naturæ ad ſuperandos morbos aut id, quod naturæ moleſtum eſt, reiiciendum, in nulla alia re conſiſtunt, aut ſeſe probant, quam in *motibus ſecretoriis* & *excretoriis præter ſtatum naturalem auctis;* ſed hi motus in caſu adſumti veneni, aut effectuum ex venenoſa materia oriundorum, ad hos præoccupandos, aut tollendos non ſolummodo non ſufficiunt, ſed & per ſimplices tales Medicorum conceptus & intentiones vera *morboſarum Cauſarum*, earumque effectuum *cognitio phyſica* juſto nimis negligitur, quæ tamen ante omnia perſpicue cognoſci deberet, ſi illa venena lethifera per directa & phyſice oppoſita auxilia, cum ſpe ſalutis, oppugnare velimus.

§. LXXI.

Præcipua *utilitas*, quam *ex illa hypotheſi* in noſtro caſu capere poſſumus, in eo conſiſtit, quod ea moneamur, talia ſubiecta non facile per *adſtringentia* & fluxum *ſiſtentia* eſſe tract-

tractanda, ne talis materia fermenteſcens venenoſa, *ipſa reluctante natura*, intra corpus retineatur.

Non vero *eſt in poteſtate naturæ*, ut fermentum lethiferum ipſum motibus ſuis qualibuscunque aut corrigat, aut ad illa emunctoria emittat, per quæ *efficaciter* ſecerni aut excerni poſſit.

Propinetur ex. gr. cuidam venenum quodcunque libuerit, uti *aqua fortis* aut ſimile, non tamen adeo magna copia, ut vires vitæ eam plane ſuperare nequeant; exhibeantur poſt adſumtam aquam fortem humectantia, diluentia, evacuantia, &c. quanta copia velis, natura ſecernat & excernat, quantum viribus valeat, parum aut nihil conducet, venenum potius cito in partes ſolidas penetrat, ibique lethalem exſerit effectum.

Hic *ſola corrigentia veneno phyſice oppoſita* levamen adferent, ſi illud adhuc prompte ſatis adſequi poterunt; proinde, ſi homini ita adfecto immediate poſt hauſtam aquam fortem antequam partes ſolidas multum læſerit, propinaretur *antidotum, alcalicum, ad punctum ſaturationis* usque, veneni vis corroſiva extemplo enervaretur, obtunderetur, extingveretur, hocque modo ejus progreſſum præoccupando, aeger optime ſervaretur.

Nihil hic me anxium habet principium vitale: omnia ſua molimina ad extinguendum aut eliminandum illud venenum nihil valebunt, omnem opem extrinſecus a Medico phyſico externo deſiderat & expectat.

Idem videmus in veneno *venereo*, *ſcabioſo*, *ſcorbutico* aliisque, ad quod ſecernendum & excernendum natura ſola motibus ſuis nunquam ſufficit, omnium minime vero illud corrigere poteſt, adeo quidem, ut iſti veneno omnino ſuccumbere cogatur, niſi illi externe potentiſſima & efficaciſſima auxilia ferantur per corrigentia phyſica ſpecifica.

§. LXXII.

Ita etiam res in morbo *dyſenterico* ſe habere mihi videtur:

principium vitale peragit, quidquid poteſt, ad exterminandum hoſtem in inteſtinis hærentem, qui vitæ filum brevi abrupturus eſt, ſi in ſua ſede gangrænam excitet, aut in ſanguinem transeat. Sed parum vel nihil poteſt; *antidota* externa phyſica expectat: ſi hæc mihi nota ſunt, principium vitale miſſum eſſe jubeo; hoc per ſe officio ſuo fungetur, ſi modo Medicus externus id ſemper ageret, ut huc ſpectantia medicamenta efficacia & adpropriata ſcite adplicaret.

A principio vitali ſæpius expectatur, quod ab eo proficiſci non poteſt. Officium Medici interni & externi diviſum eſt, quorum quilibet, prout decet, partes ſuas conferre debet; ubi vero alter eorum officio ſuo minus rite fungitur, rei eventus fauſtus vix eſſe poterit.

§. LXXIII.

Et hic *artis auxilium* quam maxime eminet;

Inprimis cum etiam *venena* dentur, quorum effectus in corpore humano non ita in oculos incurrunt, nec adeo in corpus phyſicum materiale, quam potius *in principium movens immateriale immediato contactu & efficacia* agere, ejusque *motus vitales* directe inhibere, iisque officere videntur, veluti, ut uno hoc exemplo utar, de *opii veneno* notum eſt, quod animi motus ita ſimpliciter in corpore inhibeat, ut ne quidem ulla ſenſibilis mutatio vel corruptio phyſica animadverti queat, præter eam, quæ ex ſimplici defectu motus ſanguinis circulatorii ſequi neceſſe eſt.

In *veneno arſenicali* ſimiliter aliud reſidet, quod *motus naturæ potius ſufflaminat*, quam ultra gradum naturalem multum auget, interim tamen vim ſuam deleteriam atque mortificantem majori cum progreſſu peragit.

Idque omne merito ponderandum eſt, quando Medicus cauſæ alicujus morbi certis atque efficacibus remediis obviam ire, eamque vincere velit.

§. LXXIV.

§. LXXIV.

Denique notandum eſt, quod valde erraverint Medici, qui morbum noſtrum *fluxus hepatici* nomine inſigniverunt.

Licet enim hic fluxus a quibusdam etiam dyſenteria hepatica, bilioſa, audiat, tamen a vera dyſenteria hoc criterio ſe diſtinguit, quod vera & *exquiſita dyſenteria* morbis epidemicis adnumeretur, & per ſe & ſua natura *contagioſa* ſit, adeo, ut contagium inter ſigna pathognomonica veræ dyſenteriæ reputetur, ac alvi fluxus non inficiens pro vera dyſenteria haberi nequeat.

Fluxus contra *hepaticus* non eſt contagioſus, neque epidemicus, neque ad dyſentericam malignitatem accedit, nihilque de inteſtinis abraſum eiicit, itaque in pluribus ſymptomatibus a morbo dyſenterico diverſiſſimus eſt.

CAPUT III.

Continens Curam Dyſenteriæ bilioſo-contagioſæ.

§. I.

PErluſtrato dyſenteriæ noſtræ *nexu cauſali*, opus nunc eſt, ut ad *Curam* nos accingamus. Si vero practicorum libros & ſyſtemata evolvimus, tam varias & ſæpius contrarias ac ſibi e directo adverſantes in morbis dyſentericis curandi methodos, tantamque medicamentorum farraginem offendimus, ut quem ſequi debeamus ducem, vix videamus. Idem hic nobis accidit, quod in pluribus gravioribus morbis. Quisque conſilium novit, quisque ſuas merces laudat, creditque ſe, fallere neſciam methodum ac remedia ad ſanandum hunc morbum inveniſſe.

§. II.

Ita ex. gr. alter vomitoria, purgantia, venæſectiones ſuadet, alter quam maxime damnat, hic clyſteres præcipit, alter

relegat; hic adſtringentia, bezoardica & ſudorifera commendat, alter reiicit; hic opiatis ſummas & ſingulares virtutes tribuit, alter nihil aut parum illis confidit; alius nil niſi ſpecifica crepat, alius omnem omnibus ſpecificis virtutem negat; alius ex. gr. aquam frigidam mortis, alius vitæ cauſam declarat; & ſi quæ aliæ ſcriptorum ſunt ſententiæ ſibi contrariæ, quæ tamen omnes veræ eſſe, & ſuum locum habere poſſent, dummodo verus cujuslibet morbi genius eiusque cauſa prius certo exploretur.

§. III.

Sunt enim re vera dyſenteriæ, quibus illa ipſa medicamenta quæ in eodem adfectu, aut qui ſaltem idem eſſe videbatur, ſaluti fuerunt, alio tempore adeo repugnant, ut potius contrarium effectum ſortiantur; ad quam cautelam a Medicis, quantum prudentiæ humanæ datur, utique attendendum eſt.

§. IV,

Sicuti vero dyſenteriæ non omnes eædem, ſed ſpecie admodum inter ſe variant; ita illarum *methodum* & *praxin generalem* non habemus, nec fere ullum medicamentum antidysentericum dictum, in omni hujus morbi ſpecie ſemper & in quolibet corpore prodeſt. Medicus ideo ſtatim ſtupet, ut primum ægrum hujus alteriusve ſpeciei tractandum nanciſcitur. Nam ſane maturum requiritur judicium, ubi vera differentia conſtituenda, atque indicandum eſt, an quidem unus idemque ſit morbus, qui vulgo eodem nomine inſigniri ſolet, aut quænam ſpecies dyſenteriæ ſe ſe nobis offerat, & quousque in omnibus ſuis circumſtantiis cum ſimilibus nobis cognitis morbis conveniat, nec ne?

§. V,

Hoc vero, ſi negligitur, ut eam, quam tractes *ſpeciem*, non ſatis *diſtincte* determinare, neque dignoſcere noveris, utrum iisdem in circumſtantiis verſere, in quibus methodum & veſtigia alicujus ſcriptoris premis, ſed adſiduo tantum evolves, quid in libris pro excellentibus remediis ad dyſenteriam con-

conſignatum reperitur, eademque patientibus tuis qui forſam plane alia dyſenteriæ ſpecie laborant, cœco ductu adplicare velis, miſere te deceptum experiere, ac exitus non niſi caſu expectationi reſpondebit; ita ut proverbium verum evadat: *curantur ægri in libris, moriuntur, in lectis.*

§. VI.

Eſt vero in ipſis ſcriptoribus non levis hic *error*, quod ipſi ſæpe non ſatis diſcriminis in morborum ſuorum ſpecie ponant, eamque non ita clare & adcurate deſcribant, ut legentibus adpareat, in quo una ſpecies cum altera conveniat, aut in quo diſcrepet; verum ſuæ methodo & adplicatis remediis nimis magna encomia addant, & quidquid in una dyſenteria certoque tempore ſalutare ſunt experti, idem ſine delectu in omnibus dyſenteriis omnique tempore commendent &c. At, quia nec ipſi cum ratione demonſtrant, quare ab hoc vel illo remedio bonus effectus ſit ſperandus, tunc ſi ipſe fontem mali non ſatis penetraveris, labor iſte parum emolumenti adferet, & incommoda res eſt, ejusmodi ſcriptoris laudatam viam ſequi.

§. VII.

Non vero tam *copia Medicamentorum* deſtituimur, quam potius vera morborum & remediorum cognitione phyſica; in hac utplurimum a vero diſceditur. Si quis vero genium morbi & remedii phyſicum non intime perſpectum tenet, impoſſibile eſt, ut conſilium aut medicamenta indoli adfectus rite accommodentur, indeque fit, ut ſi medicamenta adplicata illum ſucceſſum non ſortiantur, quem libri promittunt, ſcriptores ſibi invicem fiant contrarii, & id omni opprobrio dignum pronuntient, quod alii laudibus in cœlum ferunt.

§. VIII.

Inprimis vero quilibet *recens* natus morbus *Epidemicus*, vel alius *Contagioſus*, malignus, novam animi attentionem & indagationem expoſcit, quibus videlicet cauſis extraordinariis & ſpecialioribus iſte morbus origionem trahat? cujus indolis ſpe-

ſpecificæ ſe nobis monſtret? quales effectus noxios producat? qualem exitum habuerit? quid ſalutare, quid pernicioſum fuerit? &c. in quibus omnibus maxime circumſpectus & cautus debet eſſe Medicus, quia non obſtante omni prudentia humana *primus æger prima plerumque ſolet eſſe victima*, ex qua Medicus quaſi diſcit, qualis morbi nova ſpecies tractetur.

Nec aliter fieri poteſt, omneſque viri ingenui fateri cogentur, nos a priori prævidere non poſſe, cujus indolis morbi nobis in præſenti vel in futurum ſint ſuperventuri, Et quamquam ſic primi, fato ſic volente, præ reliquis ſint infeliciſſimi, tamen eo ipſo feliciores ſunt ſequentes, dummodo Medicus morbi genium ac cauſam diligenter exploret, methodumque ſuam medendi ad hanc normam dirigat, id quod primum ac tutiſſimum eſt, ſi vero id negligatur, atque antiquum ſemper obtineamus, eadem calamitas prioribus poſteros aequat.

§. IX.

Cum itaque *Praxeos fundamentum* ſit genuina morbificæ cauſæ cognitio, animus Medici in id intentus ſit, ut illi rationi conveniens methodus adplicetur. Hæc enim cauſarum cognitio nos veras indicationes & rationes curandi docet, ut certo ſciamus, quomodo quibusve remediis morbus pro ſpeciali ſua indole oppugnari debeat.

§. X.

Eſt enim Medicina practica eo provecta, ut cum quadam evidentia & certitudine, ſi cauſas læſionum & ſymptomatum bene noverimus, aegrum curare poſſimus.

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas,

Medici vero dubii cauſarum, dubii etiam ſunt remediorum.

§. XI.

Et cum in noſtro caſu *bilis* præ reliquis humoribus adfecta ſit, ac fermento aliquo acri morboſo inquinata, quod ei efficaciam impertiat, inteſtina venenorum more rodendi & ſtimulandi; facile inde patet, primam & *primariam indicationem*

cura-

curativam eſſe, ut ſaburra illa *contagioſa dyſenterica*, bilioſa, acris, irritans, ſtimulans, in ventriculo & inteſtinis ſtabulans, ante omnia & quantocyus e corpore ἄνω vel κάτω *eiiciatur*, & hoc pacto natura ab illa moleſtia liberetur.

Omnes enim dyſenteriæ in ſuo principio iſtas purgationes optime ferunt, quatenus nimirum acre peccans auferendo, noxios eius effectus inhibent.

§. XII.

Diſceptatur quidem inter Medicos, *per ſuperiorane* potius an vero *per inferiora* evacuatio inſtituenda ſit ? & quænam optima ſit via ? ſed in eo vix regula generalis obtinet, ideoque pro ratione morbi, temporis & ſubiectorum, prudentiæ medentis illud omnino relinquendum erit.

§. XIII.

Præterea quod *emetica* ipſa ſpectat, ſi illa in morbo indicantur, in diverſum iterum abeunt Medici, *quænam ſint eligenda ?*

Sunt qui ſtatuunt, nihil intereſſe, quænam illa ſint, omniaque emetica pari cum ſucceſſu adhibenda ſuadent ; dicunt enim illa eatenus ſolummodo proficere, quatenus humorem peccantem excutiant, ſicque cauſam mali tollant.

Si id æqualiter facerent, nullus diſſentirem, arbitror autem ſemper notabilem inter iſta remedia differentiam intercedere, & lenia vehementioribus utique eſſe anteferenda.

Quæ enim hunc in finem commendantur *antimoniata*, qualia ſunt *crocus metallorum*, *vitrum antimonii*, *tartarus emeticus*, *ſulphur antimonii*, hæc de virulenta ſane, cauſtica, immo, ut quidam non inferioris ſubſellii Chemici volunt, *arſenicali* proſapia aliquid habere exiſtimantur ; hinc cautiſſime & ſumma cum circumſpectione, nec niſi deficientibus melioribus, neceſſitatis lege urgente, in uſum vocanda ſuaderem, tam ob cardialgias maximas, quas concitant, quam ob corroſiones & majorem inteſtinorum læſionem ab iis timendam.

 §. XIV.

§. XIV.

Nonnulli radicem illam e Braſilia adlatam, *Ipecacuanham* dictam, tamquam primarium & ſpecificum contra dyſenterias emeticum commendant, quia cum in *India Orientali*, tum in *Occidentali*, in omnibus dyſenteriis & diarrhœis magno cum ſucceſſu adhibetur, unde etiam nomen *radicis antidyſentericæ* κατ᾽ ἐξοχὴν accepit, ac in noſtra Mundi parte primum in Gallia admodum celebrari cœpit.

Sunt tamen, qui eidem virtutem illam ſpecificam negant dicentes, ipſam radicem non agere ut *ſpecificum*, ſed ut *expellens violentum*, quatenus vitioſam bilioſæ cruditatis copiam ex primis viis tollit.

Immo ſunt, qui obſervationes adferunt, ex quibus liquet, ejus opem non modo nullam fuiſſe, ſed etiam adhibitam excitaſſe majorem fluxum dyſentericum, eumque exacerbaſſe. Hinc ab eius uſu potius abſtinendum ſuadent, niſi forte dyſenteria a mala diæta ex. gr. eſu fructuum horæorum, aut potulentorum fermenteſcentium ingurgitatione originem trahat: quo tamen in caſu etiam alia vomitoria locum habere poſſent.

§. XV.

Verum enim vero, non peccat radix in ſua virtute, ſed peccatur potius in eius *adplicatione*, dum nec verus morbi genius ſemper cognoſcitur, nec juſtum tempus, quo cum ſucceſſu aut quo cum damno in uſum vocetur.

In his ſi *errore* ducimur, nec dyſenterias diſtinguimus, nullum medicamentum, ne optimum quidem, proficiet.

Ideoque errore non vacant, & qui radicem in omnibus dyſenteriis præſcribunt, &, qui eam ubique plane reiiciunt.

§. XVI.

Conducit autem *hæc radix* in omnibus caſibus, ubi cauſa morboſa adhuc in primis viis hæret mobilis, &, quod notandum, partes ſolidas nondum adfecit.

Quando vero acre dyſentericum in inteſtina converſum

partes

partes ſolidas jamiam corroſit, aut humoribus intimius ſeſe inſinuavit, id quod ex anxietatibus præcordiorum continuis & vomendi conatibus inanibus facile cognoſcitur, tunc dubius utique aut plane irritus eſt omnis per hanc radicem excitatus vomendi conatus; nec per emeticum qualecunque quidquam boni aut ſalutaris effectus ſperandum erit; nam materia illa peccans tunc hac via e corpore eliminari non amplius poteſt, partium potius læſio & inflammatio major inducitur, quam ſphacelus, & ipſa mors inſequi debent.

§. XVII.

Et quanquam negare nolim, hanc radicem ſolummodo *generali facultate emetica* agere; tamen hæ ipſæ ejus virtutes adeo parvi faciendæ non ſunt, ut nobis perinde eſſe debeat, utrum ea nobis deſit nec ne? quod minus accurate judicatum eſſet.

Nam præter effectum ſuum emeticum ſimul adeo *peculiare* & *ſpecificum quid* operatur, ut alia vomitoria eam non facile æquent, nec aliud, quod ejus in locum eodem cum effectu ſuccedat, excogitari poſſit.

Quamdiu ergo nobis adſunt meliora, quare iis repudiatis viliora amplecteremur?

§. XVIII.

Certe non *aliud medicamentum emeticum* nobis innotuit, cujus utilitas ſe latius pandat.

Namque hæc radix non ſolum materiam morbificam, licet tenuiſſimam avellit, eamque per ſuperiora, rarius per inferiora, commode & laudabiliter, nulla cum noxa, educit, ſed & poſt vomitionem aut purgationem *adſtringendo robur* inteſtinis conciliat, eorumque tonum relaxatum reſtituit, quod ab aliis emeticis non fieri, immo inteſtina magis relaxari & debilitari, longa obſervatione jam innotuit.

§. XIX.

Sunt, qui præter cognitas has virtutes huic radici *facul-*

tatem abſtergendi, *meatus reſerandi & infarctus reſolvendi* adſcribunt; ſunt, qui inſuper *virtutem alexipharmacam* in ea agnoſcunt, quæ omni veneno & malignitati inſigniter reſiſtat: Hoc autem in quantum veritati conſentaneum ſit, ulteriori experientiæ relinquendum eſt.

§. XX.

Ut ut autem res ſe ſe habeat, licet huic radici infallibilem efficaciam tribuere nequeamus in perſananda dyſenteria in genere, tamen illa *admodum conveniens remedium eſt* ſuo tempore dandum, & non modo ubique, ubi vomitorio uti convenit, commode, tuto, & ſine ullo damno aut læſione inde metuenda, adhiberi poteſt, cum ſecurius agat, quam omnia alia nobis nota.

Sed etiam eadem Ipecacuanha in noſtra dyſenteria *mirabiles effectus* edidit, uti omnes fatentur, qui ea uſi ſunt, nec unquam contrarium aut nocivum effectum ex ea deprehendi:

Nam quamquam initio multi mirarentur, quod ego prima vice, quantum novi, hoc emeticum in noſtro morbo in auxilium vocarem, tamen omnes facile conſentientes habui, poſtquam viderant, ægros, noſtro conſilio utentes, ex illius radicis uſu optime ſe ſe habere.

§. XXI.

Quod uſum hujus medicamenti attinet, controverſia adhuc inter artis Magiſtros viget.

Quidam pulverem ejus ſimplicem porrigunt:

Alii, ſcrupulo ducti, *infuſum* eius cum *aqua* communi vel *vino albo* præparatum tutius meliusque exiſtimant:

Sed *infuſo* ego nunquam uſus ſum, quia tunc radix dupla quantitate ſumenda erat, & præterea doſis in infuſo pro quovis ægro non ita accurate definiri, aut in tanta ægrotorum multitudine pro quovis ſeparatim decoctum fieri poterat. Si vero *decoctum* ideo præſtantius eſſet, uti fert aliorum opinio, quia minus efficax ſit ad vomitum excitandum, aut purgandum, ſed *magis*

magis adſtringens, ipſum illud decoctum hoc minus adhibuiſſem, quo adſtringentia minus ferebat morbus noſter.

Itaque ſemper & ubique *pulverem* radicis *in ſubſtantia* ſimpliciter & absque ullo additamento præſcripſi, hæc enim haud bene fert: Adultis ad ſummum propinabam a *drachma ſemis* ad *ſcrupulos duos*, parvulis ſolummodo *aliquot grana* pro ratione aetatis.

§. XXII.

En jam etiam *methodum* & *cautelas*, quibus in illa adhibenda uſus ſum:

Curative eam exhiberi curavi aegris omnibus, nullo diſcrimine ſexus aut aetatis, ipſis etiam delicatulis, debilibus, immo gravidis, lactantibus & lactentibus, ſi modo ſubiectorum conditio ita comparata eſſet, ut cum ſpe ſucceſſus adplicari, aut utilitatem adferre potuerit:

Sumere præcepi ſtatim in ipſo morbi principio, cum adhuc vires conſtabant, viſcera firma erant, & mali fomes adhuc in ventriculo hærere videbatur, quam primum vidi adeſſe conatus vomendi, aut alvi inſuetum fluxum, aut ubi propter cardialgiam, borborygmos &c. *ſuſpicio ſecuturæ dyſenteriæ* aderat.

Nam in eo ſumma ſalutis verſabatur, ſi *tempeſtive* ſatis exhibebatur, ne experimentum ſecundum *Hipprocratem* eſſet periculoſum.

§. XXIII.

Uſus radicis tempeſtivus ſemper erat *ſalutaris*, eo enim aut morbus una vice plane tollebatur, aut ſaltem valde imminuebatur, ut dein facili modo ſuperari potuerit.

§. XXIV.

Etiam *iteratus* hujus *radicis uſus* ſalutaris extitit, nec unquam male ceſſit.

Quando enim una doſis omnem mali colluviem auferre nequibat, idem remedium aliquoties revocandum erat in uſum, ut optatus obtineretur effectus:

Itaque ſi ad primam doſin *cardialgia*, *nauſea* & *alvi fluxus* nondum ceſſabant, eandem uno die vel biduo poſt denuo exhibui, idque poſt aliquot dies vel *tertia vice*, urgente neceſſitate, repetii.

§. XXV.

Non vero ſolummodo in principio, ſed etiam in ſtatu, immo *quovis morbi tempore* optimo cum ſucceſſu adhibebatur, ſi modo aliquid de fomite in ventriculo reſtabat, ac nullum contrarium indicans ſignum, ex. gr. inflammatio aut ſuppuratio inteſtinorum, virium defectus, &c. aderat.

§. XXVI.

Boni eventus ſignum erat, ſi aegri *bilem flavam* aut *viridem* vomitu, vel etiam per alvum eiiciebant, & alvi fluxus minuebatur: inteſtina enim tunc nondum infecta eſſe, hoc indicabatur, & aeger intra paucos dies a fluxu liberatus convaleſcebat.

§. XXVII.

Ubi vero *poſt ejus uſum alvi fluxus* non ſolummodo non imminuebatur, ſed potius *augebatur*, & vires deficiebant, hoc pro malo indicio ſemper habendum erat; indicabat enim putreſcentiam & colliquationem humorum jam ſuperaviſſe aegrotum, & inteſtina infecta ſemper magis relaxari, quam corroborationem aut adſtrictionem admittere, & tunc eventus plerumque ſolebat eſſe lethalis.

§. XXVIII.

Nec hærebam in *dyſenteria*, quam *ſanguineam* fuiſſe dixeris, aeque ac *in bilioſa*, idem adhibere remedium; ſanguinis emim excretionem pari effectu diminuebat, ac bilioſum excrementorum fluxum, adferebatque plurimorum ſymptomatum remiſſionem; cujus effectus rationem ex præcedentibus facile colligere licet.

§. XXIX.

Præmiſſa itaque radice Ipecacuanha, ſi alvi fluxus pergebat,

bat, porro *ad bilem per aluum evacuantia* & ſimul *corrigentia* deſcendi.

Huic duplici ſcopo optime nobis ſatisfecit *Rhabarbarum*, ab aliis *anima hepatis* dictum. Hinc ſtatim poſt Ipecacuanhæ uſum & ſæpe urgente neceſſitate, poſtquam duodecim tantum horæ inter prioris uſum interceſſerunt, hoc remedium adhibui.

§. XXX.

Tamen hic una monendus eſt Lector, me non in omnibus aegris curam incepiſſe ab uſu *Ipecacuanhæ*; ſed etiam in nonnullis, ubi emeticum hoc ſupervacaneum duxi, aut ubi morbus jam eo invaluerat, ut cum ſpe effectus boni exhiberi non potuiſſet, *initium* feciſſe a *Rhabarbaro*; quæ adplicatio diverſa, pro ratione ſubiectorum, omnino a judicio Medici pendet.

§. XXXI.

Iterum vero hic inter ſe diſſident Medici, num in *Rhabarbaro* lateat *virtus* aliqua *ſpecifica contra dyſenteriam* nec ne?

Sunt, qui de hac radice eadem ſentiunt, quæ de *Ipecacuanha* ſupra monuimus, nimirum, nullam illi adſcribunt facultatem ſpecificam, ideo tantummodo præſtare eam reliquis purgantibus dicunt, quatenus *ſimul adſtringit*.

Verum enim vero, uti certum eſt, in emeticis nullum nobis ſuppetere, quod tam commodo & tuto operetur, & quod, peracta operatione partes ſimul iterum corroboret, quam *Ipecacuanham*;

Ita etiam de *purgantibus* verum, nullum nobis datum eſſe, quod utraque hac facultate, purgante pariter & corroborante, vel ſi mavis, adſtringente, præditum ſit, quam hanc ipſam radicem orientalem *Rhabarbari*, ut hoc remedium etiam hoc ſolo nomine omnino ſelectiſſimum omnium in dyſenteria conſtituat purgans ſeu evacuans, nec præſtantius ac tutius in rerum natura ſit.

§. XXXII.

Sed ego plura addo, atque adfirmo, *Rheo* ineſſe omnino ali-

quam

quam *virtutem ſpecificam*, non quidem, ut alii volunt, in genere, in ſanandis omnibus dyſenteriis & diarrhœis, cum vel ſine ſanguine, ſed in ſpecie in *diarrhœis* & *dyſenteriis aliisque adfectibus bilioſis*, in quibus ſuas vires efficaciter exerit.

In *dyſenteriis caſtrenſibus*, quarum etiam cauſa bilis vitiata habetur, illius ſingularem utilitatem Medici jam pridem agnoverunt, & illud omnibus aliis laxantibus antetulerunt:

In *noſtra dyſenteria* tam ſingulares plane effectus ejus fuerunt, ut ſine *Rheo* conatus noſtri admodum manci fuiſſent, vel ſaltem eodem omnino *carere non potuiſſemus*.

§. XXXIII.

Nam quoniam non omnes aegri in tempore conſilium petebant, ut Ipecacuanha ſecure & cum ſucceſſu potuiſſet adhiberi, ſed ſæpius tunc demum Medicum arceſſebant, cum malum jam exacerbatum eſſet, & interdum ad ſummum malignitatis gradum perveniſſet, nullo alio remedio *purgante*, quam *ſolo Rheo* uti licebat, idque quocunque morbi tempore, tam in ſtatu, & in declinatione, quam ſub eius initium, pari cum fiducia, præſertim in ſubiectis ſenſibilioribus, gravidis, infantibus; &c. in ſemicorruptis, in flaccidis &c.

Quo ſolo, quod illi inſit facultas ſpecifica, abunde oſtenditur.

§. XXXIV.

Eſt vero eius virtus, non ſolummodo ſaburram bilioſam involvere, abſtergere & leniter eliminare, ſed & ſimul ejus acrimoniam potenter infringere, corrigere, ac obtundere. Præterea Medici *Rheo* quoque *vim anodynam* & *ſedativam* attribuunt, quam etiam ſenſibiliter præſtat, & ſimul inteſtina roborat; quæ omnia in quocunque alio ſimplici purgante fruſtra quæras, ut hinc *ſpecifici* nomen optime tueatur.

§. XXXV.

Hoc autem modo exhibebatur *Rheum*.

Quidam hanc radicem *curative* adhibebant ſtatim incipiente

piente morbo, & quidem in forma *pulveris*, vel *ſolam*, vel *admixto nitro*.

Alii priorem, alii poſteriorem formulam reliquis præferebant. Illi, ut etiam *ratione ponderis* alvum citius compeſceret; Hi, ut materiam bilioſam ſimul corrigeret.

Sed ego *pulvere* rarius, & non niſi certis circumſtantiis, ubi nimirum malum adhuc dubium, aut in ſuo principio, aut minus periculoſum eſſet, uſus ſum, illumque ut plurimum ſine ullo additamento ſufficere juſſi.

§. XXXVI.

Ejus autem loco in uſum adhibui *animam* ſeu *Tincturam Rhei*, ſecundum deſcriptionem Rolfincii, ex *Rhei* uncia ſemis, *ſalis Tartari* drachma una, & *aqua Cichorei*, vel alia, ſi placet, aqua deſtillata, ex. gr. menthæ &c. unciis quinque vel ſex paratam.

Non vero in adultis guttatim, ut quidam præcipiunt, hauriendam hanc Tincturam dedi, ſed *dimidium* aut *cochleare integrum* ſingulis quatuor aut ſex horis, prout circumſtantiarum aut ſubiectorum conditio poſtulabat.

Et hoc non vulgare levamen aegris attulit.

§. XXXVII.

Nam cum in noſtra lue magna copia corruptæ bilis adeſſet paucæ guttæ nil proficere valebant. Vehementiæ mali *ſufficiens quantitas* medicamenti opponenda erat.

Sub hac vero formula Rheum non ſolummodo tanta quantitate commode propinari potuit, quanta pro ſuperando malo expoſcebatur, id quod alia methodo vixfieri licebat.

Sed & hæc formula convenientiſſima eſt illis, qui facile nauſeant medicamenta, illaque difficultas recipiendi aegris multum minuitur.

Hoc pacto *multas menſuras* hujus *Tincturæ* feliciſſime cum ſucceſſu abſumſimus.

§. XXXVIII.

Jam forte aliquis cogitaret, ſi ſtatim ab initio mali *Tinctura Rhei* cochleatim, & quidem terve quaterve de die propinetur, & *tanta quantitate* per aliquot dies in uno ſubjecto uſurpetur, fluxum augendum & aegros debilitandos fuiſſe.

Sed plane contrarium accidit, *fluxus* potius ſub *Tincturæ uſu ſenſim imminutus* eſt, *dolores ſedati* & aegri commode ſanati ſunt; ſi vero non ubique ſperatum & infallibilem ſanitatis effectum habuit, id quod in ſtatu aegri jam deſperato impoſſibile eſt, ſane nunquam malum exhibuit;

Propemodum omnes, quibus illa ex effectu & fama innotuit, eam domi paratam habere cupiebant, ut auxilium & ſolatium præſens.

§. XXXIX.

Fuerunt tamen nonnulli, qui ſcrupulum contra ejus uſum movebant, quod cum *ſale Tartari* præparata erat, idque non ſine aliqua ratione, dum & ego ipſe *Salium* uſum in hoc adfectu damnarim, ac inprimis *alcalia* hic noxia videantur.

Sed ſimul & una omnibus meis aegris *acidorum* liberalem uſum, contra aliorum ſententiam, quam maxime iniunxi, prout inferius liquebit, & ſic noxæ illius metus nullus vel non adeo magnus erat; ut qui initio contra loquebantur, per experientiam contrariam de bono illius effectu convincerentur, & poſtea eandem ipſi adhiberent.

§. XL.

Poterat tamen & Sal Tartari omitti; *infuſum Rhei ſimplex aquoſum*, nullo addito Sale, parem fere edebat effectum, & ſi quis erat, qui hæſitabat in uſu illius Tincturæ, illi licebat uti hoc infuſo, & ſic omni ſollicitudini & obiectionibus anſa auferebatur.

Interea tamen hæc infuſio ſimplex *non omnes ex Rheo vires* adeo potenter extrahit, nec uſui domeſtico adeo apta, quin corruptioni

tioni promptius obnoxia, & ob hanc ſolam rationem Tincturæ poſtponenda erat.

Sal etiam *Tartari vires Rhei purgatrices* aliquo modo infringendo, Tinctura corrigendi ſcopo ſecurius & majori copia, quam infuſum, propinari poterat.

§. XLI.

Poſtquam, quantum fieri potuit, indicationibus therapeuticis, quæ evacuationem ſpectant, proſpectum, & ſupra dictæ radices, Americana & Aſiatica, ſeu *Ipecacuanhæ* & *Rhabarbari*, vel una, vel altera, vel utraque, prout neceſſitas exigebat, præmiſſæ erant, nec his malum cedere volebat, inſuper ea remedia a me in auxilium vocata ſunt, quæ *acrimoniam bilioſam* ulterius *infringerent*, *corrigerent* & ſimul *læſionem* ab illa ſaburra inductam, *tonumque inteſtinorum* debilitatum reſtituerent.

§. XLII.

In his primum erat, quo utebar, antidyſentericum aliquod novum, nimirum *cortex* quidam exoticus, pariter ex America adlatus, hactenus parum notus, & antea hic loci a nemine adhibitus.

Illum vero *Amſtelodami* cognitum, & a quibusdam Medicis jam cum ſucceſſu adhibitum fuiſſe, poſtea per literas certior factus ſum.

Nomen eſt *Simarubia*, ejusque prima meutio facta eſt in *Hiſtoria & Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſis* Anni 1729. & poſtea in *Commercio Literario Norimbergenſi* Anni 1731. 1732. & 1733. ubi variis experimentis firmata tamquam utilis in dyſenteria valde commendatur in forma decocti. Cumque allegati libri non in omnium manibus ſint, ſupervacaneum haud fore credidi, ſi prius ex iis huc transferrem, quod de illo cortice prædicatur, quantum ad uſum practicum ſpectat.

§. XLIII.

Habet autem *Commercium Literar. Anni 1732. p. 201. & ſeqq.* hanc ſummam e diſſertatione quadam deſcriptam prout illa *Hiſtoria & Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſis Anni 1729.* inſerta legitur, & cujus hic erat titulus: *Diſquiſitio* de *ſpecifico* quodam *contra Dyſenteriam*, nomine *Maceris* a veteribus indicato, cui forſan Cortex cujusdam arboris Cayennæ, *Simaruba* dictus, comparari & ſubſtitui poteſt, Auctore *M. de Juſſieu*:

„ Graſſantibus Anno 1718. fluxibus dyſentericis, omnem „ vel probatiſſimarum alias medicinarum efficaciam reſpuenti„ bus, tamquam *ultimum remedium*, quo mali levamen ten„ taret Autor Cel. hunc corticem in auxilium vocavit, atque „ intellexit, nullum omnium adhibitorum tam prompte, quam „ hoc ipſum remedium ſucceſſiſſe.

„ Atque hæc una ejus perſpecta virtus Cl. Autorem inſti„ gavit, ut & alterius, qua contra *fluxus ſanguinis*, *feminis* „ adeo familiares, pollere dicebatur, virtutis tentamina ſume„ ret, quum præſertim eandem in utroque morbo cauſam ſubeſ„ ſe deprehenderet; ſed neque hic fefellerat eventus.

„ Porro de hoc cortice refert, quod ad illum *tiliæ* quoad „ externa & interna, quam proxime accedat, eandemque ha„ beat filamentoſam qualitatem, quæ ductilem ipſum & difici„ lem fractu reddit; quod idem manducatus guſtum largiatur „ ſubamarum, admodum tolerabilem, quem cum aqua, cui „ incoctus eſt, communicat. Deinde animadverſum a ſe do„ cet, aquam, hoc cortice iniecto ebullientem, albam evade„ re, mucoſam, velut lac; eandem inſignius in vaſe, quo con„ tinetur, adſcendere, quam decoctiones ſimplicium ordinarias; „ ab igne autem remotam, colorem nanciſci rubicundum, qua„ lis eſt cereviſiæ ſecundariæ.

„ Porro conſtanti per quindecim annos experientia edo„ ctus declarat, *corticis hujus drachmas duas, in aqua heminis*

„ tribus

„ *tribus ad reſiduum quadrantis* decoctas, tribus ſufficere cya-
„ this, quæ ordinaria eſt hujus remedii doſis. Lubentius
„ autem ſe propinare monet *ſimplex* hoc *decoctum*, quam pu-
„ lverem corticis & ligni ejus, quum melioris illud ſibi ſem-
„ per inventum ſit effectus, neque hauſtu ingratum.

„ Si qui tamen maluerint *Simarubam pulveriſatam*, illi
„ corticem hunc aut lignum, eum fere in modum, quo Nico-
„ tiam radere, ac ad *duodecim* aut *viginti grana*, pilularum
„ forma, aut in juſculo quodam adſumere poterunt, quæ utendi
„ ratio dubio procul illi Medicorum Indorum, pulverem hunc
„ in puſillo lactis acidi præſcribentium, cujus *Acoſta* meminit,
„ præferri debet.

„ Tandem *Simarubæ virtutes* declaraturus, perpetuum
„ & conſtantem ejus fuiſſe adſeverat, effectum in *dyſenteriis*
„ *pertinacibus*, *&* *glutinoſis*, *fluxibus bilioſis & ſanguinolentis*,
„ qui fere omnes, tertio aut ſexto cyatho hauſto, gradum ſti-
„ terunt, ſine ullo dolore, aut evacuatione ſurſum deorſumve
„ inſecuta: *Urina* unice majori copia redditur, magisque co-
„ lorata, atque in nonnullis ſubiectis abundantes ſuperveniunt
„ *ſudores*.

„ Qui hoc *Simarubæ* decoctum adſumſere, ad unum fere
„ omnes retuliſſe ſcribit, ipſos ex cyathi ſecundi hauſtu *mo-*
„ *tum quendam obtuſum* internum per totum corpus ſenſiſſe: id
„ quod adpellabant *certamen cum morbo*, haud abſimile illi,
„ quem Quinquina edit, ſiquidem opportune data ſubito repri-
„ mit inſultus febriles.

„ Et quamquam viderit Cl. Autor horum aegrotorum
„ nonnullos, qui maxime extenuati ac nauſeantes ſecunda de-
„ mum ab uſu remedii nocte ſerenitatem receperint;

„ Inventos tamen etiam eſſe fatetur, qui aut ex diætæ
„ erroribus, aut morbi reliquiis aliquot diebus poſt *recide-*
„ *runt*, a quibus nihilo minus, repetito hujus potionis per tres
„ continuos dies uſu, malum tandem profligatum eſt.

„ Hiſce cautelam de ſimarubæ tempeſtiva adhibitione ſub„ nectit, qua *periculoſum*, certe *inutilem ejus uſum* declarat, „ ubi in fluxibus ſtomachicis, ſanguineis & dyſentericis, qui „ *primarum ante viarum evacuationem* poſtulant, quam *viſcera* „ *confirmare* liceat, idem commendetur.

„ Unde prudentiæ eſſe concludit, ante *Simarubæ uſum ad* „ *remedia generalia recurrere*, immo & doſin ejus ſtátui mor„ bi accommodare.

„ Atque ſic denique ad *ipſam naturam & indolem Sima*„ *rubæ* explanandam progreſſus, materiam ſalinam acrem par„ ticulis oleoſis & balſamicis involutam in ſubſtantiam ejus in„ gredi demonſtrat.

„ Quibus omnibus coronidis loco quædam adiicit de uti„ litate ex hactenus dictis capienda, quum non ſolum cognitio „ ſpecifici in curandis dyſenteriis, nulli ſive Ipecacuanhæ, ſive „ aliorum remediorum uſui obtemperantibus, inde manifeſto „ comperiatur, ſed etiam quam temere uſualium plantarum „ catalogo eximendæ ſint, quarum virtutes non agnoſcuntur.

Et pauca hæc pro ſcopo noſtro ſufficiant: qui plura de *cortice* hoc *Guijaneo* ſcire cupit, adeat *Hiſtorias & Commentarios Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſis Anni 1729.* vel ſupra citatum Commercium Literarium *Norimbergenſe Anni 1732. pag. 387.* ſeqq. ubi ſtupenda adhuc de hoc cortice recenſentur ex itinere Equitis *de Marchais*, quod in Gujaneam, vicinasque inſulas & Cajennam ſuſcepit, vel ſchediasma ipſum *Domini Autoris*, aut id, quod ex hoc ſchediasmate D. D. *Werlhof* in ſuis *obſervationibus de febribus* pag. 100. ſeqq. excerpſit.

§. XLIV.

Nunc quid ego de *hoc cortice* in noſtro *morbo epidemico-contagioſo* expertus ſim, commemorabo.

Poſtquam ſupra relata evacuantia ante adhibueram, nec tamen dyſenteria ceſſare volebat, corticis *Simarubæ drachmas* duas

duas in ſufficiente quantitate aquæ communis ad remanentiam unciarum octo decoctas, omni trihorio vel quadrihorio unciam unam vel duas, pro ratione circumſtantiarum, ſumendas præſcripſi, ejusque uſum per aliquot dies continuos, ſeu ad plenam perſanationem continuavi.

Fateor me ex hoc decocto *minime vulgarem* percepiſſe *utilitatem* in morbo curabili.

Præſertim notavi ſingularem & præſtantiorem eius effectum in *fluxu ſanguinis & materiæ cruentæ*, utpote quem citius compeſcebat, quam excretiones bilioſas;

Quod etiam cum experimento Pariſienſi convenit, ubi quoque cum ſucceſſu adplicabatur contra fluxus ſanguinis chronicos, feminis adeo familiares.

§. XLV.

Effectus vero erat admodum *lenis* & propemodum *inſenſibilis*, nec potui proprie animadvertere, quod *urina* majori copia redderetur, aut in nonnullis ſubiectis abundantes ſupervenerint *ſudores*, nec *motum illum obtuſum internum* per totum corpus, quem aegri, uti relatum legimus, *certamen cum morbo* vocitarunt, in noſtris aegris obſervavi.

Ex diminutione tantummodo morbi, dum dyſenteria *ſub illius uſu ſimplici* quotidie leniter decreſcebat, & ſymptomata paulatim ceſſabant, concludere debui, corticem hunc amaritie ſua non ſolummodo eſſe bonum *corrigens* & *temperans*, ſed & ad *firmanda* viſcera tutiſſimum *tonico roborans* ac ſedativum, & ideo reliquis anteferendum.

Cum enim omnia fortiora & ſic dicta poſitive adſtringentia noxia eſſent, ſic contra hic cortex ſine ullo ſcrupulo & periculo adhiberi poterat, ut adfirmare queam, illum corticem, ubicunque ejus uſus ſperato ſucceſſu caruit, nullam noxam attuliſſe.

§. XLVI.

§. XLVI.

Unum in eius uſu *incommodum* erat, ſed cui in omnibus *Exoticis* obnoxii ſumus;

Eundem nimirum non niſi experientia cognoſcere licebat, num *verus* vel *ſuppoſititius* eſſet cortex, qui mihi a pharmacopolis ſuppeditabatur, & ubi genuino cortice potiri contigit, dubium erat, num *recens* an *vetuſtus* eſſet; ſic ubi laudatum ſuum effectum non adeo efficaciter præſtitit, ignorabatur, cujus culpa ſit, num nimirum vera corticis ſpecies fuerit, an vero vetuſtate primarias ſuas vires amiſerit?

Hoc me incommodum non parum ſollicitum habuit; & hanc etiam cauſam extitiſſe arbitror, cur ſanatio apud nos lentius procurata ſit, quam Pariſiis, quamquam hoc mihi ſolatio fuit, quod cura per eum corticem felicius & minori cum periculo fiebat, quam per alia uſualia, ſicque ſatis feliciter adhuc ſuccedebat experimentum.

§. XLVII.

Cum vero hoc remedium etiam cum aliis Medicis communicarem, ac e diverſis pharmacopoliis exteris idem adferri curaretur, accidit, ut plures corticis ſpecies transmitterentur, illæque hoc pacto ita *multiplicarentur*, ut cuivis ſua ſpecies ſibi optima & ad data ſigna propius accedere videretur.

Hoc autem ipſo ſtatim *magna confuſio* nata eſt, nec ordine experimenta ſemper inſtituebantur, ut de vero diverſarum illarum ſpecierum effectu judicium ferre difficile eſſet;

Inprimis, cum experimentum non ſtatim ſuccederet, extemplo ad alia confugerent, atque ſimarubæ modo *corticem Peruvianum*, modo *corticem Tamariſc. Fraxin. Granat.* aliaque adderent, vel ſubſtituerent, non meliore eventu.

Talis etiam *varietas pretii* erat, ut, cum initio pro una libra *viginti* florenos hollandicos ſolvere mihi neceſſe eſſet, poſtea libram pro *duodecim* florenis acciperem: alii dicebant ſibi libram *octo*, immo pro *tribus* & *duobus* florenis emendam obveniſſe.

Quæ

Quæ omnia non levem perturbationem adferebant, ita ut alii hoc noſtro exemplo diſcere queant, quam difficile ſit, exotica nondum ubique ſatis cognita, in uſum practicum adhibere.

§. XLVIII.

Inprimis cum poſtea, ceſſante jam morbo, quo certior mea opinio fieret, & vera corticis ſpecies dignoſceretur, eundem etiam *Lipſia* mihi adportari curaverim, denuo autem aliam inde ſpeciem nactus ſum, minime cum Hollandicis convenientem.

Immo eundem inde ab ipſa *Lutetia* per amicum, tunc temporis ibidem commorantem, conquiſivi. Hic coëmtus erat in pharmacopolio regio.

Sed ecce, cum omnes reliquæ ſpecies in aliquo tertio ſibi ſimiles eſſent, hic Pariſinus ſolus ab omnibus reliquis ſpeciebus adeo diverſus fuit & contrarius, ut vix unum characterem geſtaret, qui datæ deſcriptioni reſponderet, ita ut, a quo loco optimum expectabam, inde peſſimum genus adeptus ſim, ac præterea pro duabus unciis corticis ſex florenos Hollandicos (douze livres) ſolvere debuerim.

§. XLIX.

Interea ego *illam ſpeciem retinebam in uſu, quam initio nactus* eram Amſtelodamo, *a tribus* diverſis Pharmacopolis, cujus venditores, quantum ſcio, nil inter ſe commercii habebant, & quorum Pharmacopolarum unus ſpeciatim adfirmabat, ſe veram ſpeciem, quæ Amſtelodami a quibusdam Medicis uſurpata fuiſſet, bene noſſe, eandemque miſiſſe; deinde in hac ſententia me confirmavit amicus, qui veram ſpeciem ipſe viderat, meamque, poſtquam oculis perluſtraverat, etiam inter reliquas pro vera habebat.

Hanc vero corticis ſpeciem fuiſſe probam & genuinam, non ſolum ex eo patet, quod ad ſignificatum characterem quam proxime accederet, ſed & adparet ê bono effectu, quem apud

nos exſeruit; nam quamquam is miraculi inſtar non fuit, quantus Pariſiis extitiſſe memoriæ proditum eſt, meminiſſe tamen par eſt, apud nos plane aliam ſpeciem dyſenteriæ obtinuiſſe; forte etiam hic cortex non adeo recens fuit, cum veroſimile videatur, eum, tamquam parum notum, parumque in uſum vocatum, non admodum frequenter nec recentem mercatoribus ſubmitti, unde minor eius effectus.

§. L.

Initio *decoctum* eius ſolum exhibui, quod non neceſſarium videbatur alia adiungere, niſi quod interdum *ſyrupum papaveris rhæados*, vel *papaveris albi*, guſtum fallendi vel ſedativo ſcopo addiderim.

Ita plerumque curam noſtri morbi ſatis celeriter tutoque abſolvi.

§. LI.

Deprehendi autem non ſolummodo *decoctum commodius* ad propinandum, ſed etiam melius & *efficacius* ipſo *pulvere corticis*, qui ventriculo gravis & moleſtus eſſe videbatur, nec fluxum ita commode compeſcebat; hinc hujus uſum plane ſepoſui.

§. LII.

Si vero animadvertebam, *decoctum non ſatis præſtare*, quæ deſiderabantur, illud pro ratione indicantium & ſtatu ſubiecti adfecti *variis additamentis* efficacius reddidi;

Inprimis *Tincturam Rhei* adjunxi, ad ulterius corrigendum & ſimul educendum, quod forte de materia peccante in corpore eſſet reſiduum, *qui modus utendi ſimul Tinctura Rhei, cum morbus jam deſinere incipiebat*, optimum ſucceſſum habuit, ſiquidem ita agendo dyſenteria via tutiſſima & ſine ullo diſcrimine profligabatur.

§. LIII.

Cum vero aegri offerebantur, in quibus hæc omnia fruſtra aut ſine optato effectu adplicabantur; in quibus nimirum *tonus inteſtinorum* adeo debilis & flaccidus evaſerat, ut fluxus potius

potius paſſivus videretur, tandem ad uſum *magis roborantium* aut *fortius adſtringentium* tranſii.

Ex eorum autem numero non alia adſcivi in auxilium, quam *Corticem Caſcarillæ & ſuccum Catechu.*

§. LIV.

Primo loco ſemper exhibui *Caſcarillæ corticem*, eumque in ſubſtantia vel pulvere, ſed plerumque in *Tinctura* cum ſuperiore decocto *Simarubæ* miſtum propinavi, quo caſu decoctum illud quaſi pro vehiculo *Tincturæ* inſerviebat.

Non raro etiam dedi ſolummodo *Tincturam Rhei* & *Caſcarillæ anatica portione* ſine decocto, prout ſtatus & conditio alicujus aegri ea poſcebant.

§. LV.

Jam forte quiſpiam interrogaret, ſi *cortex Simarubæ* laudabili effectu fuit, quare ergo *Caſcarillam* adhibuerim?

Ad ea reſpondeo: corticem *Simarubam* omnino meliorem & præſtantiorem effectum præſtitiſſe, ubi fluxus cruentus adfuit, ſed ſi, hoc ceſſante, tamen dejectiones liquidæ, feculentæ, mucoſæ, perdurabant, *Caſcarillam decocto Simarubæ* ſimul admiſcui, quo facto dejectiones illæ commodius minuebantur, adeo ut hi duo cortices pro ratione indicantium optime quadrarent, & ſibi mutuam opem ferrent, ut cura citius & tutius abſolveretur.

Et revera *cortex Caſcarillæ* optime ſe geſſit, non ſolummodo partes relaxatas roborando, ſed & ſimul motus febriles, doloresque inteſtinorum leniendo ac ſedando.

§. LVI.

Hoc vero cortice quoque nihil proficiente, ad fortius adſtringens, nempe *ſuccum Catechu*, adſcendi, illumque reliquis ſupra nominatis formulis, vel in *Tinctura* vel in *pulvere* adjunxi. Et fateor virtutem eius adſtringentem non ſolum tutiſſimam fuiſſe, ſed &, ubi illa effectu caruit, ibi ne reliqua adſtringentia quidquam opis attuliſſe.

§. LVII.

Et hæc ſufficiant quoad curam & methodum generalem, quam in aegris noſtris obſervavimus.

Jam quoque de *Symptomatibus* ſermo inſtituendus erit, quæ hunc morbum in quibusdam gravius decumbentibus comitabantur; non enim omnes, uti ſupra dictum eſt, aeque graviter aegrotabant.

§. LVIII.

Horum prima fuerunt *terribilia tormina* & *dolores inteſtinorum diuturni*, qui aegros excruciabant, & quaſi exedebant.

His ut occurrerem, & *materiam acrem corroſivam* in inteſtinis hærentem, ejusque ſpicula venenoſa involverem, obtunderem, vel delinirem, nil melius excogitare poteram, quam *blanda oleoſa*, *pinguia*, *gelatinoſa*, *gummoſa*, aliaque, quæ ad *arſenici* vim infringendam maxime commendantur:

Eum in finem *interne* inprimis adhibui *oleum amygdalarum dulcium*, *oleum olivarum*, *oleum lini*, &c. magna quantitate, ad aliquod uncias ſingulis vicibus, aut quantum aegri per diem haurire poterant.

Inſuper & *Gummi Arabicum* & *Tragacantha* in aqua ſolutum, vel cum decocto *Simaruba* remixtum, præter ea, quæ infra recenſebimus, in auxilium vocavi, & hæc laudabili effectu deſtituta non erant.

§. LIX.

In eundem finem *externe* optimum etiam effectum ſumus experti a *clyſteribus oleoſis*. Illos vero præparari juſſimus vel ad imitationem Sydenhami, ex *oleo lini*, & *lactis vaccini* partibus anaticis, addita *Theriaca* certa quantitate, pro ratione aetatis & circumſtantiarum proportionata; vel ex *ſolo* ſeu *puro puto & ſolummodo tepefacto oleo lini*: toties adplicandos illos ſuaſimus, quotiescunque neceſſe erat.

Utriusque generis clyſteres ſummo fuerunt emolumento, doloresque & tormina mirum in modum compeſcuere.

In-

Inprimis vero hoc loco obſervare licuit, purum *oleum lini*, quod oleorum blandiſſimum habetur, in ſedandis doloribus, præ ceteris, maxime laudabili effectu pollere. Clyſteres vero ex ſolo lacte, aliisque parati longe minori virtute erant.

Præterea enematibus *Rhabarbari infuſum*, *Tinctura*, vel *Syrupus* ad aliquod uncias commode admiſceri poterat; omnia vero acria, ſales, adſtringentia &c. ſollicite vitanda duximus.

§. LX.

Cum vero haud pauci ex aegris neque *olea pura* ſufficiente quantitate ob nauſeam ſuccedentem per os adſumere poterant, neque etiam alii, inprimis e ſexu ſequiori, *clyſteribus* libenter, aut quotiescunque neceſſe erat, uti volebant; & præterea in tanto ægrorum numero fieri non poterat, ut in illis omnibus enemata adhiberentur, inprimis cum in omnibus torminum dolores non æquales eſſent, ut eorum uſus ubique æque neceſſarius exiſteret; *Interne* oleoſorum loco, aliud plane *novum*, pauciſſimis adhuc Medicis notum *remedium* adſcivi, nempe radicem, quæ vocatur *Salab*.

§. LXI.

Si hujus radicis *Salab* ſubtiliſſime pulveriſatæ *drachma una unciis octo aquæ calidæ* infunditur, leni calore ſuper ignem ſolvitur, ac per linteum expreſſa a paucis ſuis feculis depuratur, abit in pulcherrimam *gelatinam*, ſi ita loqui licet, *mucilaginoſam*, de hac ſingulis duabus, tribus, vel quatuor horis ſumatur cochleare dimidium, vel plus minuſve, prout neceſſitas exigit; hæc *acrimoniam bilioſam* commode *involvit*, *temperat*, *doloresque* leniſſimo modo *demulcet*, ac *mitigat*; illaque partibus ſolidis fortius adhæreſcens, arroſa *inteſtina*, tamquam *balſamo* blandiſſimo, delinit; hocque ipſo reſpectu aliis mucilaginoſis, gelatinoſis vel gummoſis præferenda eſt.

§. LXII.

Hanc *mucilaginem*, *antidyſentericam* mihi dictam, omnibus meis ægris, qui ea indigere videbantur, propinavi;

Quidam ex eius uſu tantum in doloribus & *fluxu levaminis* perceperunt, ut ſe hoc ſolo remedio valetudinem ſecundam recuperaſſe crederent. Sed ſi qui ægri parum eo ſublevabantur, id mihi mali ominis indicium erat; nam tunc inteſtina jam adeo corroſa & exeſa erant, ut humanum conſilium fere ſuperarent.

§. LXIII.

Haud ingrata eſt hæc *mucilago*; ſi quis vero eſt, cui ſapor ille minus arrideat, poteſt addito convenienti *Syrupo*, ex. gr. *citri*, *berber. papau.* &c. pro guſtu ægrotantis temperari.

Præterea nullum damnum aut periculum ex eius uſu metuendum eſt.

§. LXIV.

Hujus radicis *Salab* cum nullus adhuc Medicorum, quantum quidem novimus, ſub hoc nomine in ſcriptis publicis mentionem fecerit, præter ſolum Dominum *Albert. Seba*, non ingratum Lectori laborem nos facturos eſſe arbitramur, ſi ea, quæ ille in *Theſauro* ſuo *Rerum Naturalium* de hac radice nobis refert, huc tranſcribamus, inprimis cum opus iſtud nondum integrum in lucem editum ſit, tamque magno pretio conſtet, ut non adeo facile parabile ſit.

Exhibet autem ibidem radicis ipſius iconem *Tab. LXXXIII.* cum ſequenti deſcriptione *Tom. II. pag. 83. ſeqq.*

Num. III.

„ *Orchis Perſica*, *ſeu Salab*, *unifolium*, *bulboſum*, *duplex*, „ *flore purpureo*, *ſpecies ſatyrii.*

„ Planta hæc ad fines Perſiæ & Chinæ creſcens, binos te-„ ſticulos, ſeu bulboſas, oblongas & fibroſas radices; ſibi in-„ vicem quaſi adnatas, re vera tamen ſeparatas, gerit; ex qui-„ bus unum duntaxat naſcitur folium, convolutum circa cau-„ lem, qui ê medio coalitûs radicum porrigitur, in ſui apice „ flores emittens pulchre purpureos, ſpeciem homunculi fa-

„ ctitii

„ ctitii præ ſe ferentes, quousque explicationi ſuæ proximi „ ſunt: Explicati enim hancce formam amittunt.

„ Sinenſes & Perſæ magni pendunt hanc radicem, cui „ vim *aphrodiſiacam* adſcribunt, qua coniuges ad coitus libi- „ dinem excitet. Præterea alias etiam de illa virtutes prædi- „ cant per experientiam adnotatas. Unde peregre profecturi „ hanc usque ſecum portant, loco præcipui medicamenti, quo „ contra *quaſuis caſu adortas ægritudines & languores* utuntur.

„ Redigunt nimirum in pulverem, hujusque drachmam „ quotidie bis cum vino aut potu Chocolada adſumunt.

„ Nos quoque experti ſumus ſingularem eius utilitatem „ ad *convulſiones nervorum*, *epilepſias infantum* & *adultorum* „ atque *ſpasmos*; unde viribus fere ad radicem *Niſi*, ſeu *Ginſing*, „ accedit.

„ Bulboſæ hæ radices valde glutinoſæ ſunt, & poſtquam „ defloruere, granuloſæ evadunt, at manente tamen earum „ pingui glutinoſitate, qua a corruptione præſervantur. Exſic- „ catæ lapidis duritiem induunt; dum gelatina ipſis inhærens „ omni prorſus fluido orbatur.

„ *D. Jac. Breynius*, Plant. exot. Cent. I. fol. 94. &c. *Orchi-* „ *des* deſcribens, exhibet, quanam ratione plantæ hæ mirabili- „ bus florum ſuorum ſpeciebus variorum animantium formas re- „ ferant: Harum quædam in Tabula libri memorati repræſen. „ tantur.

„ Radix *Satyrionis* aliquatemus ſimili virtute & efficacia „ pollet, qualis de *Salab* Perſico prædicatur. Non pauci Aucto- „ res illius deſcripſere vires, inprimis autem *D. Abr. Munting* „ in deſcript. herbar. flor. bulbos. fol. 400. *Satyrium*, Germanis „ *Stendel-Wurtzel* vocatur, cujus tum & radicis *Orchidis* vir- „ tutem ſupra commemoravimus: pulveriſatæ cum ſaccharo „ datæ, *ſpasmo* & *convulſionibus nervorum* medentur: *In fluore* „ *muliebri albo & ſanguineo præternaturali* quoque uſurpantur, „ tunc & in *epilepſiis infantum*.

„ Radix

„ Radix tamen *Salab* Perſici, ut ut parum cognita huc „ usque, ne uſitata, iſtis multum prævalet.

Num. IV.

„ *Orchis*, ſeu *Salab Perſicum*; *Cercopitheci forma*, *bifolium*

„ Hæc altera *Salab* ſpecies bina gerit folia, e craſſo ſenſim in acutum deſinentia, tulipæ inſtar folii : Horum e medio „ brevis ſurgit, & intus cavus, caulis, duodecim & ultra flo- „ res proferens ; qui puſillis, recurvis, caliculis inſidentes, fi- „ guram ſimiolarum aut cercopithecorum referunt, capitello „ quaſi nigris pilis obſito, viridem inter calicem eminente, tum „ binis quoque pedibus anticis & poſticis, una cum cauda pi- „ loſa, comparentibus, ex purpureo & cœruleo variegatis : „ bulbi campaniformes, inverſæ tulipæ æmuli, plurimas tenues, „ deorſum diviſas, radiculas, quaſi digitos emittunt : Hi dum „ defloruere, effodiuntur, depurantur, & filis adligati, radiis „ ſolaribus expoſiti ſiccantur, prout ſub Num. 5. & 6. oſtendi- „ tur ; ſiccati ob ſubſtantiæ ſuæ glutinoſitatem pellucent.

„ Eædem virtutes medicatæ his, quæ prioribus, ineſſe di- „ cuntur.

Num. VII.

„ *Radices Salab*, *parvæ*, *ex Perſia.*

„ Conſulto inter colligandum cautum eſt, ne una aliam „ contingat, ſed omnes ſeparatim ab invicem exiſtant, ut ni- „ mirum a ſitu præſerventur, & tanto melius aperto aere & ſole „ undique attactæ ſiccentur. Figura, hiſce non omnibus eſt „ eadem, dum aliæ rotundæ, aliæ oblongæ, aliæ rurſus angu- „ loſæ, & magnitudine quoque diſſimiles ſunt.

„ Quamuis delineationem nullam acceperimus, per litte- „ ras nobis ſignificatum eſt, hanc paruam ſpeciem, ſimplici „ quæ bulbo conſtat, tam ratione foliorum & florum, quam „ virtutum cum prius deſcripta Num. 3. convenire.

Num. VIII.

Num. VIII.

„ *Radix Salab, Perſici, cordis figura.*

„ Hujus *Salab* ſpeciei, bulbum quæ gerit, cordis anima-
„ lis aut humani æmulum, iconem quidem non obtinuimus;
„ ſed memoratum nobis eſt, bulbum radicis, uti patet, cordis
„ figuram præ ſe ferre, tenuibus, fibroſis, radiculis progermi-
„ nantibus obſitum. Frons ternis conſtat foliis, cauli adnatis,
„ quorum medium cordiforme quoque eſt, aut trifolii aemu-
„ lum. Flores inſignes, albicantes alii, alii rubentes. Hinc
„ planta hæc congruere videtur cum *Oxalide* Africana, quam
„ Num. 9. exhibemus.

„ Perſæ hanc *Salab* ſpeciem, ob cordis ſimilitudinem,
„ pro *remedio cardiaco* habent, utiliſſimo ad *palpitationem*
„ *cordis*, & *circulum ſanguinis* debita cum velocitate promo-
„ vendum.

Num. IX.

„ *Oxys Africana, flore albo, trifolia, bulboſa, pro-*
„ *montorii Bonæ Spei.*

„ Hæc formam fere eandem habet, ſub qua radix *Salab*
„ Num. 8. nobis deſcripta eſt, utut virtute cum hac ne com-
„ parari quidem poſſit: Eſt enim indolis & ſpeciei prorſus di-
„ verſæ. vid. *Jac. Breyn. prodr. pag. 80.*

„ Tantum *Seba*, quæ etiam in *Commerc. Litt. Anni 1736.*
„ *pag. 231. ſeqq. inſerta leguntur.*

§. LXV.

Nunc etiam exponam, quid ex aliorum literis de illa ra-
dice acceperim; nimirum, hanc radicem ſub nomine *Serapias*
Arabum notam, atque a *Samuele Dale in pharmacologiæ* ſuppl.
Edit. Bremens. pag. 237. titulo *Serapias* deſcriptam eſſe. Am-
ſtelodamo vero mihi nuntiatum fuit, *Salab* non eſſe radicem,
ſed *fructum*, eumque creſcere *Conſtantinopoli* in quadam arbu-
ſcula, & præterea in oris maritimis *Indiæ Orientalis*, quæ
Anglis ſubiacet.

§. LXVI.

Si ſpeciem externam conſideras, differunt inter ſe quam maxime tam magnitudine quam figura hæ radices *Salab*, quas in uſu habuimus; quædam enim illarum oblongæ dactylum quodammodo referunt, ſed eo minores ſunt; quædam adhuc minores fructu Cacavi, aut etiam fabis Arabicis (Coffy-boonen) forma & magnitudine ſimiles, aliæ cordiformes ſunt; aliæ alias adhuc habent figuras informes; colore vel albicante vel ſubluteo, aliquantum pellucidæ, *nulla pelle* tectæ, carent odore, nec alium habent ſaporem, quam viſcoſa & muci laginoſa, atque veluti hæc, admodum tamen lente, in ore, *contra radicum naturam*, totæ liqueſcunt, diuque palato adhærent.

§. LXVII.

Quidquid vero ſit, ſive fructus, quem ſpecie externa magis aequiparat; ſive radix, illa mihi *compluribus intentionibus medicis*, inprimis vero *emolliendi*, *lubricandi*, *demulcendi*, *leniendi*, *involvendi*, *obtundendi*, *incraſſandi* ſimul & *nutriendi* ſcopo ad varios morbos ex. gr. *diarrhœas*, *adfectus cholericos*, *colicos*, &c. commodiſſimum & admodum commendabile videtur remedium, immo dignum, quod ulterioribus obſervationibus firmetur.

§. LXVIII.

Fama quidem eſt, ipſam *in adfectibus pectoris phthiſicis*, in tuſſi *catarrhali*, ut & in gravidis, ad *abortum* ab acri & tenui ſanguine præcavendum, adhiberi, ſed ea hunc in finem nondum uſus ſum, licet huic ſcopo non inepta videatur. Doſis *drachma ſemis* cum lacte cocta in pulticulam inſtar chocoladæ. Eius libra mihi ſtetit viginti quatuor florenis Hollandicis.

§. LXIX.

Et quamquam plures & accuratiores relationes de hac radice ob occaſionis penuriam nunc conſequi haud datum eſt; ſpero tamen alios his excitatum iri, ut in hæc ulterius inveſtigent, & de inventis ſuis nos certiores faciant.

§. LXX.

§. LXX.

Ut nunc ad noſtram dyſenteriam redeamus, de *narcoticis* & *opiatis*, quæ alii inter ſpecifica anodyna antidyſenterica numerant, ſpeciatim hæc dicenda habeo, illa in morbo noſtro mihi admodum ſuſpecta fuiſſe; nam ſingularem poſcebant adplicationem & attentionem, nec unquam incaute ac promiſcue erant præſcribenda, ne ſenſum & vitam obnubilando obtundendoque malum intus augeretur, latiusque ſerperet.

Ancipitem immo fatalem eventum præmaturum & largum eorum uſum habuiſſe, obſervatum eſt: Sedium enim & dolorum induciæ, quas adferebant, admodum fallaces erant. Reddebant Medicum & aegrum ſolummodo ſecuros, ut inimico malo minus, quam oportebat, obviam iretur: interea alterum ſempiternus ſomnus oppreſſit, alter inflammatione correptus interiit, aut alvi fluxus per illa ad aliquot horas vel dies ſuppreſſus dein copioſior redibat. Ut taceam, quod caput gravabant, & vires ſenſibiliter infringebant.

§. LXXI.

Fateor me nunquam ex iis talem effectum percepiſſe, qui ad eorum uſum mihi animum facere potuiſſet, ſiquidem in gravioribus & pertinacioribus caſibus validiora non erant aliis remediis mitioribus.

Cum vero, evacuata jam ſatis materia morboſa, aegri conditio eorum auxilium ſuadere videbatur, nunquam ulterius proceſſi, quam ad *Maſſam. Pilul. de Cynogl. Syrupum papaveris albi* vel *Rhæados*, *Electuarium diaſcord. Fracaſt.* & *Theriacam.* Sed tamen etiam *Syrupus papaveris albi* & *Theriaca* non admodum tuti erant: nam quamprimum illi aliquam quietem adferebant, ſtatim aegros de malo eventu narcoticorum inſtructos ſollicitudo inceſſit, & abhorrebant ab hoc medicamento, quia ſuſpicabantur illi ineſſe opium, timebantque ut ab illo ſomno unquam expergiſcerentur.

§. LXXII.

Ubi *urinæ ſuppreſſio* aderat, nec tamen illa incommodi quidquam pariebat, nulla indigebat medela.

Ubi vero *dyſuria* vel *ſtranguria*, ob conſenſum colli veſicæ cum inteſtino recto, malum comitabatur, *balſamus Sulphuris ſimplex* vel *aniſatus* egregie ſe geſſit, inprimis in principio morbi; modeſte vero ad paucas guttas ſemel vel bis tantum in die cum decocto *Simarubæ*, aut aliis mixtus, exhibendus erat, alias alvum ſimul ſtimulare obſervabatur.

§. LXXIII.

Cum *motus febriles* non tamquam ſymptoma morbi hujus eſſentiale eſſent conſiderandi, perraro illis obuiam eundum erat per alia medicamenta, quam quæ acre bilioſum, & materiam putridam humorum corrigendi, obtundendi, & leniter evacuandi ſcopo propinabantur.

Si vero neceſſitas urgeret, ſupra dictis admiſcui lenia diaphoretica, ut & præcipitantia atque abſorbentia, qualia ſunt ex priori claſſe *Eſſentia Gentianæ rubræ* vel *Pimpinellæ albæ* cum *Eſſentia Caſcarillæ* mixta; ex poſteriori vero *lapides cancrorum, conchæ præpar. antim. diaph.* &c. eaque ſuffecere.

§. LXXIV.

Neque *præcordiorum anxietates* aliud admittebant medicamen, quam quæ ſupra jam recenſita ſunt; nam ſi iis non tolluntur, nec cedunt, haud vanum metum de viſceribus infectis & de ſphacelo imminente aut jam præſente incutiunt.

§. LXXV.

Ad *abdominis ſpasmos, dolores* &c. mitigandos, *Emplaſtrum de ſapone* cum *camphora*; ad *alvi fluxum* vero moderandum *Emplaſtrum de Theriaca*, *Empl. de cruſta panis* cum *vino rubro* & *nuce moſchata*, *Empl. de Gummat. ſtomachale*, *oleum nucis moſchatæ expreſſum*, abdomini externe adplicare ſuaſimus. Effecerunt quod valebant, non vero quod debebant.

§. LXXVI.

§. LXXVI.

Regimen diæta per totum morbi decurſum exacte obſervandum erat. Omnis victus ſic inſtituendus fuit, ut quantnm fieri poſſet, *veneno alcaleſcenti* reſiſteret.

Ex claſſe alimentorum itaque non niſi tenuiſſima, concoctu facilia, blanda, farinacea, mucilaginoſa, ad aceſcentiam prona adponebantur, cujusmodi ſunt pultes ex *hordeo*, *oryza*, *avena*, *milio* &c. cum *lacte* paratæ; ad hæc juſcula gelatinoſa e *carne ovilla*, *vervecina*, in frequenti uſu fuerunt; aliarum tamen carnium juſcula, inprimis *gallinarum*, *pedum vitulinorum* &c. eadem bonitate valebant, ut & eorum & *Cornu Cervi gelatinæ*. Porro permiſimus *panem album*, *biſcoctum*, *ova* recentia ſorbilia ſola, vel cum *lacte* admixto parata, utpote quæ *ova* non adeo reformidanda ſunt, ob vanum vulgi metum, ac ſi bilem magis augeant; potius egregium demulcendi & ſimul nutriendi præſtant effectum.

Vitandi contra erant omnes cibi crudi, difficilis digeſtionis, mali nutrimenti, & qui corruptioni facile obnoxii erant; omnis generis piſces, caro ſuilla &c. inprimis longe faceſſere juſſimus omnia calida, acria, aromatica, ſalſa & ſales.

§. LXXVII.

Pro potu erant *Ptiſanæ* ex ſupra dictis, *milio*, *hordeo* &c. *Decoctum* ſic dictum *album Sydenhami*, infuſum calidum *Theæ* ut & *Caffeti* cum lacte, *emulſiones amygdalarum* dilutiores, &c. Conceſſimus etiam *aquam fontanam*, non quidem crudam, ſed coctione depuratam, & paululum refrigeratam, vel puram, vel cum *pane toſto & ſucco citri* temperatum, ad reſtinguendam *ſitim pro lubitu*, non ſolum ſine ulla noxa, ſed & erant, qui vix alium potum adpeterent. Et quamvis hoc aliorum ſententiæ repugnet, meminerint, oro, quantum ſolatii capiant aegri, ſi tali potus deſiderio flagranti ſatisfiat, quantumque materia acris eo ſimul elui poſſit, modo minoribus, & non actu frigidis hauſtibus biberint.

Porro uſum *lactis ebutyrati* recentis ejusque *ſeri* aegris multum commendavimus, optimumque exinde effectum vidimus; pollet enim virtute abſtergendi, & ſimul reſiſtendi putredini, ortæ ab alcaleſcentia bilis; hinc vanus erat eorum metus, qui ſero lactis aegris ſuis interdixere.

Suaſimus etiam quam maxime *vinum Rhenanum* & *Moſellanum*, non quidem vetus ſolum & generoſum, ſed etiam levius & tamen bonum, quod guſtatu gratum & ſubacidum erat; *ob hanc* enim ſuam *aciditatem* per totum morbi decurſum egregie profuit, nulla habita febris ratione, ſive adfuerit, ſive non, vinum modo modice & medice adhiberetur, contra opinionem eorum, qui morbi genium ignorantes ejus uſum diſſuadebant: putredini bilioſæ reſiſtit vinum, tonumque ventriculi & inteſtinorum reſtituit ac roborat, viresque amiſſas reſarcit; eoque ſolo jam multos, a dyſenteria quam maxime excruciatos, reſtitutos fuiſſe, hiſtoriæ narrant.

Adhæc *ſuccum citri* condimenti loco omni cibo & potui ad gratiam ſaporis admiſcendum curavimus, idque ſalutari cum ſucceſſu. *Acida* enim *blanda* materiam putreſcentem, ubi in corpore eſt, non ſolum corrigunt, ſed & veneno bilioſo utique reſiſtunt, illiusque ſpicula alcalina maligna potenter infringunt, ſitimque ſimul reſtinguunt; nec adeo reformidanda ſunt, ut quidam autumant.

Acetum enim ipſum in adfectu dyſenterico cum ſucceſſu adhibitum fuiſſe apud alios legimus, quamquam eo non uſi ſumus utpote gratioribus ſatis inſtructi:

Longe vero abeſſe juſſimus potus feculentos, & ad repentinam fermentationem pronos, quales ſunt *cereviſia* recens, ut & talis potus, quem hic *Moll* adpellant.

§. LXXVIII.

Vina generoſiora, fortia, ſpirituoſa & dulcia, ex quorum genere eſt *Hiſpanicum, vin Tint* dictum, non bene ferebant aegri,

aegri, quamuis alii pro ſummo arcano in hoc morbo habebant; anxietates potius, aeſtum & ſitim excitabant.

Vina autem *auſtera* & *adſtringentia*, cujusmodi eſt Galſicum illud rubrum, dictum *Pontack*, utique nocebant, inprimis ſub initium morbi, neque etiam in declinatione eius laudabilem inde effectum vidimus, hinc aegris meis eius potum diſſuaſi, raroque aut non niſi ſuperato jam morbo bibendum conceſſi.

§. LXXIX.

Poſtremum *quieta* quoque *corporis continentia* ſervanda, & *calor* decens veſtibus integumentisque aliis procurandus erat:

Motus corporis, *frigus*, omnesque *animi adfectus* inprimis ira, mœror, metus &c. maxime vitandi fuere, nam iis malum facile exaſperabatur.

§. LXXX.

Dyſenteria in *longius protracta*, viribus tamen adhuc valentibus, interpoſita ceteris medicamentis *Ipecacuanha*, vel pulvere *Rhabarbari*, in paulo majori doſi, fortius evacuandi ſcopo, ut plurimum ſiſtebatur; fortiora vero purgantia iis admiſcendo, ex gr. ſcammoniata & ſimilia minime tuta fuiſſe, ſæpius notavimus.

§. LXXXI.

Ubi vero malum per multas hebdomadas, immo menſes perſeveravit, ut inteſtina jam abraſa, exeſa aut exulcerata eſſent, non amplius ut dyſenteria ſimplex, ſed ſimul ut *ulcus fœtidum*, *maligni moris*, *cancroſum*, tractandum, medicamentisque ordinariis balſamica ex. gr. *Gummi Olibanum*, *Maſtiche*, *Succinum*, *Terebinthina*, aliaque his ſimilia, admiſcenda erant, licet rariſſime illis uſus ſim

Gummi vero *Arabicum* in hoc caſu egregie ſe geſſit, quare maxime commendandum, ac ceteris anteponendum erat.

§. LXXXII.

Cœliaca ſpecies remanens medicamentis, digeſtionis negotium

tium promoventibus, roborantibus &c. ex. gr. *Tinctura caſcarillæ* cum pauxillo *Tincturæ Rhei* mixta, *Mixtura tonica*, ex *Tinctura antimonii* cum *ſpiritu cornu cervi* anatica portione parata, *Tinct. Vitriol. Martis Lud.* &c. interpoſita aliquoties *purgatione fortiori*, tollenda erat, ſic chyli excrementis mixti exeratio ſenſim minuebatur, & tandem evaneſcebat.

§. LXXXIII.

Oedemata pedum & *abdominis tumor*, poſt dyſenteriam refractariam debellatam orientia, iteratis alvi evacuationibus cum *Extracto panchymag. Croll. Scammonio*, *Mercurio dulci*, *Pilulis Becheri correctis*, inſtitutis &c. mitioribusque tonicis, qualis eſt modo dicta *Mixtura tonica*, facile cedebant.

§. LXXXIV.

Poſt dyſenteriæ curam victu & regimine perquam exquiſito per aliquot adhuc hebdomadas opus erat, ac ſi morbus adhuc vigeret. Deprehendi enim homines hoc negligentes, omniaque, quæ collibuit, agentes, qui deinde *recidivam* paſſi ingens periculum ſubibant, & ſatis diu priſtino cum malo luctabantur.

§. LXXXV.

Habes hic amice Lector, *meam methodum* & *arma*, quibus hanc luem oppugnavimus, non infelici cum ſucceſſu. Hæcque pauca nobis ſufficere videntur. In his enim omnibus regulæ poſitivæ proponi non poſſunt. ſufficit, ſi præcipua & commodiſſima in quovis caſu nobis cognita ſunt.

Exiſtimo vero, me omnia adeo diſtincte & dilucide explicaſſe, ut quilibet Medicus, adhibita diligentia & judicio facile inde perſpicere queat, quid ſibi ſimili in caſu agendum indicetur. Adeoque ſupervacaneum nunc erit, caſus & curationes ſingulorum aegrorum hic prolixe enarrare, quandoquidem Medicum non ſtricte ex his exemplis, ſed ex ſuis indicantibus curationem inſtituere oportet.

§. LXXXVI.

§. LXXXVI.

Hanc vero *noſtram methodum* eſſe *tutam*, alioſque etiam abſentes Medicos, quibuscum eam communicavimus, metu minantis vicini contagii, eandem cum ſucceſſu adhibuiſſe, tres his adiuncti caſus nobis tranſcripti teſtantur, quorum prior ita ſe habet: „ Virgo 30. circiter annorum die 18. Octobris Anni „ 1736. ſimplici diarrhœa corripitur, quæ ſenſim decreſcens „ cum levamine, (ita ut die ſubſequente 21mo eiusdem menſis concioni adeſſe potuerit, ſolummodo duas dejectiones illo „ die experta:)

„ Die 22do mane hora circiter ſemi ſexta magno cum impetu, „ anxietatibus, dejectionbus liquidis admodum, veluti aqueis, „ leviter coloratis, & conjuncta febre iterum invaſit, ut decumbere cogeretur.

„ Mox dedi *radicis Ipecacuanhæ drachmam ſemis*, quæ „ duos vomitus valde anxios excitavit: Deinde omni quadrihorio cochlear unum *Tincturæ Rhei aquoſæ ſimplicis* nullo addito ſale.

„ Statim poſt vomitum dejectiones in quantitate quidem, „ ſed non in qualitate minuebantur, ita ut illo meridie tantum „ tres habuerit. Febris non plane ceſſabat, ſed non adeo vehemens erat, ſicuti etiam tormina & anxietates, quæ admodum tolerabilia erant, excepto, quando alvum deponebat, „ ubi ſemper augebantur. Tenesmus quoque, ab initio conjunctus, inprimis moleſtus erat.

„ Die 23o dejectiones & omnia reliqua ſymptomata adhuc magis imminuta erant. Die vero 24to verſus meridiem „ rurſus augebantur, materia exiſtente cruentiore, quare *Tincturæ Rhei unciis tribus* adieci *drachmas ſex Tincturæ Caſcarillæ*, & eodem modo uſurpare juſſi: Mox fluxus alvi atque „ tormina anxietatesque maxime moleſtæ ceſſabant, materia „ evadente ſpiſſiore, & ſubſequente ſudore, præcipue tempore

„ matutino, quo febris admodum minuebatur, quodque ſem-
„ per obſervavi, quando cura ſucceſſit.

„ Die 25to ejusdem menſis tantum bis exoneravit al-
„ vum, quæ ſequentibus diebus tam in quantitate, quam in
„ qualitate melior fiebat.

„ Remanebat tamen in infimo ventre ſenſus alicujus ponde-
„ ris, quem ab inteſtinorum laxitate eſſe reputans *ſola Eſſentia*
„ *Caſcarillæ* ad 40. guttas omni quadrihorio ſumenda, remove-
„ re ſtudui, atque illo etiam cum effectu, ut quotidie decre-
„ ſceret, donec tandem uſu *Tincturæ noſtræ tonicæ* (*) ad 50.
„ guttas quater per diem plane diſpareret, ſubſequente menſium
„ fluxu.

Reliqui duo caſus in compendium redacti ita mihi reſcri-
pti ſunt. „ Præterea duas mulieres ex ejusmodi dyſenteria de
„ qua ante, laborantes, tractandas habui, eademque metho-
„ do curavi, excepto, quod *Ipecacuanham* non exhibuerim,
„ quia ab initio ſua ſponte ſatis vehementer vomebant, ſed ſo-
„ lam *Tincturam Rhei*, ac deinde *Eſſentiæ Caſcarillæ* permixtam,
„ poſtmodum autem *Eſſentiam Caſcarillæ* ſolam.

„ Verum, quia harum altera præter modum inteſtinorum
„ tormina ſentiebat, *Tincturæ Rhei* & *Eſſentiæ Caſcarillæ Syru-*
„ *pum papaveris Rhœados* aequali cum *Eſſentiæ Caſcarillæ* quan-
„ titate, addidi.

§. LXXXVII.

Cum jam enarravimus, quid Medicus rationalis facere poſſit, etiam nonnihil commemorandum eſt de illis *curis tumultuariis*, ac *remediis*, ut aiunt *domeſticis*, quæ incauta plebs aliique artifices ad debellandum hunc morbum, præter rationem adhibuerunt.

Vanos ſane, fallaces, immo funeſtos ut plurimum ejusmodi fuiſſe conatus, facile coniicere poteſt, qui cognoſcit, omnium

(*) vid ſupr. §. LXXXII.

omnium ejusmodi vitio creatorum Medicaſtrorum unicum ſcopum eo collimaſſe, ut alvi fluxum tantummodo ſupprimerent & adſtringerent, parum ſolliciti, num materies peccans evacuata, aut ſatis correcta ſit, nec ne? Unde certe nihil, quam certum incommodum poterat exſpectari, multiplici experientia id ſatis comprobante.

§. LXXXVIII.

Inter innumera autem fere talia remedia, quæ circumferebantur, notabiliora, quæ mihi innotuerunt, erant ſequentia:

a.) Fuerunt, & quidem plebeji homines, qui nihil præter *frumenti ſpiritum* vel ſolum, vel cum pulvere *Nucis Moſchatæ*, vel cum *oleo olivarum* maritatum, copioſe hauriebant, ejusque effectum ad curandum aeque ac præſervandum commendabant; Vix vero & nonniſi certis ſub conditionibus admittendus erit ille ſpiritus ardens, ubi nimirum mitior dyſenteriæ gradus aut ſimplicior potius diarrhœa, a mala diæta & ventriculi inteſtinorumque tono labefactato, adeſt.

b.) Quidam ſumebant ſolum *oleum olivarum* cum *ſaccharo*, non infelici ſucceſſu.

c.) Famoſum fuit remedium feminæ *Barths* dictum, quod in dyſenteria Anni 1702 miracula præſtitiſſe ferebatur, conſtans ex *ſacchari* unciis duabus, *olei olivarum* albi optimi, & vini rubri, *Pontak* dicti, ana unciis ſex, quæ mixta duobus hauſtibus mane & veſperi adſumuntur; an meliori ſucceſſu, quam primus, non vidi.

d.) Alii *Nucem Moſchatam* cum *vino rubro & ovo cocto duro* commendabant. Ancipitis ſane effectus remedium.

e.) *Semen Plantaginis* cum *aqua* ejusdem *deſtillata* adſtringendi ſcopo laudabant alii.

f.) Ruſticorum nonnulli eundem in finem decoctum radicis *Tormentillæ* adſumebant.

g.) Complures e vulgo maſticabant *Cortices Granatorum*; alii eorum decoctum cum aqua factum hauriebant.

h.) Alii ſumebant cochlear unum *ſeminis cumini*, torrebant in vaſe terreo novo, ad rubedinem usque; huic addebant fruſtum *pomi Granati* arefacti, magnitudine denarii ſive ſchellingii, contundebant una cum ſemine cumini, miſcebantque paulo *ſaccharo bruno*. Hujus mixturæ aegris dabant dimidiam partem mane & dimidiam veſperi, quo ſumto jubebant bibere dimidium vitrum *lactis ebutyrati recentis*, & eo deficiente, eandem quantitatem *aquæ fontanæ*, addito præcepto, ut id quotidie continuaretur, donec malum ceſſaret.

i.) Decoctum *Corticum Quernorum* priorum loco ſumebant alii, itidem adſtrictionis ſcopo.

k.) Alii ſolum *lac dulce* recens commendabant, ſi non optato, ſaltem meliori effectu (*)

l.) Quidam *capita papaveris albi* in *lacte* cocta ſuadebant, quo decocto ſumto fluxus quidem aliquamdiu ceſſabat, ſed poſtea majore cum vehementia redibat.

m.) Mulier quædam *Ligni Braſilienſis rubri* uncias duas in *lactis* libris duabus per ſemi quadrantem horæ coquendam, & ejus colaturam propinandam commendavit, adfirmans hanc colaturam in dyſenteria Anni 1702. multis profuiſſe. An experimentum nunc in noſtro morbo factum ſit, non comperi.

n.) *Lacti album græcum* incoquendum alii præceperunt, ac mirabiles inde effectus polliciti ſunt.

o.) *Argentinam* cum *lacte* dulci coctam & epotam nonnulli valde commendabant.

p.) Circumforaneus quidam hoc tempore adiit ad Ampliſſ. Magiſtratum, venditans ſe intra triduum aegros ſanaturum. Secretum iſtius erat: *Argentinam* in *lacte*, aqua diluto coquebat, illique addebat nonnihil *pollinis*, *Nucis Moſchatæ*,

(*) Ludovicum dyſenteriam Epidemicam, in exc[illegible] graſſantem, *cera alba* in *lacte calido* liquefacta, totam extirpaſſe refertur.

ſchata, *vitellos ovi*, *oleum olivarum* & *ſaccharum*. Hoc potu adfirmabat malum ſanatum, ſeu potius fluxum adſtrictum iri; verum enim vero omni aegrorum cura illi interdicebatur, quia peſſimæ & funeſtæ ſequelæ adſtringentium, experientia teſte, jam ſatis ſuperque notæ erant

q.) Sunt qui e *Charta alba* in *lacte* pultem coxerunt, ut ea inteſtina obducerent opplerentque. Hoc remedium ex reliquiis dyſenteriæ Anni 1702. reſtabat. Relatum enim audivi, homines tunc ſumſiſſe ſex plagulas papyri tenuiſſimæ, quam vocant *Poſt-papier*, easque teſſelatim conciſas in quatuor pintis lactis dulcis coxiſſe ad reſiduum duarum pintarum, & hoc conditum chartaceum glutinoſum, tunc profuiſſe crediderunt; at noſtro tempore plane contrarium.

r.) Novi feminam Gallicæ nationis, quæ *plagulam chartæ combuſtam*, *vinoque Rhenano* mixtam, hauſit, & ſe bonum inde effectum ſenſiſſe prædicavit.

s.) Quidam *herbas vulnerarias adſtringentes* in *aqua calcis viva* coctas aegris obtulerunt, nullo bono ſucceſſu.

t.) Alii *panem toſtum & uſtum* pro arcano habuerunt, haud meliore exitu.

u.) Chirurgus quidam, quondam caſtrenſis, dicebat, in caſtris maximi uſus fuiſſe bolum ex *ſalis volatilis Succini*, *ſalis vol. Cornu-Cervi*, *florum ſalis Armoniaci*, *croci*, & *opii* partibus anaticis paratum, fabæ magnitudine ter per diem ſumendum. Sed ſucceſſus ex eo felices non erant, nec tales eſſe poterant.

x.) Erat, qui ſuadebat *pollinem* aquæ incoquendum, eique contritum *Macidem* addendum, & de hac *pulte* ſingulis horis cochleare unum ſumendum eſſe. Hoc pultis genus adfirmabat abhinc aliquot annis in Noſodochio Silvæ ducis uſurpatum fuiſſe.

y.) Quædam femina in hac urbe conſilium dabat vicino ſuo, ut tali pulte *triticea* uteretur, & aeger ex eius uſu convaluit,

luit. Eandem & alteri ſuadebat, ſed hic diem obiit. Cum jam & ipſius maritus eodem morbo corriperetur, ſcientiæ ſuæ diffiſa me arceſſivit, maritusque reſtitutus eſt. Idem & aliis accidit, ut conſilium alteri darent, ipſi ſibi conſulere neſcirent.

z.) Alii tamquam ſingulare laudabant hoc migma. Rec. tria cochlearia *farinæ hordei*, tria cochlearia *ſacchari albiſſimi*, libram unam *aquæ roſarum*, duas libras *lactis dulcis*, coquuntor & bibuntor.

aa.) Alii ſuadebant, ſumendos eſſe duos *renes ovillos*, aequales partes *ſebi ovilli*, drachmas ſex *Cinnamomi*, (*) Hæcque in quatuor pintis *lactis dulcis* coquenda & haurienda eſſe.

bb.) Alii tantum *ſebum ovillum*, aut *candelam lacti* inſtillabant, quo facto lac verſatum ebibebant.

cc.) Alii laudabant *panem album* adhuc *calidum*, *oleo olivarum* imbutum, & comeſtum.

dd.) Alii præmiſſo purgante *rhabarbarino* aliquot drachmas *Theriacæ* in *vino calido* dabant, jubebantque, ut aeger ſe in lecto componeret, ac fortius ſudaret, id quod quibusdam profuiſſe perhibetur; in diarrhœa, ut opinor, ſimpliciori potius, quam in vera dyſenteria.

ee.) *Cereviſiam recentem* multos ſanaſſe fama ferebat.

ff.) Ruſtici quidam nil niſi *lac ebutyratum* ejusque *ſerum recens* calefactum biberunt, & hoc ſolo remedio ſeſe ſanatos eſſe gloriati ſunt, ejusque effectum ſummis extulerunt laudibus, idque non ſine ratione, ut ſupra jam demonſtravimus.

gg.) Et ab amico, Medico, didici, ipſum olim *diarrhœam* pertinaciſſimam, *gryſeam*, ſtriis ſanguineis intermixtam, *ſolo lactis recentiſſimi ebutyrati*, cui multa *butyri fruſta* innatabant, uſu percuraſſe, quæ nullis aliis remediis cedebat.

hh.)

(*) *Cinnamomum* totam diem maſticare & ſalivam illam deglutire commendat Baglivius.

hh.) Ab eodem amico mihi relatum eſt, *principium mali dyſenterici a fructibus* ingeſtis, ac tormina ventris inde orientia, *Helvetium*, Practicum haud ignobilem Hagæ Comitis, olim feliciter ſanaſſe, *caſeum veterem* exhibendo.

ii.) Medicus exterus tamquam remedium probatum ſuæ inventionis ſummis laudibus extollebat ſequens decoctum: Rec. *aquæ* & *lactis* ana menſuram unam, *florum papaveris erratici* manipulos duos, *Terræ Catechu* drachmas tres vel quatuor, *Nucis Moſchatæ* numero unam, *Cinnamomi* unciam unam cum ſemiſſe, *Macidis* drachmam unam: coquantur una ad reſiduum trium partium, decantatis addantur *vitelli ovorum* numero duo, &, ſi placet, parum *ſacchari*; mixta propinentur aegris, quantum adpetunt, non pauca doſi, ſed integris catinis, qui ultra dimidiam lagenam capiunt. Hoc remedio ſanavit propriam uxorem, quæ morbum per contagium hic excepit, & in itinere domum reverſura eo adflicta fuit.

§. LXXXIX.

Quis vero omnes illas inventiones, tentamina, conſilia, & auxilia recenſere poterit, quæ hominum induſtria ad ſanitatem recuperandam excogitavit?

Eſt quidem unum alterumve horum remediorum, quod indicationi aliquo modo conſentaneum eſt, & quod certis ſub circumſtantiis aegroto opem ac levamen adferre poteſt, ad curam tamen rationalem veræ dyſenteriæ minime ſufficere quibit; Benignitati morbi potius adſcribendum erit, ſi tentamen tale empiricum, ſufficienti ratione ac multiplici experientia deſtitutum, in uno vel altero ſubiecto ſucceſſit.

Medicus vero rationalis cum ex tam incertis atque etiam plerumque incongruis, ne dicam ineptis, tentaminibus, vix certi quid ſperare, aut ſibi polliceri poſſit, hinc illa lubentes miſſa facimus, contenti *noſtra methodo*, cui *Deus* T. O M. etiam ita benedixit, ut eius clementiam publice deprædicare nos maxime obſtrictos profiteamur.

§. XC.

§. XC.

Poſtremo coronidis loco addam *Conſilium* alterius *Medici exteri*, quod ad quandam matronam perſcripſerat. Monitum tamen cupimus Lectorem, cogitet, ejusmodi conſilia, ab eruditiſſimis etiam Medicis conſcripta, ut plurimum talia eſſe, qualis fuit relatio & confeſſio conſulentium; itaque ſi ſcopus non utique nec ſemper attingitur, id relationi minus accuratæ potius, quam conſultori, adſcribendum erit.

Conſilium vero ex gallico ſermone latine redditum, hoc erat: „ *Dyſenteria*, quemadmodum omnes reliqui morbi, tra„ ctanda & ſananda eſt pro *Cauſa* mali, quæ eam produxit.

„ In *dyſenteria Epidemica* communiter obſervantur duo „ Cauſarum genera, aut *inflammatio inteſtinorum*, aut *mate*„ *ries acris, rodens & corroſiva.*

„ Prior curanda eſt per *Venæſectiones* largas, iteratas, „ prout ſunt aut dolores, aut vires aegroti; per *cataplasmata* „ *emollientia*, *anodyna*, per *diætam refrigerantem*, *diluentem*, „ per *clyſteres leniores* & ſæpius de die adhibitos. In hoc caſu „ omnia *emetica* & *purgantia* aegrum enecant.

„ Contra, ſi dyſenteria habet pro cauſa materiem corroſi„ vam, e veſtigio id agendum, ut inteſtina liberentur hac acri„ monia per purgantia lenia, iterata, uti etiam per vomitoria. „ In purgantibus *Rhabarbarum* eſt unum ex optimis & præci„ puis: primis duabus tribuſve vicibus poteſt exhiberi ſimplici„ ter *infuſum* cum exigua quantitate *Mannæ* in aqua commu„ ni; hoc facto *ſubſtantiam* eius præfero; ſi poſt hujus uſum „ dolores & ſedes minuuntur, uſurpo *Rhabarbarum toſtum* & „ in fine *aſſatum*.

„ Inter emetica *Ipecacuanha* eſt tutiſſimum; ea utendum „ eſt, antequam vires ægri ſunt proſtratæ: doſis pro adulto „ eſt drachma ſemis, ſeu grana triginta, pro juvenculis X. XII. „ annorum ad grana quindecim, pro parvulis IV. aut VI. anno-

„ rum

„ rum quinque vel ſex grana, cum cautela neceſſaria, & vulgo
„ in emeticis obſervata.

„ Interea non negligendus eſt uſus emollientium & ano-
„ dynorum; hoc ſcopo *emulſiones amygdalarum* admodum com-
„ mendantur cum *ſemine papaveris*, uti & *oleum*, inprimis
„ *amygdalarum dulcium* recens, *ſperma ceti* & gummata ſine
„ ſapore, qualia ſunt *Tragacantha*, *Arabicum*, &c. *Clyſteres*
„ ſunt etiam magni uſus, facti ex *terebinthina*, *lacte*, *aqua &*
„ *vitello ovorum*. Hæc omnia adplicanda ſunt tempore dolo-
„ rum.

„ Ubi illi aut jam bene diminuti ſunt, aut ceſſarunt, &
„ fluxus adhuc non deſinit, recurrendum eſt ad *adſtringentia*,
„ quæ, cum morbus eſt in ſuo furore & dolorificus, certe in-
„ terfectura eſſent aegrum. *Cortices Granatorum*, *Corallia ru-*
„ *bra*, *terra Catechu*, & multa alia ſunt valde proficua; ſoleo
„ ſemper iis admiſcere quædam grana *Rhabarbari toſti*, præ me-
„ tu, ne remaneant quædam reliquiæ materiei.

„ Quod reliquum eſt, Medicus exercitatus in praxi debet
„ dirigere remedia pro natura ſymptomatum, & interdum ad-
„ hibere præparata ex *opio*: ſed quia hæc non ſunt remedia pro
„ unoquoque, non audeo ea commendare.

„ Hæc pertinent ad Medicum, qui vidit & videt aegrum,
„ ut judicet de tempore, quo exhibenda ſunt, & de doſi, & de
„ præparatione; his rite penſitatis illa tunc dicta cum pruden-
„ tia utiliter poſſunt in uſum adhiberi;

„ Iterum idem obtinet in quibusdam *purgantibus*, quæ non
„ poſſunt, neque debent in vulgus proponi, ideo, quod iis
„ tantum mali, quantum boni, adferri poteſt; Nam ſi dyſente-
„ ria non cedit ordinariis remediis, auxilium petendum ab ex-
„ traordinariis, quæ neceſſaria cum dexteritate adhibita opti-
„ mum ſucceſſum nanciſcentur.

§. XCI.

Tandem de *morbo dyſenterico*, qui *Anno 1702.* hic graſſa-

tus fuit, e catalogis formularum, qui in pharmacopoliis adſervantur, colligere potui, illum cepiſſe ſub initium *menſis Julii* & ad finem *Novembris* duraſſe.

Porro e dictis formulis præſcriptionum patebat, ***medendi methodum*** tunc fuiſſe hanc: ut præmiſſo pulvere ***Rhabarbari***, vel ſolo, vel cum *Nuce Moſchata* mixto, vel etiam cum ***reſina Jalappæ*** addito e *Mercurio dulci ſtimulo*, atque uno vel altero grano ***Laudani opiati***, ſtatim ad adſtringentia modoque dicta opiata tranſirent;

Et quidem in illis præcipua erant *aqua plantag. menth. cinnamom.* &c. *cinnamomum* in ſubſtantia, *terra Catechu* in pulvere, *Tinct. Catechu, Tinct. lap. hæmatit. Tinct. cinnamom. Sanguis draconis, Corallia rubra, Terra ſigillata, Cornu Cervi uſtum, Rhabarb. toſtum, Nux Moſchata, rad. Tormentill. fol. Argentar. Confect. de hyacinth. Cortex peruv. Winterian. Creta alba, Syr. roſar. rubr. Syr. Cydon. Syr. mirtillor. &c.*

In his vero *Laud. opiat. Tinct. anod. Theriaca, diaſcord. Fracaſt. Maſſ. pil. de ſtyrace, Syr. papav. rubr. & alb.* &c.

Quibus interdum adiungebant *Nitrum purum*, vel *antimoniatum. Antim. diaph. lap. cancror, Sal. vol. oleos. Bals. ſulph.* interpoſita rarius *gelatina Corn. Ceru. & mucilag. ſem Cydon.*

Tandem *clyſteres* ex *fol. argent. flor. chamom. melilot.* &c. cum *lacte* præparatos, addita *terebinth. venet.* &c. ſed non adeo frequenter, præſcribebant.

In quo vero aegrorum ſtatu horum quodlibet ſpeciatim in uſum vocatum ſit, non poterat coniectura determinari.

CAPUT IV.

Complectens Prophylaxin, ſeu methodum præſervativam contra Dyſenteriam bilioſam.

§. I.

POſtquam tantum de hoc adfectu dixi, quantum ad cognoſcendum & curandum eum ſufficere poteſt; Nunc quædam de

de *modo præſervandi* ſuperioribus erant adjungenda. Medici enim officium eſt, non ſolum corporibus adfectis opem ferre, ſed etiam ſana a morbis, quantum fieri poteſt, præſervare. Tutius etiam immo optabilius eſt, morbum futurum arcere, quam præſentem expellere poſſe.

§. II.

Et ſane *noſtri cives* haud minus de præſervativis, quam de curativis remediis ſolliciti erant. Quilibet hunc morbum horrebat, & ſe ab illius invaſione munire ſtudebat. Hac mente & a domeſticis & ab exteris Medicis auxilium petebatur, multaque conſiliorum erat copia. Quilibet pro captu & ingenio ſuo arma ſuppeditabat adverſus imminentem hoſtem, nominetenus tantummodo ſibi ſæpius notum, minime vero intime, & ſecundum ſuum genium perſpectum, hinc ea, ut propius examinemus, neceſſe erit.

§. III.

Antequam autem progrediamur expoſituri, quid nos aliique in hunc finem ſuaſerint, prius quæſtio erit expedienda, *num* re vera etiam in rerum natura *dentur remedia* adeo potentia & efficacia, quæ a morbo contagioſo *præſervare* queant? ſi enim ex. gr. homo ſanus ingrediatur cubiculum, ubi decumbit aegrotus, morbo contagioſo laborans, ille, experientia teſte, in periculo verſatur, ne eundem morbum ſuſcipiat. Ubi vero ſanus ille homo hoc miasma contagioſum ſuſcepit, & e veſtigio ac mature conſilio & remedio utitur; quæritur, annon venenum illud extingui poſſit, antequam in corpore radices agat, aut vires ſuas exſerere queat?

Iterum hic in utramque partem diſputatur; quod alii adfirmant, alii negant.

§. IV.

Ut vero mentem meam paucis exponam, dico *Medicinam rationalem* omnino exigere, ut in omni morbo, contra quem nos munire ſtudemus, ad illius *phyſicam* & ſpecificam cauſam

 reſpi-

reſpiciamus, eique *phyſice contraria* opponamus. Hinc omnium *formularum præſcriptiones* pro baſi expoſcunt talia corpora phyſica, qualia experientia nos docuit, in hoc vel illo morbo directe & ſpecifice infringendo debellandove, præ ceteris ſingulari præſtare virtute.

§. V.

In hoc certe maximus Praxeos Medicæ vertitur cardo; & ſecundum hanc noſtram hypotheſin *nos eadem methodo iisdemque remediis corpus noſtrum a malo liberum ſervare poſſe* opinor, *quibus eidem malo, jam in corpus illato, medelam adferre valemus.* Quod enim poteſt efficere majus, poteſt etiam minus, uti loquuntur Philoſophi.

§. VI.

Si itaque datur remedium adeo efficax, quod per corpus diffuſum potens ſit *orto jam morbo* reſiſtere, illumque profligare, debet etiam illud tanto magis valere ad ſuſcepti mali morboſi *principium* enervandum, extinguendum, compeſcendum, ejusque ulteriores progreſſus inhibendum, ne ſequatur effectus, qui alias ex illo ſequeretur.

§. VII.

Si autem remedium in ipſo morbo nullis pollet viribus, non video, quo pacto eius impetum præcavere vel avertere queat. Nullum enim eſt dubium, quin *omnia venena & contagia ſua habeant antidota oppoſita*, ſi modo ſemper verum & certum illud inveniatur, & juſto tempore ac modo adplicetur.

§. VIII.

Secundum principalem hunc ſcopum: *quod* nimirum *iisdem remediis præſervari debeat, quibus curatur morbus*; graſſante hac lue omnibus, qui meo conſilio utebantur, præſervandi fine eadem remedia ſuaſi, quæ adhibebam in ſanatione; nempe *ex pharmaceuticis*, ut ſingulis diebus matutino, vel etiam quocunque diei tempore, cochlear unum vel alterum *Tinctura Rhei* ſumerent, monuimus.

Hæcque

Hæcque tinctura ſola, teſte experientia multiplici, ita efficaciter apud nos ſe geſſit, ut eandem utique pro *primo & primario ac omnium optimo*, quidquid alii ſentiant, *præſervandi remedio* habuerim; proinde & ipſe eandem, nec quodquam aliud remedium pharmaceuticum per totum contagionis intervallum adſumſi.

Interdum tamen etiam apud alios interpoſui *Rhabarbarum* in ſubſtantia, *cum* vel *ſine nitro*, pro ratione ſubiecti; Si vero inſtans mali adſultus metuendus erat, *Ipecacuanham* vel ante vel poſt *Tincturæ Rhei* uſum adhibui, prout nimirum laborantium conditio hoc vel illud, vel utrumque, expoſcebat.

§. IX.

Ex *diæteticis* alimenta facilis digeſtionis & boni ſucci nutritii, item *acida*, *ſuccus citri*, *acetum*; ex potulentis vero *vinum Rhenanum* & *Moſellanum* maxime conducebant. Hoc ſuaſi omnibus bibendum, ejusque modeſtum uſum ubique ſalutarem inveni, nec ipſe alio vino uſus ſum.

Dein exactum regimen quoad *motum*, *potum*, *calorem*, *animi pathemata* &c. commendavi.

§. X.

Porro cum exhalans illud ab excrementis contagium ope *aëris*, *ſalivæ* noſtræ ſe facile inſinuare, & per hanc ad ventriculum deſcendere, eoque pacto corpus inficere queat; ſemper ſolebam aegros inviſens *ſalivam* ſucceſſive prolectam *copioſius projicere*, ne virus intra corpus receptum ibidem nidularetur.

§. XI.

Quoscunque *fructus horæos* monui *vitandos*, non quod illis noxæ cauſam directam tribuebam, ſed ne daretur anſa ſuſpicandi adeſſe dyſenteriam, ſi forſan ex eſu fructuum alvus laxior ſequeretur.

Tantum enim abeſt, ut crederem, ab illis morbum contagioſum ortum aut oriturum, ut potius non ſolum ipſe illis toto contagii tempore, modice licet, uſus fuerim, ſed & fermentatio-

O 3 nem

nem fructuum acidam contrariam judicarim fermentationi alcalinæ, ortæ e miasmate bilioſo-dyſenterico: quid quod hiſtoriæ proſtent, ubi in *dyſenteria epidemica*, *bilioſa*, contumaci, narratur, *uvas & muſtum* extitiſſe optimum remedium antidyſentericum, irritis omnibus aliis, illisque ſolis multos a dyſenteria maxime defatigatos reſtitutos eſſe; vid. *Act. Nat. Cur. Dec. II. Ann. X. obs. 192.*

§. XII.

Interea ob nimium *vulgi abuſum*, quod in nulla re modum ſervare novit, ſed per abuſum malum irritare & augere poteſt, *Edicto Magiſtratuum* propoſito illi fructus prohibiti ſunt.

Deinde, cum *omnes occaſione* amovendæ ſint, quibus aer excrementorum fœtore vitiari & contagium propagari poſſit, *Ampl.* porro *Magiſtratuum* laudabili *mandato* civibus noſtris injunctum eſt, ut *puritati platearum* invigilarent, easque ab omni ſordium & excrementorum illuvie repurgarent, nec quisquam *expurgamenta* aut *feces aegrorum* in vias publicas effunderet, ne hoc modo prætereuntes contagium contraherent.

Ad *lacunas* vigiles adponebantur, ne quis ſordes in easdem projiceret. Præterea omnes domos perquiri juſſerunt, & in quibus *latrinæ* deerant, eorum dominis ſerio mandatum eſt, ut illas intra ſtatutum tempus fieri curarent; ita ut jam nulla domus ſit, ubi non inveniantur.

Quilibet inſuper *mortuos* intra triduum ſepelire jubebatur.

§. XIII.

Quibus *pauperum* cura demandata erat, monebantur, ut res neceſſarias ex aerario pauperum largius ſuppeditarent; aliaque ſalutaria ac ſumma laude digna inſtituta ſunt, ut meliora proponi tali temporis conditione non potuerint.

Plures etiam primariarum *matronarum* ingentes ollas *juſculentorum* parari, & inopibus quotidie diſtribui curarunt.

§. XIV.

§. XIV.

Nullum vero inter præſervativa præſentius & certius eſt remedium quam *fuga*. Sed non ſolum *infectos* hac lue, eorumque conſortium, at & *omnes, qui cum illis commercium habuere, fugere* debemus; inprimis etiam *latrinas* & *ſellas* vitare, in quibus iidem deſederunt; omnesque *excrementorum* halitus, quantum fieri poteſt, cavere.

§. XV.

Huc maxime facit *ſeparatio aegrorum a ſanis*. In omnium morborum contagioſorum principe, nimirum *peſte*, videmus, eam nullo remedio promptius & certius extirpari poſſe, quam hac *ſanorum ſejunctione*.

Hæc eſt res maximi momenti & conſiderationis, ac in hoc fere ſolo latet omne *arcanum* quorumuis *contagioſorum morborum*, ut in ſuo ortu & origine opprimantur.

Nam ſi ad morbum contagioſæ indolis animum advertimus & locum, in quo ſe primo manifeſtavit, ab omni commercio ſecludere poſſemus, dubium non eſt, quin intra paucos dies totum contagium extinguere poſſemus, cum alias conſortio hominum in longius diſſeminetur.

§. XVI.

Verum in hoc nobis accidit, quod *Turcis* evenit; miramur & damnamus eos, ipſos tam parum curare peſtem, cum tamen ſolum eius nomen nobis terrorem incutiat. Fama quidem fert, Turcas prædeſtinationis & Fati ſtoici dogmati magis addictos eſſe, quam Chriſtianos, & ipſos ideo aegros plane negligere.

Sed veram rei rationem eſſe puto, quod *Turcæ* illum morbum ſuum *Endemium* habeant pro *Epidemico*, ſicut nos contagioſos noſtros morbos intuemur. Hinc iſti non majorem in iis præcavendis cautelam adhibent, quam nos in morbis noſtris *Epidemicis*; in variolis, dyſenteriis &c. ſolemus.

§. XVII.

§. XVII.

Sed quia morbus *Peſtilentiæ* apud nos aliquid *peregrini* & inſueti eſt, inde fit, ut ſummum in modum hunc, ex peregrinis terris advenientem morbum, timeamus atque abhorreamus; atque ideo confeſtim omnia humana remedia ad illum arcendum in ſubſidium vocantur;

§. XVIII.

Et hoc quidem rectiſſime; cum enim ex hiſtoria Medica de *peſte* pateat, ipſam eſſe morbum *Endemium* in illis regionibus, quas Turcæ incolunt, qui proprium ſuum principium materiale & fermentativum agnoſcit, *veramque peſtem in noſtris regionibus nunquam ſua ſponte* oriri, ſed *ſemper per contagium & commercium cum infectis aliorſum deferri*, dubium non eſt, quin hic morbus etiam ex aliis regionibus arceri queat, ſi modo cum cura attendatur, ne quid de contagio per mercatores aut peregrinantes in illas terras tranſeat.

§. XIX.

Aliter vero ſe res habet circa *inquilinos* noſtros hoſtes, nimirum circa conſuetos & apud nos ipſos orientes contagioſos morbos; his eodem modo, ac Turcæ peſti ſuæ, adſueti ſumus, & quia apud nos naſcuntur, vix majore illorum metu adficimur, nec magis adverſus eos nos armamus, quam iſti, quin immo liberum eis curſum nonnunquam permittimus.

§. XX.

Si vero adverſus hoſtiles noſtros indigenas & contagia *easdem ſeveras cautelas* adhiberemus, quas contra extraneos; omnino etiam in *contagioſis noſtris morbis* progreſſum mali aeque efficaciter evitare poſſemus; idque ipſum *optimum* atque *certiſſimum* foret remedium huic malo obicem ponendi; At ſine hac præſervatione curſus mali non adeo facile ſiſti poteſt.

§. XXI.

Sic ſi *noſtrum morbum contagioſum* conſideramus, quomodo in principio ſe manifeſtarit, & ſenſim propagatus fuerit, firmiſſi-

miſſime credo, nos, ſi hoc remedium initio ei oppoſuiſſemus, hoſtem in ſuis latebris opprimere valuiſſe, ſi nempe *infectos evitare*, aut forſan *in unam domum aegros primos ſecludere*, in noſtra poteſtate fuiſſet.

§. XXII.

Sed in viam ut redeamus, ratiocinium Medicorum alio loco habitantium de ſupra dictis *lacunis*, anſamdedit conſultandi, num illæ, morbum pro futuro *præſervandi* gratia, *terra opplendæ* eſſent?

Ego cenſebam, ad ſalubritatem urbis omnino conferre, ut tales lacunæ & ſtagnantes fœtentesque aquæ non ſint. Sed cum ex ſupra dictis, inprimis vero Cap. II. §. XXVI. & XXVII. pateat, morbum proprie inde ortum non eſſe; hæc ratio ſola non ſufficere mihi videbatur, ob quam opplerentur, ideoque *Magiſtratuum* eſſe, judicare, quantum & qualem uſum ac utilitatem aut impedimentum, ob alias urbis conditiones & rationes adferre poſſint, ſi illæ lacunæ manerent vel tollerentur.

In ſpecie etiam notandum eſt, illam lacunam, quæ in platea de *Sieken-ſtraet* jacet, quæque urbi præ reliquis incommodare, & hac de cauſa inprimis terra complenda videtur, vivis & propriis abundare ſcaturiginibus, recentem aquam ſuppeditantibus, quod eius accolæ adfirmant, qui ſuperioribus temporibus repurgandæ huic lacunæ adfuerunt, unde contendunt, non omnem eius aquam meram pluvialem eſſe.

Si jam tales ſcaturigines magis repurgarentur, iisque liberior fluxus procuraretur, & lacuna quotannis verno & pluvio tempore mundaretur, & fimeta aliaque repurgamenta â platea magis averterentur, hoc minus veroſimile fieret, inde peculiares, ne dicam, *contagioſos* morbos poſſe oriri.

§. XXIII.

Denium ex ſupra dictis omnia illa *conſilia* & *tentamina præſervantia* ad rationis & experientiæ normam examinare & dijudicare licebit, quæ vel a doctis vel ab indoctis propoſita

fuerunt, quid valeant, ac veri aut certi efficere queant in præcavendo hoc morbo nec ne?

§. XXIV.

Ex eorum vero numero ſequentia erant primaria:

a.) Non pauci conabantur ſanitatem contra venenatum aerem munire ita dictis *ſpiritibus antipeſtilentialibus, Tincturis bezoardicis, Eſſentiis alexipharmacis, ſcordii, pimpinellæ albæ, millefolii, caſcarillæ* &c.

b.) Plebs maximum euporiſton antidyſentericum inveniſſe credebat, ſi liberalius hauſiſſet *ſpiritum frumenti* aut *juniperi* ſimplicem.

c.) Alii, quibus idem in deliciis fuit, aut qui furtivo tantum ejus uſu fruebantur, jam prætextum nacti *ſummitates rutæ ſpiritu frumenti* infundebant: inventum ſpecioſum prorſus & optatum! vires vero illorum ſpirituum antidyſentericas imaginarias magis, quam reales extitiſſe, variis probari poſſet exemplis.

d.) Aliis placebat tamquam validiſſimum præſervandi remedium meracior vini rubri *Pontack* uſus, ne dicam, abuſus, in prandio, cœna, & ubi non? ſed peſſime.

e.) Exterus quidam Medicus ſequentia præſcribebat: Rec. *vini Rhenani* pintam unam *lapidum cancrorum* drachmam ſemis, *radicis Contrajervæ* drachmas duas, *ſeminis Cardamomi* drachmam unam. Inciſa & contuſa infunde in loco calido per ſex horas in phiala alta: Colaturæ adde *Sacchari albi* drachmam unam: Quotidie ſumatur mane ab adultis *cochleare unum*, & a parvulis, ſex annos natis, *dimidium* cochleare. Per intervalla quatuordecim dierum ſumatur pulvis *Rhabarbari*. Et quæ plura hujus generis conſilia fuerunt, pro cujusvis phantaſia excogitata.

§. XXV.

Eventus autem abunde docuit, omnes tumultuarios conatus, absque cognita morbi cauſa & ſpecie ſuſceptos, non ſolum

lum effectu caruiſſe, ſed & iisdem obſecutos non levia incommoda ſubiiſſe, cum plurima ejusmodi farinæ remedia tantummodo ſanguinis ebullitiones excitarent, hominesque in ardores conjicerent, ut tandem illa miſſa eſſe juberent. His namque *venenum bilioſo-contagioſum* nec attingitur, nec ejusvis infringitur, aut corrigitur; malo potius, uſurpando illa, tempus & occaſio datur, ut prius altas in corpore radices agere, & vires ſuas lethiferas exſerere poſſit, antequam illi remedia probata opponantur.

CAPUT V.

Siſtens Cautelas quasdam & obſervationes de Dyſenteria, &c.

§. I.

ACutorum morborum*, ſecundum HIPPOCRATEM Aphorism. 19. Sect. II. *non Omnino tutæ ſunt prædictiones*, neque mortis, neque ſanitatis; nec unquam etiam *benignior dyſenteriæ gradus* periculo vacat, ſi negligentius habeatur, aut perperam tractetur: qua in re plebs inprimis peccat, vel diætam juſtam negligendo, vel Medici opem tardius implorando, immo inconcinna ſæpius in ſui ipſius perniciem uſurpando.

§. II.

Si ullo in morbo, certe in hoc quam maxime valet illud axioma Medicum?

Principiis obſta, ſero Medicina paratur,
Dum mala per longas invaluere moras.

Dyſenteria enim contagioſa quovis momento, cum generatim contagio ſuo progreſſivo invaleſcit, tum ſpeciatim corpus infectum admodum celeriter deſtruit, lentioraque artis ſubſidia eludit. Tunc ſi quis *Fabium Cunctatorem* ſibi imitandum propoſuit, eum ſero nimis ſapere, exempla docebunt.

P 2 §. III.

§. III.

Haud facile ſua ſponte, & ſine omni medicamentorum adplicatione *ſalutariter* hic decurrit morbus, ſed fere ſemper artis auxilium expoſcit, & ad illos morbos pertinet, in quibus *natura arti utique cedere* debet, eſt morbus *materiæ*, non *motus*, illumque natura motibus ſuperare non poteſt.

§. IV.

Dolor ille *acerrimus* dyſentericos torquens non ſolummodo ex inteſtinorum motibus & ſpasmis, aut ab impatientia naturæ, ut quidam loquuntur, ad eiiciendum materiam morboſam, &c. oritur, ſed potius & effectu phyſico *materia illa* ſupra dicta *bilioſo-arſenicalis*, *acris*, *urens*, *cauſtica*, *corroſiva*, in inteſtinis ſtabulans, ac membranarum nervos continua roſione vellicans, intolerabilium illorum cruciatuum funeſtique exitus *cauſa materialis*, vera, & præcipua eſt; hocque facile eſt judicatu, conſiderato, quanti dolores excitentur, ſi modo aliquid ſalſi, alias innocui, vulneri adſpergatur: quidquid reluctetur natura, non poterit avertere intenſiſſimos illos dolores, quam diu ſalſum illud in vulnere manet: quod omnino aliter accidere nequit, niſi quis vellet dicere, cruciatus tantum eſſe ſenſum hominis vivi, nec mortuum ſenſu valere; & huic nihil, quod reponam, habeo.

Niſi ergo materia & *cauſa* illa *realis* auferatur, perdometur, involvatur &c. etiam memoratus naturæ ſenſus dolorificus, bono cum eventu, ceſſare non poteſt.

§. V.

Correctio tamen *materiæ morboſæ* non ſemper eſt in noſtra poteſtate.

Quamdiu miasma venenoſum adhuc in ventriculo & inteſtinis fluctuans hæret, ſpes eſt, illud evacuantibus proſcribere per eas vias, ad quas natura vergit. Ubi vero maſſa ſanguinis eo jam labefactata, aut partes ſolidæ jam infectæ ſunt, artis ſubſidia maxime limitata ſunt.

§. IV.

§. IV.

Habet enim ars ubique ſuos limites, & ſatis eſt Medico, hos ſcire. *Multi morbi majores ſunt omni arte & remediis*, majorisque fere ſcientiæ indicium præbet, qui morbi non curabilis inſanabilitatem, ut hac voce utar, prædicit, quam qui morbum, arte curabilem, curat.

§. VII.

Omnes qui hoc morbo moriuntur, ex *inteſtinorum gangræna & ſphacelo* intereunt, hoc non ſolum jam aliquot ante mortem dies, pulſus debilis, vacillans, inæqualis, intermittens, extremorum frigus, anxietates præcordiorum, delirium &c. ſed & culter anatomicus in defunctis demonſtravit.

§. VIII.

De *feminis gravidis* hoc ſpeciatim monendum eſt; non pro certo adfirmari poſſe, a noſtra dyſenteria gravidas minus adflictas eſſe, quam utero non gerentes; malum potius indiſcriminatim utrasvis invadebat, ita ut ſatis notabilis exiſteret gravidarum numerus, quæ hac lue laborarunt: Proinde non videtur in poteſtate provide & ſollicite agentis naturæ eſſe, ut contagium ſemel inductum facilius & alia, aut tutiore ac leniore via, in gravidis expellere poſſit, quam in aliis mulieribus, prout nonnulli ſentiunt.

§. IX.

Præterea etiam hic loci nemo vidit in *gravidis poſt abortum*, quem ab hoc morbo paſſæ erant, dyſenteriam ſponte ceſſaſſe, quod alii in aliis dyſenteriis a ſe obſervatum fuiſſe contendunt. Contrarium ſe apud nos manifeſtavit, nec ratione concipi poteſt, rem in *dyſenteria vera* aliter ſe habere.

§. X.

Cl. *Sydenhamius*, qui dyſenteriam, *febrem in inteſtina introverſam*, & in illa ſe ſe exonerantem, eſſe ſtatuit, *venæſectionem* ſuaſit, ut acres iſtos humores ſecta vena immediate revelleret; aſt *venæſectioni* in noſtro morbo nullas locus erat, nec

eam in ullo, ſive præſervationis, ſive curationis gratia, adminiſtrandam curavi; *bilem* enim non corrigit, ſed potius vires vitæ frangit, & naturam in motibus ſuis ſalutaribus conturbat: unde *vomitus cruentus* & mors venæſectionem cito ſequebantur.

§. XI.

Adſtringentibus raro opus erat; excretio enim alvi ſua ſponte ceſſabat, poſtquam venenum aut ſubactum aut exactum fuit: In *ſinu* autem *concludunt anguem*, qui adſtringentibus pugnant: nil enim faciunt, quam quod materiam acrem, vitioſam in corpore contineant, ne foras effluat; interea hoc modo inflammatio, ulcera, gangræna ac mors inducitur.

Hinc *neque in principio neque in declinatione morbi ſatis tuta erant*, niſi ubi de materia evacuata, & de tono inteſtinorum ſolummodo labefactato bene certi fuimus.

§. XII.

Laxitas inteſtinorum non ut cauſa, ſed ut effectus morbi, conſideranda eſt, quæ non niſi ſublata cauſa tolli poterat. Tunc omnium tonicorum & adſtringentium locum ſupplere poterant *Cortex Simarubæ*, *Caſcarillæ & ſuccus Catechu*.

§. XIII.

De *Rhabarbaro toſto & uſtulato*, quod tamquam adſtringentium princeps commendatur, affectum adeo notabilem comperire mihi non licuit, quamquam ſæpius ſumendum præcepi, quin corrigentem & ſalutarem eius vim uſtulando potius perdi, & inde deterius reddi credibile eſt. Quo magis enim aſſatur & uſtulatur, eo certius ſane in carbonem inertem, ſeu ut chemici loquuntur, in terram mortuam convertitur.

§. XIV.

Si vero *Rheum* infunditur, *fortius exprimitur*, aut *Tincturæ forma* methodo noſtra propinatur, magis roborat; tutiusque ſiſtit fluxum, quam ipſa adſtringentia; quam *cautelam ſingularem* practicis maxime commendandam duxi.

§. XV.

§. XV.

Præterea *divinum* potius quam humanum remedium hanc *Rhei Tincturam* adpellare licebit, ob ſummam & late diffuſam eius utilitatem, quam, rite & legitime adplicata, etiam in compluribus aliis morbis efficaciſſime præſtat, quamque eius præſtantiam atque uſum polychreſtum hac occaſione Publico non potui non maxime commendare.

§. XVI.

De *Corallis rubris*, *de Cornu cervi uſto & cryſtallo montana*, toties ab aliis commendatis, vereor ne eorum vis adſtringens putatitia potius, quam efficax ſit, licet enim ea ſæpius præſcripſerim, parum tamen laudabilis effectus ex iisdem obſervare mihi licuit.

§. XVII.

De *terris bolaribus*, *ſigillatis*, quas nonnulli ceu univerſale ad omnes dyſenterias commendant, ut *omne acre* qualecunque, ſive *acidum* ſive *alcalinum* ſit, *involvere*, inviſcare, obtundere, & *iners reddere* debeant, hic experiri nolui, immo potius obſervavi, quum ab aliis adplicarentur, fluxusque inde ſiſteretur, inteſtina tanto magis gravata, majoresque anxietates, cardialgias, aliaque mala mortifera inde oborta eſſe.

§. XVIII.

Martem & *Crocos ſubtiliores* ex illo paratos nonnulli inter ſpecifica, quæ fermenti dyſenterici ſpicula cum *acida*, tum *alcalina* infringere queant, cum laude enumerant; cum vero eiusmodi croci aliaque hujus generis e Marte, *calcinatione* parata, ſive aperientium ſive adſtringentium nomine veniant, utique adſtringendi fine præſcribantur, & ut talia in corpore humano operentur, ita eorum uſus in noſtra dyſenteria ſuſpectus, immo noxius fuit. Idem judicium eſto de *lapide hæmatites*, variisque ex illo productis chemicis.

Alii *lac* ſic dictum *ferratum*, aut *aquam ferrariam*, in quibus

quibus nimirum ferramenta candentia extincta fuere, aegris propinarunt, haud ſane meliori effectu.

Tincturam Vitriol. Martis Lud. cum ſucceſſu adhibuiſſe adfirmavit Medicus quidam. Sed puto in fine potius morbi ad roboranda viſcera, quam ad ſuperandum malum illam conducere.

§. XIX.

Sales omnes ex. gr. *Tartar. vitriol. Arcan. duplic. ſal polychreſt. ſal prunel.* &c. contra omnem ſane rationem ac prudentiam medicam ab aliis toties præſcripti, mordaces ſunt, & in inteſtinis exulceratis nil niſi graviores dolores & ſtimulos excitant, quare ne *nitroſa* quidem, inprimis in ſtatu & progreſſu morbi, tuta erant; fluxum enim magis exacerbaſſe obſervavi.

§. XX.

Ab omnibus *mineralibus* & *metallicis* medicamentis abſtinendum eſſe cenſeo; *vegetabilia* ſola in morbo curabili ſufficiunt.

§. XXI.

Purgantia fortiora in caſu mitiori quidem prodeſſe poſſunt, in caſu vero graviori, & ubi inflammatio metuenda erit, aut jam adeſt, utique nocent.

Quomodocunque res ſe habeat, vitentur quam maxime omnia *draſtica*, *ſcammoniata*, *jalappina*, *aloëtica*, *colocynthiaca*, *helleborina*, aliaque hujus farinæ compoſita, quale eſt *Elixir proprietatis Paracelſi*, *ſalutis*, &c. &c. inteſtina enim rodendo, eorumque mucum naturalem abradendo, inflammationem magis accelerant, aliaque mala funeſta inducunt.

§. XXII.

Pilulæ polychreſtæ Beccheri correctæ, aut aliæ hujus generis compoſitæ in hac dyſenteriæ ſpecie optatum effectum non præſtabant; Nec unquam in ſimili caſu acuto illis compoſitis generalioribus, quocunque ſub nomine notis, tantum fidimus,

quan-

quantum medicamentis ſimplicioribus, morbo magis congruis & adaptatis.

Præſervandi vero ſcopo, ad inteſtina a ſordibus expurganda, ut & in *ſimplici diarrhœa* uſum habebant, nunquam vero tantum, quantum *Rhabarbarum* ſolum.

§. XXIII.

Sudorifera caute adhibenda ſunt, ſudor enim arte prolectus minime eundem effectum ſalutarem habet, ac *ſpontaneus*, quo natura materiem humoribus inſinuatam apte e corpore eliminare novit,

Ars vero turbulenter ſæpius cocta & cruda ſimul & ſemel ad externa pellit, majoresque in corpore turbas excitat, quid quod, ob inquietudinem aegrorum & ſedium numerum, vix debita in lecto continentia, ad tales ſudores artificiales obſervari, nec materia peccans per ſudorem ſatis eliminari poſſit.

§. XXIV.

Gummata reſinoſa, ex. gr. *Olibanum*, *Myrrha*, *Maſtiche*, *Succinum* & ſimilia; *Oleum Succini*, *Bals. peruv.* nec non *Terebinthina* in vera noſtra dyſenteria adplicata ad ſanationem vix unquam laudabilem produxere effectum :

Ubi vero affectus degeneravit in *ulcus*, inteſtina conſolidandi & cicatricem obducendi ſcopo, locum habere poſſunt.

§. XXV.

Quod ad *ſpecifica* attinet, de iis acerrime inter Medicos diſputatur, num dentur in rerum natura *certa antidota*, quæ propria ſua natura & qualitate *cauſæ* alicui *morboſæ* contraria ſint, eique e directo, ut ita dicam, repugnent.

Quidam illa plane negant, & in medium adferunt ſolitum dictum *Capivaccii*, quod diſcipulis ſuis regerebat : *diſcite meam methodum, & habebitis mea arcana.* Alii in aliud extremum proclives ſunt, & nihil niſi ſpecifica crepant.

Verum uti *vires* remediorum *activæ* non ſunt *abſolutæ* & *infallibiles*, ſed *relativæ* & *conditionatæ*, in quantum mali,

ſimul & corporis conſpiret conditio, ſic vix unquam tale remedium reperietur, quod morboſam quandam materiam in corpore latentem adeo efficaciter corrigere & extinguere poſſit, ut omnia, cujuscunque diſpoſitionis corpora, à malo quodam liberare queat; Interim invenimus multa remedia quæ uti ſub præſervativis jam diximus, ſingularem effectum, majusque præſidium adverſus hunc vel illum morbum præſtant, quam ſexcenta alia, quæ vulgo commendantur aut adplicantur, ut ita non tam defectus remediorum antidotorum, quam potius ignorantia inventionis & adplicationis eorum nobis obſtet.

§. XXVI.

Copia medicamentorum hinc inde ad nauſeam usque commendatorum, animum Medici potius in diverſa trahunt, ſuſpenſumque habent, quam ut exſpectationi ſatisfaciant. Medicus praxeos gnarus *paucis*, ſed efficacibus remediis inſtructus, omnibus ſuis intentionibus ſatisfacit; & bona *ſimplicia* plus efficiunt, quam immenſa farrago compoſitorum usualium.

Prudentia circumſpecta, exercitatio & uſus omnem, ut ubique, ſic etiam hic abſolvunt paginam.

§. XXVII.

Hac occaſione etiam ratione *Climatis noſtri* monere debeo, *doſes medicamentorum* apud noſtræ regionis incolas plerumque paululum poſſe augeri, nec ab eorum aucta doſi adeo facile nocivum effectum deprehendi.

Conſtitutiones enim corporum & naturæ noſtrarum plagarum non ſunt adeo ſenſibiles, quam quidam Medici de ſuarum terrarum incolis memoriæ prodiderunt; ad quam rem ubi in praxi clinica non rite attenditur, optimos Medici conatus fruſtraneos fuiſſe plus ſemel experientia didici.

§. XXVIII.

Decoctum *ſeminis milii indigenæ* in dyſenteria caſtrenſi valde commendatum legimus, in noſtro contagio illud multum adhibui, ſed dolens fateor, me nihil ſpecificæ opis ex eius uſu

ſen-

ſenſiſſe, quam ob rem præ aliis commendabile eſſet; ceterum *pro grato potu ordinario* parando non ineptum, & ideo rejiciendum non eſt.

§. XXIX.

De cortice *Simarubæ* hoc adhuc monendum duco, valde dubitari poſſe, num ille ſit *Macer veterum*, uti *D. de Juſſieu* voluit, quia cortex *Macer* non tantum ex ſola India Orientali advehebatur, *Simaruba* autem ex India Occidentali adfertur; Verum etiam illi *Simarubæ* characteres ſoli *Maceri* aut *Simarubæ* minime proprii, ſed adeo generales ſunt, ut compluribus aliis corticibus, ex. gr. Tamariſc. Peruv. Caſcar. Quern. Fraxin. certo reſpectu adplicari, nec priorum character ſpecificus inde determinari poſſit.

Deinde *Simaruba*, licet effectu corticum generali, ſeu ut alia amara, ex. gr. *Rad. gent. rubr.* tonicum ſolummodo eſſe videatur, tamen etiam re vera aliquid ſpecifici, *ſedativi* potius, quam adſtringentis effectus in fluxibus alvinis *cruentis* ſiſtendis apud nos exhibuit; & hinc, ulterioribus experimentis ut examinetur, omnino meretur.

Interea tamen omnis erroris vitandi cauſa, negari non poteſt, *D. de Juſſieu* in ea laudanda modum exceſſiſſe, atque nimiis eius encomiis veram *Simarubæ* laudem atque utilitatem magis obſcuraſſe, quam illuſtraſſe videtur, eoque eandem ipſe incurrit culpam, quam in aliis Medicis ob nimias certorum medicamentorum laudes merito reprehendit: itaque & huc quadrat illud:

— — — — *Medio tutiſſimus ibis.*

§. XXX.

De ſero lactis dicit *Baglivius Prax. Med.* L. I. „ Sæpiſſi-
„ me *dyſenterias* profligavi *ſolo ſero lactis* intus dato, & per
„ clyſteres quoque iniecto; multosque Auctores pro magno ſe-
„ creto habuiſſe hoc remedium in dyſenteriis refert.

In *dyſenteria Anni 1702.* illud multis profuiſſe, fama mihi innotuit.

In dyſenteria noſtra bilioſa veritas hujus adſerti comperta fuit ; & dolendum eſt, nonnullos Medicos, ob neſcio quod præjudicium, ab hoc remedio admodum alienos fuiſſe ; hic vero diſſenſus non ſolum rixis & controverſiis in conſultationibus ad lectos aegrorum anſam dat, ſed & ex his magnum incommodum immo damnum emergit, dum aegrotis remedium negatur, quod pharmaceuticas præſcriptiones ſæpius longe ſuperat.

§. XXXI.

Clyſteribus dyſenteriam curare, ejusque fluxum ſiſtere velle, abſonum mihi videtur; etenim illi non ſolummodo fontem mali non ſemper attingunt, ſed etiam improvidus, aut nimis ſæpe iteratus eorum uſus majus incommodum inducit. Nunquam ego, nec alio fine, iis uſus ſum, quam cum urgerent dolores, & tunc olea blanda ceteris palmam præripiebant.

§. XXXII.

Diarrhœa benigna, ſine vel cum vomitibus ſtipata, quæ dyſenteriam intercedebat, *ſola Tinctura Rhei* facile ſublata eſt, vix unquam fere alio medicamento indigens.

§. XXXIII.

Magno errore nitebatur *opinio* illorum, qui putabant, quosdam tam *facile e dyſenteria ſanatos* eſſe, ſive illud aptis, ſive ineptis remediis contigerit; hi enim morbum a morbo haud bene diſcernentes *non diſtinguebant inter diarrhœam benignam & dyſenteriam*, ſed quamcunque diarrhœam pro vera dyſenteria habebant, hocque judicium parum accuratum, anſam præbuit, multos in praxi errores committendi. Nam uti in ſimplici diarrhœa non tantum facilis erat ſanatio, ſed & natura incongrua alias medicamenta facilius & ſine notabili ſanitatis detrimento ferre poterat; ſic ſi eadem in male dijudicato *morbo dyſenterico* præſcribebantur, illa mortem accelerabant.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Propoſita fuit quæſtio, num illi, qui *ex aliis locis & ex* alio aere ad nos tranſiiſſent in aerem, ut putabatur, infectum, citius ab hoc malo invaderentur, quam qui hic loci habitarent, & malo aeri jam adſueti eſſent? At, uti nondum video, aeri venenato ac morboſo, quemquam adeo facile adſuefieri, aut cum illo in gratiam redire poſſe, ſic apud nos tutiſſimum erat, *vitare aegros*,

§. XXXV.

Nec defuerunt, qui exiſtimarent, ejusmodi morbo *corpus humanum repurgari* & ſanius reddi, quam antea fuerit.

Sed & hi extra oleas ſaltaſſe, facile eſt videre. Nam etiamſi vel decies homo e contagioſis morbis emerſit, a reliquis ideo tutus non erit, teſte experientia, ita ut omnes hujus generis repurgationes ſanguinis, quibus tanto cum periculo vitæ aeger defunctus erat, nihil conferre queant ad eum a novis morbis præſervandum.

Sic mihi, vigente dyſenteria, ſe obtulit juvenis nobilis ex equeſtri militia, quem intervallo quinque vel ſex dierum, poſtquam a *variolis* rite convaluerat, corpusque a recrementis varioloſis repurgaverat, dyſenteriæ contagium adortum eſt, a quo licet feliciter, tamen non ſine periculo, convaluit.

§. XXXVI.

Et *dyſenteria feliciter ſuperata* quosdam in poſterum ſaniores vivere, eorumque viſcera firmiora reddi, quam ante illum morbum fuerant, ab aliis refertur. In noſtra lue ex aliquot centenis unicum tantum novi exemplum in fœmina valde obeſa, cacochymica, quæ poſt toleratam graviſſimam dyſenteriam, qua per aliquot ſeptimanas lecto adfixo fuit, nunc alacrius, quam ante, degit; præter hanc in nemine alio hoc ego deprehendi, & rationem eius ex obeſitate valde diminuta deduxi.

§. XXXVII.

De *Dyſenteria Campenſi*, ad quæſtiones transmiſſas, ex

Belgico ſermone latine reddita ſequentia mihi innotuerunt;

I) Quæſt. Quænam *dyſenteriæ ſpecies* Campis graſſata ſit?

Reſp. Valde *diverſa* fuit, tam ratione materiæ excretæ, ſymptomatum concomitantium, quam ratione eventus: ***Ratione materiei***: Hæc initio ſæpe fuit mucoſa & ſanguinea, poſtea magis bilioſa, interdum purulenta, interdum merus effluebat ſanguis. ***Ratione ſymptomatum***: Quidam fuerunt ſine febri, quidam tertio aut quarto morbi die febrim ſentiebant, quæ paulatim vehementior fiebat. In quibusdam febris ab initio aderat una cum vomitu, animi deliquio, aut ſimili malo concomitante. ***Ratione eventus***: qui a febri liberi manebant, nec virium detrimentum initio patiebantur, plurimam partem reſtituti ſunt: quos tertio aut quarto die febris invaſerat, lente ſanitatem recuperabant, vel eorum non pauci extincti ſunt; at quos febris initio ſtatim inceſſit, ſpatio quinque aut ſex dierum plerumque occubuerunt.

II.) Quæſt. Quando *dyſenteria ceperit*, quando in *ſummo vigore* fuerit, & quando *deſierit*?

Reſp. *Tertio die Auguſti* primus aeger ex hoc morbo extitit. A decimo ſexto ejusdem menſis usque ad duodecimum aut *decimum quintum Septembris* maxima eius fuit vehementia. Poſt duodecimum aut *decimum tertium Octobris* nullum novum aegrum habui, & ſub *finem Octobris* plane ceſſavit.

III.) Quæſt. Num ab *initio ſtatim per totam urbem* coorta ſit, an vero in *uno loco ſolo ſe* manifeſtarit, & ſic per contagium progreſſa ſit?

Reſp. In *media urbe primum* orta, *ſpatio duodecim* aut quindecim dierum *per integram urbem diſperſa* eſt, at in una regione plures decumbebant, quam in altera.

IV.) Quæſt. An etiam *alii circa vici* infecti fuerint, & quo tempore?

Reſp.

Reſp. Verſus Velaviam regionem in vico *Oudebar* & *Weeſop* etiam mature morbus erupit, deinde in *Camperveen*, trans Iſalam *Wilſoni*, *Yſſelmuidæ*, *s' Heeren-broeckii*, in quo loco adhuc dum (menſe Novembri) graſſatur.

V.) Quæſt Num etiam *omnis generis homines* ſine diſcrimine ſexus, aetatis aut conditionis adflixerit, an vero aliquid diſcriminis obſervatum ſit?

Reſp. *Nullum diſcrimen* adparuit, *ſenibus* vero & *parvulis* inprimis malum fuit funeſtum.

VI.) Quæſt. Quænam *principaliora ſigna* & *ſymptomata* tam ſalutaria, quam lethalia fuerint?

Reſp. *Nulla* aut *exigua febris*, *remanente adpetitu cibi ſaluo*, (licet aegri interdum XXX. ad XL. ſedes intra XXIV. horas habuerint) fuerunt *ſigna ſalutaria*. *Contra* ubi *febris* ſtatim *ab initio* accedebat, una cum *deliquio animi*, *nauſea*, *vomitu*, aut ſi poſt decem aut duodecim dies ſupervenerunt *ſingultus*, *aphthæ*, aut ſimilia ſigna mala, illa plerumque extiterunt funeſta.

VII.) Quæſt. Quænam *remedia* in genere, aut in ſpecie bono aut malo cum ſucceſſu adhibita fuerint?

Reſp. *Generalis methodus* curandi hunc morbum non poterat ſervari. At ſi aegri in tempore & mature conſilio utebantur, optimum effectum e *Rhabarbarinis* percepi & *opiatis*, *Lacebutyratum* ejusque *ſerum* multis profuit. De uſu *Ipecacuanhæ* multa laudare non poſſum, (*) *Adſtringentia* initio ſumta, ſæpe mala fuerunt, ſed præmiſſo evacuante, meliorem præſtitere effectum.

His

(*) NB. hoc ambiguum eſt; forte eadem radice uſus non erat Cl. Auctor.

His adnectebatur *Tabula mortuorum Campenſium* ſequenti modo :

Anno 1736.	Juniores,		adulti,	Summa	totalis.
die 25. Aug.	16.	—	4.	—	20.
1. Sept.	10.	—	17.	—	27.
8vo.	20.	—	39.	—	59.
15to.	25.	—	36.	—	61.
23to.	15.	—	33.	—	48.
29no.	19.	—	14.	—	33.
6. Oct.	7.	—	14.	—	21.
13to.	7.	—	17.	—	24.
20mo.	6.	—	10.	—	16.
27mo.	3.	—	4.	—	7.
	—		—		—
	128.		188.		316.

Inter quos tamen nonnullos fuiſſe, qui hoc morbo non interiere, ſimul monebatur.

§. XXXVIII.

Tandem conſcripto jam & ad finem perducto hoc opere, vir quidam Nobilis, e regione *Tranſiſalana* hanc civitatem tranſiens mihi retulit, ſe noviſſe hominem quendam, olim ſervi munere apud illum perfunctum, ſed inde a pluribus annis in vicino, prope prædium ſuum oppidulo, *Riſſen* dicto, habitantem, ibique negotiantem, qui *initio menſis Septembris* An. 1736. *dyſenteria griſea*, cineritia, prout ipſam vocabat, quia raro aut parum ſanguinis admixti ab aegris excernebatur, correptus fuerit.

Hunc, cum aegrotaret, quatuor eius fratres inviſebant, eique miniſtrabant ; hos vero omnes eodem morbo infectos fuiſſe. Idem eveniſſe vicinis, & ſpeciatim iis, qui ad eum viſendum acceſſerant, aegrumque tractarant.

Hac via morbum gradatim & quaſi domatim per eandem plateam propagatum eſſe, Poſtquam autem reliqui incolæ id animad-

animadverterant, & infectos fugere ceperant, reliquæ plateæ non adeo tentatæ fuere, ita ut in iis vix unus & alter eo malo laborarit.

Inde autem accidit, ut eius oppidi cives infectas aedes adeo horrere inciperent, ut nemo in easdem intrare voluerit; Præterea ruricolas tantus ab infectis horror inceſſerat, ut nullus in eorum domos commigraret; Si vero neceſſe habebant, cum quopiam in oppidulo colloqui, incolas ex aedibus evocarunt, & in platea eminus ſtantes ſermonem contulerunt, ac ſi ſibi res eſſet cum *peſte* infectis.

Hac autem cura & prudentia ruſticorum neminem rure & extra oppidum infectum fuiſſe.

In ipſo oppidulo morbum usque ad finem *Januarii* 1737. graſſatum eſſe, & ultra quadraginta vel quinquaginta homines letho dediſſe; immo circa initium *Aprilis* eius reliquias adhuc extitiſſe, unumque & alterum obiiſſe.

Prius memoratus aeger, qui primus erat, per quatuor hebdomadas cum morbo conflictatus ex eodem interiit, uti etiam eius parvulus infans & alter fratrum; uxor vero eius manſit ſana. Reliqui poſt eum infecti ut plurimum intra 7. 8. aut 9. dierum ſpatium abrepti ſunt.

Dicebatur, pauca vel nulla convenientia medicamenta adhibita eſſe, cum nec Medicus ibidem habitet, & homines ab impenſis, in medicamenta faciendis, alieni ſint.

§. XXXIX.

Accuratior quidem hujus morbi contagioſi relatio optanda eſſet, ſed eam conſequi non datur. Interea tamen hoc notabatur, quod cum ibidem locorum *nulli fructus horai* naſcantur, exinde manifeſtum fiat, primam originem mali ab eorum uſu ortum non ducere.

Cauſam autem transferebant in hoc, quod ille homo aliquot diebus antequam morbo corriperetur; *puteum effodiens*, diu in aqua frigida ſtans opus fecerit, ut hoc modo multum *al-*

goris paſſus & a dyſenteria correptus credatur. At, cum eundem jam antea minus firma valetudine uſum fuiſſe, ſimul nunciabatur; adhuc incertum eſt, utrum ad hunc morbum *nimius* talis *algor* in aqua ſtantis, num vero antecedens ſtatus valetudinarius, an uterque ſimul, vel aliud quid, malo anſam præbuerit? inprimis cum in hoc ſufficientis relationis defectu nil certi definiri queat.

§. XL.

Occaſione hujus caſus memini, me legiſſe in *Diſſertatione de dyſenteria Cel. D. Stahlii* relationem morbi, *ſpeciem dyſenteriæ* mentientis, quem Illuſt. Auctor ſibi ipſe concitaverat, cum quondam menſe Decembri, *frigida* admodum *tempeſtate*, per totum tempus pomeridianum in laboratorio ſpatioſo, eoque admodum frigido occupatus eſſet inter aliquot numero diverſas operationes chemicas, quarum una erat præparatio Clyſſi antimonii tartariſati, &c. Superiore tunc corporis parte ad ſudorem calebat, ſed crura & pedes ipſi frigore rigebant a pavimento lapideo; inſuper multum vaporem illius Clyſſi ad nauſeam usque hauſerat. Paulo autem poſt abſolutum laborem, inſolitis ipſi alvi torminibus acutis, dejiciendi conatu, dejectionibus liquidis cruentis, teneſmo, motibus febrilibus, &c. corripiebatur; Hunc autem adfectum potius *catharctico-hæmorrhoidalem*, quam vere dyſentericum, fuiſſe declarat, ortum ducentem a vapore illo fuliginoſo Clyſſi tartariſati, copioſe per reſpirationem hauſto, cum mox a primo impetu & ſedes notabiliter minuerentur, & nihil neque ſpumidi, neque quod ulceroſam materiam referret, oſtenderent, ut vulgo in dyſenteria fit, contagioſæ vero diſpoſitionis ne veſtigium quidem adeſſet, neque eius legitima ſuſpicio, &c.

§. XLI.

Jam quidem inficias non ibo, memoratum vaporem aliquid ad hunc morbum contuliſſe; interea tamen credere licet, illam aegri conſtitutionem, dum aeger ſuperiore corporis parte

incalue-

incaluerat, at inferiore frigebat, magis pro cauſa illius fluxus alvini habendam eſſe, quam ipſum vaporem; inprimis cum ipſe Clariſſ. Auctor *inſolitis caloris* & *frigoris viciſſitudinibus* & mutationibus maximam cauſam alias exorientis dyſenteriæ tribuat.

Ipſe memini, me olim media & percalida aeſtate ab ambulatione incaluiſſe, deinde quietis capiendæ cauſa humi deſediſſe: quo facto frigus ſoli inferne in corpus penetrans horrorem mihi incuſſit, & die inſequenti ſpecies dyſenteriæ, ſeu, ſi mavis, diarrhœæ torminoſæ & mucoſæ me invadebat, ex qua per aliquot dies aeger jacebam.

§. XLII.

Sunt itaque inæquales eiusmodi & ſubitæ mutationes ad inducendum alvi fluxum utique valde efficaces, idque hoc magis, ſi in ſuperioribus partibus motus *ſecretorii & excretorii* intenduntur & promoventur, at in inferioribus propemodum validius inhibentur; tunc enim non ſolum inteſtina a penetrante frigore relaxantur, tonoque fiunt remiſſiore, ſed & per tam inſignem, & adhuc magis per continuam & diuturnam motuum illorum inæqualitatem magnæ etiam turbæ, confuſiones & perverſiones ſecretionum & excretionum in oeconomia animali excitantur, & variis ſtagnationibus & corruptionibus humorum, inprimis in abdomine, anſa præbetur, ſic ut inde omnino & neceſſario fluxus alvi inordinati, dolorifici, mucoſi, &c. oriri debeant.

§. XLIII.

Interea tamen tales eventus nondum ſufficere mihi videntur ad producendum morbum contagioſum, prout id etiam ſupra allegatus Clariſſ. Auctor ſuo exemplo docet, noſque eius rationes jam ſupra prolixius enarravimus.

§. XLIV.

Undecunque vero initio in homine ortum ducat *contagium*, cum in nullius poteſtate poſitum eſſe videatur, ut illud *a priore* proſpicere & prohibere queat, ne in ſuo corpore no-

 ſcatur;

ſcatur; Immo vero illud aeque repente & inopinato, dum nihil minus timetur, oritur, quam cum putamus, nos poſſe antecedentem cauſſam indicare.

Ita ex ſupra recenſitis, ut & ex brevi illa relatione de morbo oppiduli *Riſſen*, hoc maxime diſcere licet, *qua via malo oborienti rationali modo mature obuiam eundum, eiusque progreſſus ſiſtendus ſit, ne latius ſerpat & propagetur.*

Hoc oſtendiſſe, ad commodum & ſalutem humanæ ſocietatis non parum conducere, mihi quidem videtur.

TANTUM.

EPISTOLA
DE
SYNCOPE, PARALYSI UNIVERSALI ET APHONIA,
ab
Aëris privatione, Suinfurthi d. IV Decembr. MDCCXXXVII. oborta feliciterque curata,

ad

Virum illuſtrem, excellentiſſimum atque conſultiſſimum Dominum Dominum

JOHANNEM PHILIPPUM FEHRIUM

Dictum Gampertum, Jctum conſummatiſſimum, Comitem Palatinum Cæſareum,

Reverendiſſimi atque Celſiſſimi Epiſcopi Bambergenſis & Herbipolenſis, Celſiſſimi & Reverendiſſimi Principis & Abbatis Fuldenſis, Sereniſſimi Ducis Saxoniæ Iſenacenſis &c. Conſiliarium aulicum actualem, Conſiliarium S. R. I Civitatis Suinfurthenſis Primarium, &c.

Affinem omni honoris & amoris genere colendum,

D. JOHANNIS PHILIPPI WOLFFII,

Collegii Cæſarei Naturæ Curioſorum Sodalis, Cognomine Cleonis, & Phyſici Adjuncti Patriæ.

Vir tam genere
quam propriis meritis illuſtris.

SIdus illud magnum, JOHANNEM MICHAELEM FEHRIUM puto, poſt fata quoque ex cineribus ſuis adhuc fulgere, ſplendoremque ſuum tueri, cauſa potiſſima ex conatibus atque factis ipſius glorioſis ac laude dignis deducenda eſt, ſiquidem non ſolum Reipublicæ noſtræ ſalutaribus & bonum publicum provehentibus conſiliis adfuit, ſed & Orbi litterario multo labore & ſtudio maſcule ſuccurrit: Ille enim cum Celeberrimo BAUSCHIO Illuſtriſſimam & ubique gentium celeberrimam *Academiam Imperialem Naturæ Curioſorum* inſtituit atque fundavit, quæ jamiam ultra LXXX. annorum ſpatium floret. Quantam curam & operam in Praxi Medica aegrotantibus navaverit, manualia Ejus practica ut & ſcripta egregia, typis expreſſa, præſertim Ephemerides A. N. C. edocent. Quemadmodum vero *Avus hic Tuus* meritis ſuis gloriam perpetuam *ſibi* paravit; Ita etiam *Pater Tuus*, JOHANNES LAURENTIUS FEHRIUS, dictæ Academiæ Adjunctus, tam in Curia pro bono publico curam gerens, quam in Praxi Medica, nomen laudibus ampliſſimis plenum merito ſuo nactus eſt. Anteſignanorum horum in & pro bono publico verſantium more, TU, VIR ILLUSTRIS, tertius es ex hac proſapia, qui pro bono publico non ſolum in curia, ſed & anguſtis rebus Clientum cuilibet a conſilio eſt optimo & erit porro. Caſus, quem hic ſiſto, tragicus, in proxima Tua vicinitate nuper contigit, quam ob cauſam in ſignum grati ac devincti animi Tibi epiſtolam hancce dedicare volui, annexo voto, ut Deus Te diu in emolumentum patriæ & ſolatium familiæ incolumen cum Tua & Tuis, unica adhuc ſpe *ſtirpis Fehrianæ*, ſervare velit!

De

De
Syncope, Paralyſi univerſali & Aphonia.
a
Privatione aëris oborta feliciterque curata.

AErem ad vitam præ omnibus reliquis neceſſarium eſſe, extra omnis dubitationis aleam poſita res eſt, ope hujus quippe reſpiratio libera perficitur, absque reſpiratione circulatio ſanguinis ceſſat; hac vero ceſſante omnes motus vitales & animales, & cum his ipſa vita ceſſat. Reſpiratio ope in & exſpirationis perficitur, organum vero hujus tam nobilis actionis pulmones ſunt, ſiquidem tubuli hujus maximi viſceris thoracis, ob ingreſſum aeris ſe extendunt & ſternum ſe ſe attollit, ob egreſſum vero aeris tubuli modo dicti cum ipſo ſterno ſe iterum contrahunt. Aër autem in ſe conſideratus, ê duobus principiis conſtat, quorum alterum gravitate & alterum elaſticitate vim ſuam exſerit. Gravitas per Antliam pneumaticam perſpicue ad oculum demonſtrari poteſt, ſiquidem animal campanæ inditum, aere, peripheriam animalis premente, extracto, ſe ſe attollit longeque majorem magnitudinem adquirit, donec vita privatum, exſpirat. Elater contra aeris eſt vis interna, quæ ſi prematur, ad priſtinum ſtatum ſe iterum expandit & extendit. Mediante principiorum modo dictorum proportione, juxta leges motus aer in aequilibrio tenetur, quodſi vero unius energia alterius energiam tranſcendat, aequilibrium ſtatim tollitur & preſſo pede reſpiratio laboriosior redditur, vel plane ceſſat. Inſuper quoque aer varia effluvia ſpirituoſa, aquoſa, ſulphurea & ſalina, pro differentia locorum & exhalationum, ſanitati noſtræ haud raro perquam nociva, ſecum vehit. Noxam hanc tam privationis, quam effluviorum aeris, ſequens caſus tragicus ulterius dilucide enodabit.

Suinfurthi Anno MDCCXXXVII. die 4. Decembris JOHANNES GEORGIUS SCHNEIDER, Vietor viginti annorum, hora ſecunda pomeridiana ex erecto dolio, viginti quatuor amphoras capiente, vinacea ab uno menſe & ultra, pedibus denſe compreſſa, ſpiritum vini ex iis deſtillandi gratia depromere voluit, per oſtiolum dolii vero vix ingreſſus, ſyncope correptus fuit. JOHANNES SCHWARTZ, civis hujus loci, quadraginta annorum, adiutori huic ſuæ operæ auxilio veniens, in idem dolium per oſtiolum ſe contulit, ſimili modo a ſyncope ſtatim in vinacea proſtratus fuit, alter operæ ſuæ adiutor binis prioribus ſuccurrere, & ſimiliter in dolium irrepere voluit, eo quidem momento, quo aedes vietoris SCHWARTZII, tranſivi & ejulatum coniugis & filiæ audivi, hinc ſtatim ad dictum dolium accurri adiutoremque a propoſito ſuo dehortatus ſum, & ut potius circulos doliares fundo oſtioli proximos malleo decuteret, admonui; dictum factum. Dominus JOH. ANDREAS STRIXNERUS dolii fundum ſecuri quadam confregit, idemque cum multis aliis reclinavit, binos hos vietores, omnium ſenſuum & motuum expertes exinde extraxit, quorum cutis undique cœrulea, vaſa exteriora ſanguine depleta, pulſusque abolitus fuit. Poſt multas fortiſſimas frictiones, uſum ſpirituum volatilium refocillantium, artuumque paſſivum motum in hypocauſto & lecto calefacto, JOHANNES SCHWARTZ ſe iterum movere & anxie reſpirare valuit, dein de ſumma anguſtia præcordiorum ſummaque virium proſtratione conqueſtus eſt; hinc ſtante pede validiſſimum diaphoreticum, nempe Elixir. Camphoræ Collect. Leid. præſcripſi & ad gtt. viij. in vehiculo calido binis hiſce perſonis exhibui, ubi SCHNEIDERUS paucas haſce guttas cum exiguo vehiculo vix deglutire potuit, ambo vero largum ſudorem obtinuerunt; SCHNEIDERO ſtatim in brachio dextro vena ſecta fuit, vix vero unciæ duæ ſanguinis effluxerunt, & hic, licet excutia in plantis pedum fortiter frictus fuerit, omnis ſenſus & motus expers fuit.

fuit. Die quinto dicti menſis SCHWARTZIUS incedere iterum valuit, aſt de animi & corporis languore & preſſione pectoris mitiore conqueſtus eſt, hinc continuationem Elixirii Camphoræ ter de die ſuaſi; SCHNEIDERUS hoc die manus digitósque paulisper movere incepit, in plantis quoque pedum a frictione excutiæ ſenſum aliqualem percepit, quærentibus quoque capitis nutu, vel adfirmando, vel negando, ſignum dedit. Veſicatorium ergo ut ſcapulas inter adplicaretur ſuaſi, cujus veſica decem horis elapſis multum ſeri lymphatici continuit, ex quo quoque pruritum dolentem ſatis exquiſite ſenſit. Aphonia vero, ſeu privatio loquelæ plenaria adhuc adfuit, maxillam quoque inferiorem neutiquam movere potuit, ſed adſtantes os vi cochlearis, dum vel potulenta, vel medicamenta propinanda erant, aperuerunt. Suaſi igitur, ut folia Roriſmarini contuſa linguæ imponerentur, & ſequentem pulverem ordinavi: Rec. Rad. pyrethri, ari, carlinæ, ſuccin. flau. aa. ℥j. M. F. pulvis, div. in IV. p. aequ. D. omni trihorio dimidia pars unius pulveris in juſculo calido, interpoſito tamen bis de die Elixir. camphoræ. Eodem adhuc die mihi quærenti: Num dolorem quemdam in quadam regione corporis percipiat? digitis indicavit, quod ſic, & quidem in pectore, quam ob cauſam cataplasma calidum e cepis in oleo olivarum aſſatis, thoraci imponere ſuaſi, ex quo etiam reſpiratio liberior reddita fuit. Die ſexto hujus menſis brachia movere, pedesque tempore frictionis cum excutia retrahere potuit, nihilominus excretiones involuntarie, omni dubio procul ob atoniam fibrarum partium ſolidarum, ſucceſſerunt, interim præteritam noctem quiete tranſegit, nunc quoque maxillam facilius movere & maſticare potuit, ſiquidem alimenta ſorbilia non modo deglutivit, ſed & hodie folia roriſmarini recentia dentibus ſcomminuit; pulſum hoc die perquam debilem & tardum, nihilominus faciem iterum floridam, vaſa ſanguifera plena ambitumque corporis ſudore

dore madidum obſeruavi. SCHWARTZII vires cum adpetitu redierunt, ita quidem, ut toto die incedere valuerit, interim tamen uſum Elix. camphoræ quotidianum non omiſit, ſed quotidie largum ſudorem, tanto quidem cum emolumento foras pepulit, ut die ſeptimo hujus menſis hypocauſtum, quo aeri liberiori iterum adſuefieret, ad aliquot horarum ſpatium deſerere, dieque proxime ſubſequente coram omnibus in aede ſacra Deo T. O. M. debita animi devotione gratias agere valuerit. Interim miſer SCHNEIDERUS, hactenus denſo ſopore & ſtupore oppreſſus, pedes & brachia huc illucque proprio motu movere, corpus quoque ſuum dextrorſum ac ſiniſtrorſum vertere incepit, erecto corpore vero neutiquam potuit ſedere; hinc ſuaſi, ut pulvis die quinto huj. præſcriptus cum Elix. Camphoræ reiteraretur, quæ medicamenta avide adſumſit non ſolum, ſed & folia rorismarini continuo maſticavit, ex quo tempore quoque muſſitavit verba quædam non intelligibilia, ſonum tamen ex ore quendam edere incepit, ita, ut quærentes ex eo vocem adfirmativam & negativam intelligere & diſtinguere potuerint, reliqua ſymptomata omnia ſpem meliorem prædixerunt, ſiquidem per digitos ſitim, famem & reliqua indicavit 8vo die. Die nono huj. menſis in viſitatione quæſivi, utrum melius ſe ſe habeat? ubi clara voce reſpondebat: *Ja*, an nullum dolorem in quaçunque regione corporis ſentiat? iterum clara voce dixit: *Nein*, & hæc prima verba, poſt ſublatam, per Dei gratiam, aphoniam, fuerunt, ut autem hæc funditus eradicaretur, ſequentes pilulas ordinavi: Rec. M. P. de Succin. Crat. Extr. Panchymag. Croll. an. ℈j. Extr. colocynthid. reſinæ Jalapp. Nucl. Pin. Subact. an. ℈ß. M. F. l. a. c. Eſſ. Succin. pil. non LX. conſperg. pulvere cinnabaris factitiæ D. pro tribus doſibus. Decimo die hujus menſis pro lubitu varia loqui potuit, hoc tamen cum diſcrimine, quod ſonus, quaſi raucedine quadam laboraviſſet, fuerit, maſticatione integra iterum

gavi-

gaviſus in prandio carnem manducavit, incedere quoque pedibus, titubantibus quidem, potis fuit. Die undecimo huj. menſ. mane jejuno ſtomacho pilularum die nono hujus præſcriptarum viginti ſumſit, elapſo autem trium horarum ſpacio alvus adhuc clauſa manſit, hinc ut adhuc decem pilularum dictarum deglutiret, ſuaſi, & has quoque neutiquam excretio quædam alvina excepit; hinc ſalis Epſomenſis drachmas ſex in aqua ſimplici ſolutas hora quinta veſpertina propinavi, ex poſt alvum ter depoſuit, placideque noctem ſequentem ſomno tranſegit. Duodecimo die huj. menſ. pedibus ſuis melius incedere potuit, loquela clarior, adpetitusque vegetior fuit. Ut autem nervorum, reliquarumque partium ſolidarum robur amiſſum eo citius reſtauraretur, ordinavi Tincturam tonicam nervinam ſequentem.

Rec. Tinctur. antimon. acr. Eſſ. Succin. an. ℥iij. olei deſtill. Lign. ſaſſafr. gutt. vj.

M. D. hora antemeridiana decima & pomeridiana quarta quotidie guttæ ſexaginta in vino, mane vero & verſus noctem Elixir. Camphoræ adſumſit, in prandio & cœna vini generoſioris unum vel alterum hauſtum conceſſi, poſt cujus tamen uſum ſemper in regione ventriculi dolorem ſenſit. Die decimo tertio dicti menſis a vini generoſioris potu nullum dolorem, uti hactenus, & quidem urentem in regione ventriculi, ſenſit, vox in dies clarior facta fuit, inſuper quoque lectum ad aliquot horarum ſpatium deſerere potuit, reſpiratio liberior & vigor corporis animique melius ſe ſe habuit, pulſus quoque fortior & citatior fuit. Die decimo quarto huj. menſ. omnia ſymptomata ad votum remiſerunt, quædam etiam plane ceſſarunt, ſiquidem aphonia, raucedo & reſpiratio anxia per Dei gratiam penitus ablatæ fuerunt, omniaque diſtincte & clara voce eloqui, clauſoque ore in- & exſpirare valuit. Decimo quinto die hypocauſtum calefactum relinquens, cubiculum ſuum ordina-

rium frigidum iterum frequentavit & plane nihil incommodi exinde ſenſit. Die decimo ſexto & ſeptimo huj. menſ. fere toto die deambulavit & in cubiculo frigido optime ſe dormiviſſe, mihi adſeveravit, inſimulque de pruritu in artubus, pedibus nimirum & brachiis, ſerpente & tenſivo conqueſtus eſt, quem tamen optimæ notæ quid polliceri indicavi, ſiquidem motus de die in diem liberior, extenſio & retractio muſculorum & tendinum dictorum artuum hiſce diebus vegetior & fortior evaſit, quam ob cauſam motum brachiorum & pedum usque ad laſſitudinem, diætamque eupeptam cum aromatibus conditam unacum vini uſu commendavi, nec non Tincturæ tonico-nervinæ uſum continuare juſſi. Die decimo octavo pilulas triginta nuper præſcriptas ſumſit, quæ cum levamine exoptato decem ſedes excitarunt. Decimo nono & vigeſimo die huj. menſ. operibus ſuis domeſticis iterum navans, neque pruritum in artubus, neque aliud quid incommodi, niſi aliqualem adhuc virium defectum ſenſit, interim hilaris animi fuit, vires quoque ita incrementum ceperunt, ut paulo poſt iter aliquot milliarium per pedes fecerit & ſanitati integræ per Dei gratiam reſtitutus fuerit.

Omnia hæc ſymptomata privationi aeris adſcribenda eſſe, nemo facile negabit, unde vero cauſa hujus privationis petenda ſit, res eſt altioris indaginis; ſiquidem iidem hi vietores per multos annos ex eodem dolio eodem modo vinacea ita conſervata depromſerunt, abſque ullo tamen incommodo ſubſequente. Præterea quoque multi alii vietores hoc viſitantes unanimi voce teſtati ſunt, ſe ſe vinacea eodem modo conſervaſſe & adhuc conſervare, dato tempore quoque per oſtiolum in dolium ingreſſos eſſe & ad ſpiritum vini eliciendum eadem depromſiſſe, nulli vero ex omnibus per omnem vitam tale quid obveniſſe. Quoniam vero

vero in caſibus hujusmodi tragicis, multi ſtatim ad ſupranaturalia & ſuperſtitioſa aſyla confugiunt, uti caſus ille vere tragicus Jenenſis, a fumo noxio prunarum Anno MDCCXV. exortus, ſatis docuit, itaque ut mentem meam, (ſalvis tamen omnium politiotis ingenii virorum ſententiis,) exponam, cauſam privationis aeris in hoc caſu e ſequentibus breviter adduco:

I. Omnia fere vinacea in vineis fimo noviter ſaturatis collecta fuerunt.

II. Muſtum ob utricolorum uvarum tenacitatem & denſitatem non omne exprimi potuit.

III. Reliquæ uvæ vel in totum, vel in tantum putredine corruptæ fuerunt.

IV. Dolium hoc ultra dimidiam partem a vinaceis evacuatum per aliquod tempus probe clauſum ſtetit.

Primum quod attinet, noto notius eſt, muſtum e vineis ſtercoratis odorem ſulphuris alicujus narcoticæ indolis, ſpirare, nec non ſaporem amariuſculum nauſeoſum, (quem vulgo Mergel vocant,) præbere, qui vero unacum odore modo dicto tractu temporis ceſſat, vinumque generoſius coloris altioris reliquit. Omnis vero odor a particulis ſulphureis & ſalinis volatilibus dependet; ſapor vero ſalinis particulis originem ſuam debet; porro quoque quotannis in cellis muſtum fermentans continentibus, obſervare licet, muſtum e vineis fimo ſaturatis majorem vim habere, intrantibus candelam extinguendi, & paucum tempus in illis moram nectentibus reſpirationem difficiliorem reddendi, tuſſimque excitandi. Ratio facile ex hoc patet, quoniam fermentationis ope aer rarefit, particulæque ſpirituoſæ & ſulphureæ ſe ſe ex-

pandunt, adeoque majus ſpatium adfectant, hinc neceſſario hac rarefactione, in loco tali ſubterraneo fornicato paucisque ſpiraculis inſtructo, flammam candelæ extingunt, reſpirationem difficilem reddunt, immo in pulmones irruentes ſæpiſſime tuſſim excitant. Quod ad *ſecundum*, muſtum ob utriculorum tenacitatem & denſitatem non omne exprimi potuiſſe, hoc maxima ex parte ab aeſtate humida atque temperata evenit, hinc etiam uvæ non jugiter & ſimul, ſed multæ ſero floruerunt; integra enim hac aeſtate fere nihil niſi pluviæ & imbres, nec non venti rapidi, præcipue boreales obſervabantur, hos vero remittentes & ceſſantes Zephyrus cum aere ſuo humido & putrido excepit, hinc non mirum, quod uvarum utriculi tenaciores manſerint. Ventorum quippe in corpora, præcipue animata & vegetabilia, tanta eſt vis, ut omnino eorum in agricultura & ſanitate non exigua habenda ſit ratio. Zephyrus enim ab Occidente ad nos Germanos ſpirans; humidus & tardus eſt, ſiquidem ex Oceano Atlantico ingentem copiam humiditatum exhalatarum ſecum vehit, quæ, quoniam aer hic frigidior, in nubes & pluvias tempore aeſtatis, hyemali autem tempore in nivem condenſantur, ita, ut flante hoc, etiam ruſtici aeſtate pluviam & hyeme nivem prædicere ſciant. Aquilo e contrario craſſus, frigidus & celer eſt; craſſus eſt, quoniam aura Zonæ frigidæ omnia corpora occludit & condenſat, frigidus eſt, ſiquidem e frigidiſſima regione & polo arctico, a radiis ſolaribus calorem largientibus, remotiſſimo, nos afflat, celer vero eſt, quia in Germania, utpote calidiore regione, aer hic antea condenſatus reſolvitur, majoremque vim elaſticam acquirit; hinc Aquilo omnino denſitatis ac tenacitatis utriculorum uvarum cauſa primaria fuit.

Quod

Quod vero *tertium* attinet *punctum*, nempe; Reliquas uvas vel in totum, vel in tantum putredine corruptas fuiſſe, in regno vegetabili, & quidem in fructibus præcipue, obſervare licet, Zephyro tempore aeſtivo diu flante omnia in putredinem degenerare, hunc vero præterita aeſtate ſæpiſſime ſpiraſſe, ſupra jam jam indicavimus; hinc quoque aliter evenire haud potuit, quin putredine uvæ maturæ contaminatæ fuerint, uti hoc variis in tractibus atque plagis vinetorum hoc anno abunde adparuit, ſiquidem in vindemia vineæ verſus meridiem & occidentem ſitæ, uvas prorſus putridas præbuerunt, eo magis vero illæ, quæ haud ita pridem fimo exſatiatæ fuerunt. Ne autem cancellos epiſtolæ transgrediar, dolium quoque ipſum adhuc attingam, *quarta* enim *circumſtantia* fuit: Dolium ultra dimidiam partem a vinaceis depletum per aliquod temporis ſpatium probe clauſum ſtetiſſe. Hic probe attendenda eſt fermentatio & elaſticitas, fermentatio enim absque aeris admiſſione neutiquam peragi poteſt, totum dolium antea vinaceis repletum, ſenſim ultra dimidiam partem ab iisdem evacuatum per aliquot dies probe obturatum ſtetit, vinacea partim putrida, partim tenaciora atque denſa fuerunt, inſuper quoque in vineis noviter ſtercoratis collecta, ideo omnia requiſita ad fermentationem ſubeundam in promptu fuerunt: In dolio enim ſpatium fuit, vinacea ſpiritum vini inteſtina elaſticitate præditum eo quidem majori copia continuerunt, quo minus muſtum prelo torculari ex uvis propter tenacitatem exprimi potuit, inſuper putrida vinacea reliqua ad promptiorem fermentationem, cumprimis, cum multis particulis ſpirituoſis, ſulphureis & ſalinis imbuta fuerint, excitarunt. Fermentatio vero ope motus intrinſeci perficitur, ita, ut corpora amplius ſpatium adimpleant, ſe ſeque in alia immutent & ad perfectiora tendant, quod quoque

que in hiſce vinaceis factum eſt. Elaſticitas enim ſulphurearum & ſpirituoſarum partium ſeſe expandere voluit; aſt quoniam ſpatium dolii vacuum intuitu proportionis illius non ſufficiens fuit, hinc neceſſario vietores hi dolium intrantes minime reſpirare potuerunt, & hinc etiam omnia exinde oborta triſtia ſymptomata, privationi aeris a fermentatione & elaſticitate partium ſulphurearum & ſpirituoſarum provenienti, adſcribenda ſunt, quæ tamen omnia per Dei gratiam ſublata cauſa, plenarie ſublata ſunt. Et hoc eſt, VIR ILLUSTRIS, quod hiſce pagellis Tecum de hac materia & caſu hoc communicare volui. Vale interim, mihique porro fave. Dab. ex Muſeo. d. 15. Mart. 1738.

CA-

CAROLI FRIDERICI LOEW,
Nobilis Hungari,
Acad. Cæſ. Natur. Curioſorum
Adjuncti,

EPISTOLA
ad
CELEBERRIMOS
OMNIUM
REGIONUM BOTANICOS,
qua de
FLORA PANNONICA

Conſcribenda Conſilium cum ipſis communicat, & ſingulos ad commercium botanicum, mutuamque rariorum plantarum, ſeminumque communicationem, perofficioſe, & peramanter invitat.

VIRI DIGNITATE ET DOCTRINA ILLUSTISSIMI

MAGNIFICI, EXCELLENTISSIMI.

TAntum mihi audaciæ dedit cum Veſtræ humanitatis fiducia, tum incredibilis illa, qua ſemper flagravi, *plantas Pannonicas* deſcribendi, & cum orbe erudito communicandi, cupiditas: ut non ſim veritus *Vos*, in hoc ſtudii genere alioquin occupatiſſimos, appellare, & interpellare. Pro illa cupiditate, ex Academia in *Hungariam* redux, anno 1721. frequentiſſime ad conquirendas, & contemplandas plantas excurri, &, plantarum varietate motus, *Floræ Sempronienſi* primam manum admovi. Sed intervenerunt conſilio cum alia, tum præcipue apud Vindobonenſes oblata artis medicæ exercendæ occaſio. Igitur *Vindobonam* vocatus, per decem, & ſex annos in aula Cæſarea commorantibns *Regum*, *Principumq. Legatis* non ſolum; ſed ipſis etiam *Sereniſſimis* S. R. I. *Ducibus* plurimis, regnantibus aeque, atque aliis, *Saxonicis*, *Meinungenſibus*, *Gothaitis*, *Hildburghauſenſibus*, *Würtembergicis*, *Haſſo-Caſſellanis*, *Barutho-*

rutho - Brandenburgicis, *Onoldinis*, aliisque, artis ſalutaris opera præſto fui, a nonnullis Principibus *Conſiliarii*, & *Archiatri* dignitate, cujus gradum etiam nunc teneo, ornatus. Hac occaſione deſcribere inſtitui plantas, quæ tum erant in horto Sereniſſimi Principis, *Eugenii Franciſci*, Sabaudiæ, & Pedemontii Ducis, celeberrimo, ſed grave impedimentum conatui obſtitit, atque offecit. Etſi enim inviᴄtiſſimus ille Heros, non tantum opinione famæ horti ſui, hac ratione illuſtrandæ, ſed etiam Aulicorum Miniſtrorum, Legatorum, Conſiliariorumq. Cæſareorum Aulico - Bellicorum interventu permotus, facilem mihi, & liberum cum in hortum tum in bibliothecam, in qua libros botanicos rariores conſulerem, aditum conceſſit: tantum tamen abeſt, ut vel bibliothecæ præfectus, vel horti, hoc tempore fere neglecti, procurator, negotium hoc promoverit, ut potius impediverit. Hæc autem non obſtabant, quo minus in aliis elaborarem, ſigillatim, per vacui temporis momenta, *Hiſtoriam naturalem* illuſtrarem, *Hiſtoriam Regni Hungariæ* conſcriberem, eamq. multis *curioſioribus*, ad ſtatum naturalem pertinentibus, *deſcriptione item Cimeliorum Regni Hungariæ*, ad exemplar, quod in Auguſtiſſimo Cimeliarchio Vindobonenſi aſſervatur, exactiſſime, cnm *Gemma Auguſtea*, delineatorum, *Numismatibus* etiam, aliiſq. *rarioribus*, ad *antiquam* aeque, atq. vel *medii aevi*, vel *recentiorem hiſtoriam* facientibus, ſingulari cura collectis, exornarem, mox etiam cum Sereniſſimo *Duce Saxoniæ*, *Regnante*, *Coburgico Meinungenſi*, *Antonio Ulrico*, Domino Clementiſſimo, *Mineralia*, *&* *Foſſilia*, in primiſque *gemmas*, *atque lapides*, duriores, & moliores, opacos, & pellucidos, nobiliores, & viliores omnis generis undique conquirerem. Talium rerum tam limatam, politamque varietatem alibi occurrere conſpiciendam, induci non poſſum, ut credam: quæ adeo ſatis ſuperque de eruditiſſimi, & exquiſitiore literatura politiſſimi Principis hujus curioſitate teſtatur: cujus ego Clementiæ

tiæ ut multa alia; ita præcipue doctrinæ, & cognitionis felicia incrementa accepta refero. Semper enim, quoties mihi vel in aliis negotiis, vel ad menſam, eius conveniendi poteſtas data eſt, doctiorem a doctiſſimo Principe, raro ſui ordinis exemplo, aetatis ſuæ phœnice, me receſſiſſe ingenue prædico. Reverſus ante annum in *Hungariam*, ad *Floram Sempronienſem*, cujus conſcribendæ initium ante complures annos feci, continuandam acceſſi, tanto majore libertate in eo negotio occupatus, quo liberior in Sempronienſi, quem vocant, Comitatu aditus ad quævis loca patet, quove major eſt Semproniis ubi tonſores, pharmacopœi, & balneatores Medicos, Medici autem nonnulli, ſordida avaritia impulſi, contra antiquorum, & cordatorum Medicorum inſtitutum, pharmacopœos agunt, in liberali otio, a gravioribus impedimentis vacuitas, ad rerum naturalium contemplationem, & deſcriptionem (de qua medicaſtri illi ne quidem cogitare poſſunt) conferenda. Quid patriæ meæ filii in harum rerum ſtudio præſtiterint, vel ex *Io. Jac. Scheuchzeri Bibliotheca Scriptorum Hiſtoriæ Naturali omnium Terræ Regionum inſervientium* patet, ubi pag. 140. ſcribit: Hungarorum bellicoſam nationem, bellis, atque perſecutionibus continuis infeſtatam, non tantum habere otii, ut aliquid temporis ſtudio huic impendere poſſit Hiſtorico-Naturali: tam pauca eſſe, quæ circa hanc materiam proſtent, & ab Hungaris ipſis quidem exarata pæne nulla. Etiam *Jac. Tollius in Epiſtolis itinerariis*, pag. 181. conqueritur, ſe, cum plurimas in Pannonicis montibus herbas, & in his non nullas florum elegantia commendabiles, ignotas hactenus, obſervaſſet, & ad eos detuliſſet, quos eas noſſe decuerat, nominaque & naturam exquiſiviſſet, nihil niſi doloris incrementum retuliſſe, quod pictore careret; qui delinearet, cum ſiccandi domumque deferendi tempus, & occaſio deeſſent. Tractatus duos, quos *de gemmis Hungariæ*, nec non de *Balſamo Hungariæ Carpathico*, ſcripſit *D. D. Chriſt. Aug. ab Hortis*, Vir doctiſſimus, manuſcri-

nuſcriptos, cum rariſſima bibliotheca, vicinis Polonis venditos eſſe, teſtatur non modo *Phil. Jac. Sachs a Lewenheimb in Schol. ad obs.* 28. p. 57. Eph. Nat. Cur. D. I. A. II. ſed & *Io. Ad. Raymannus*, Phyſicus Eperienſis Celeberrimus, in literis ad me datis confirmat. Negat in illis, ſe vel de *Procopii Bonani*, Cæs. Camer. in fodinis Regiis Hungariæ Archiatri, raro doctiſſimoq. libro, *de admirandis rebus Hungariæ*, plus quam ducentis tabulis aeneis aucto, & ſumptibus Archiepiſcopi, Palatini Hungariæ, & Comitis Nádaſti, fauſtam Lucinam expectante, vel de *Chr. Aug. ab Hortis* ſcriptis quidquam deprehendiſſe, cum hujus utrumq. ſcriptum in Poloniam delatum feratur. Unde & *Henr. Chriſt. Henninius, in Annotat. & obs ad Jac. Tollii Epiſt. Itin.* V. p. 210. ex animo dolet horum librorum doctiſſimi Chr. Aug. ab Hortis interitum, quem Virum, Sileſium, Niſſa oriundum, atque deinde a S. C. R. Majeſtate libertate nobilitari Hungarica gratioſe donatum, circa annum 1640. *Carpathum* conſcendiſſe, & *balſamum*, vel oleum, nemini antea cognitum, ibidem primum deſtillaſſe, teſtis eſt D. D. *Joan. Milleter*, Medicus Leutſchovienſis famigeratiſſimus, in doctiſſima Diſputatione med. inaugurali, *de morbo Tsömmör*, Hungaris endemio, p. 45. Atq. uti ex Hungaris meis in Botanicis vel ſolus laudem meretur *Joannes Lippay*, ordinis Patrum, qui Societatis Jeſu appellatione celebres ſunt, cujus extat *Hortus Poſonienſis*, Hungarico idiomate conſcriptus, & anno 1664. editus, in quo erudite, & ſatis accurate, duobus libris, de floribus, & plantis, quarum uſus frequentior eſt, expoſuit: ita inter extraneos præcipue commemorandus eſt *Carolus Cluſius*, cujus plane ſingularem in deſcribendis plantis Pannonicis laborem non poſſum non admirari. Eum ego erudito, & candido lectori, inſtituta quadam perpetua eius IV. librorum, quos *de Stirpium hiſtoria* edidit, recenſione, ipſius fere Cluſii verbis, aeſtimandum proponam. Collegit Vir eruditiſſimus, & curioſiſſimus, in longis, & variis peregrinationibus, ſigillatim

per *Pannoniam*, *Auſtriam*, & *vicinas* quasdam *provincias*, multas plantas, & ſtirpes rariores, non ſolum in locis, quæ faciles habent aditus, ſed etiam in ſummis ſummarum alpium ſuperciliis, ut in quibusdam per nivem, glaciali duritie conſtrictam, ferreis uncis ad pedes alligatis, eidem delabendum fuerit. *Pannoniam* cum *ſuperiorem*, tum *inferiorem*, *interamnem* etiam, cujus pars tunc *vvindiſchland* appellabatur, ultra *Dravum*, flumen, cum Illuſtriſſimo Comite de Battyán, intravit. Et velut non ſolum in monte *Prellenberg*, alteri, qui *Haimburgenſis* dicitur, vicino, Hungariæq. qua Auſtriam ſpectat, extremo, ſed aliis etiam, jam *Altenburgi*, jam *Petronellæ*, jam ſupra *Poſonium*, & *Teben*, ultra Danubium, jam etiam ſupra *arcem D. Georgii*, jam ad oppidum, *Stamphen*, aliquot miliaribus ultra Poſonium, jam circa *Tirnaviam*, ſingulari ſtudio rariores plantas annotavit: ita in ſiccis pratis, ſupra, & infra *Sempronium* occurrentes plantæ, & in his copioſe proveniens *Echium*, flore rubro eleganti, alibi non obſervatum, nunc intenſiore, nunc dilutiore colore ludens, ipſi admirationem movit. Multas, a nemine adhuc deſcriptas herbas deprehendit ad montem, *Eiſenberg* dictum, & *Pinkæ*, fluvio, imminentem, qua ad vallem, *Pinka Thal*, a fluvio nuncupatam, deſcenſus eſt: plures collegit circa oppidum, *Zolnok*, aeque, atq. circa *Német Vivár*, Germanice *Gyſſing* dictam, arcem munitiſſimam Illuſtriſſimi Comitis Balthas. de Batyán: plurimas deſcripſit in Pannoniæ interamnis, nunc *Slavoniæ*, illa ſilua montoſa, ducente ex arce *Greben*, inter *Savum*, & *Dravum*, flumina, verſus *Varasdinum*. His & ſtirpes addidit, quas vel ad Comitis de Zrinio arcem, *Cſakathurn*, vel ad arcem, *Fridau*, vel non procul a *Lindvva*, Illuſtriſſimi Comitis de Bámfy

fy arce, in Comitatu *Szaladienſi*, vel ad *Chyztreg*, eiusdem Bámfy oppidum in Pannonia invenit. Ita vero multum in hoc ſtudio præſtitiſſe exiſtimandus eſt Cluſius. Sive enim vias, ſive agros, vel ſegetibus refertos, vel deſertos, ſive prata, ſive ſiluas, vel cæduas, vel incæduas, ſive montes, ſummarumq. alpium ſupercilia, ſaxa, & rupes hic locorum percurras, ſive aprica ſpectes loca, ſive umbroſa, ſive ſicciora, ſive humidiora, & uliginoſa, atq. ex his vel paludoſa ſaliceta, vel harundineta, juxta piſcinas aeque, atq. ſtagnantes aquas, aut rivos, fluviosq. minores, perluſtres, vix plantulam deprehendes, quam ſolertiſſimus auctor noſter ſicco pede præterierit, qui etiam in urbis vallo, foſſis, muris vetuſtis, & ruderibus, ad margines item viarum, agrorum, ſiluarum, vinearum occurrentes plantas libro ſuo inſeruit. Icones plantarum occurrunt numero 359. ſatis accuratæ, plantarum, ſi cum iis conferantur, naturali formæ ut plurimum reſpondentes. Herbam adeo quamq. pro illorum temporum ratione, non modo apto *nomine* donavit, ſed & accuratiſſime deſcripſit. In imponendis autem nominibus tantam ſolertiam, & cautionem adhibuit, ut ſæpe anonymam relinquere plantam maluerit, quam nomen ei, non ſatis aptum, ponere. Curioſus librorum Cluſii lector, *iconem* plantæ alicujus non oſcitanter contemplans, illico agnoſcet eius genus, radicem, ramulos, folia, flores, ſemen, locum natalem, aliaq. plura. Auctor enim curioſus, & ſolers etiam temporis rationem habuit, quove menſe planta vel florem, vel fructum, aut ſemen ferat, annotavit, & de peregrinis etiam nominibus, ſigillatim *Hungaricis*, & *Germanicis* cognoſcendis ſolicitus fuit, atq. adeo de his & rhizotomas mulieres Auſtriacas, & venatores, & paſtores montanos, & alios ruſti-

ruſticos incolas, ſæpius in conſilium vocavit. Hungarica quidem nomina in hoc opere Cluſii pleraq. mendoſe expreſſa occurrunt: quod tamen magis typographi, quam Cluſii culpa accidiſſe cenſeo, hoc magis, quod ipſe omni cogitatione curaq. in eam rem incubuerit, ut non ſolum accurata nomina communicaret, verum etiam adderet, quid hoc, vel illo nomine Hungari ſignificantius exprimere voluerint. Hujus tantæ ſolertiæ, quam in hoc ſtudio adhibuit eruditiſſimus Cluſius, gloria ſempiterna apud nos memoria conſervabitur: cujus poſteris prodendæ vix commodiorem mihi occaſionem relictam eſſe arbitror, quam ſi nobile ejus, quo diu noctuq. flagravit, in plantis Pannonicis, in primis vero *Semproníenſibus*, quas admiratus eſt Cluſius, cum tamen eas vix a limine ſalutarit, deſcribendis ſtudium aemuler, idem inſtitutum ſedulus urgeam, ſimilibusq. monumentis plantas Semproníenſis territorii, indigenas aeque, atq. alias rariores, ſolicitius ad poſteros transmittam. Fructum ex hoc labore in primis *Semproníenſes* meos percepturos ſpero, quibus hac ratione non modo ſalubriores, ſed & peſtiferæ, vitandæq. plantæ innoteſcent. Illud etiam futurum confido, ut alii quoq. patriæ filii hoc exemplo ad parem plantas, in *aliis Hungariæ Comitatibus* occurentes, deſcribendi ſolertiam incendantur. Tale quid, certe, in animo habuit eruditiſſimus vir juvenis, *Samuel Wachsmannus*, Leutſchovia Hungarus, quem ſocium in Botanicis, apud Saxones cum ageremus, indefeſſum ſemper habui. Sed mors conatibus intervenit præmatura, quæ mihi deſideratiſſimum laboris ſocium, cum in *Belgio* commoraretur, eripuit: cujus immaturum obitum etiam nunc eo acerbius fero, quo plura, & exquiſitiora in hoc ſtudii genere ab ipſo expectanda fuiſſent. Vos igitur,

Viri

Viri Celeberrimi, per officioſe compellandos duxi, & vel illo Ciceronis, *in omni honeſto, nihil tam illuſtre, nec quod latius pateat, eſſe* Libr. V. de Fin. ſtatuentis, *quam coniunctionem inter homines hominum, & quaſi quandam ſocietatem, & communicationem utilitatum*, ad benevolam conſpirationem conſenſumq. invitandos. In hoc benevolentiæ genere præſtando ſi Vos habuero faciles, cerno jam animo, quanto mihi, tot tantorumq. Virorum auctoritate, & benevolentia etiam contra invidorum malevolentiam munito, totius operis decurſus facilior ſit futurus. Equidem, cum hæc ſcribebam, non deerant, quæ inſtituto operi moram, & impedimentum illatura videbantur. Armorum enim ſtrepitu, & peſtilentiæ, quæ per quosdam Hungariæ tractus inciderat, metu cives mei ſuſpenſi erant. Ego tamen ſpe gratiæ, & præſidii divini confirmatior, äerem etiam *Sempronii*, dum hæc addo, ſaluberrimum, & cives ita bene välentes, ut vix quisquam infirmus fores meas pulſet, aut opem imploret, ſentiens: nunquam vel adverſorum, vel publicæ calamitatis metu ita animum deſpondi, ut ſeria omittenda, & ignavo dolori indulgendum eſſe putaverim. Hoc igitur, ſtudio nunquam interrupto, per hæc tempora egi, ut, *deſcribendis plantis Pannonicis* curioſorum votis ſatisfacerem. In hoc inſtituto adhuc occupatum, ut Vos, *Viri Celeberrimi*, conſiliis, & opera perbenigne juvetis, oro, atq. obteſtor. Vobis ego viciſſim non *ſemina* ſolum plantarum pannonicarum rariorum, rarioresq. *plantas*, ſed & vera, atq. genuina, multumq. a Cluſianis, Mentzelianisq. diverſa, verbo, accuratiora plantarum nomina *hungarica* in *Flora Sempronienſi* ſpondeo. Studium, & operam promptiſſimam, quantam quidem ad hos conatus, feliciter provehendos, præbere poſſit, mecum liberaliter ſpondet, omni meo præconio, quod ad humanitatem, ſtili elegantioris, rei herbariæ ſtudium, omnivariamq. literaturam, major, Dn. I. *Chriſtoph. Deccardus*, Scholæ Sempronienſis Rector Clariſſimus, qui graviores curas, quas in ſcholis pub-

lice docentibus vana ſterilisq. cathedra affert, ceterasq. moleſtias, quas in piſtrinum Scholaſticum compacti quotidie capiunt, vel *vinearum* vel *horti florumq.* cultura, vel etiam *plantarum indigenarum* ſtudio, quo non vulgariter delectatur, lenire ſolet. Agite igitur, *Viri Celeberrimi*, date non inviti locum precibus Vos ad *commercium botanicum*, & *rariorum ſeminum*, *plantarumq. communicationem* mutuam peramanter, invitantis, & laborem meum, *typis deſtinatum*, conciliata etiam cordati alicujus bibliopolæ voluntate (cum talium Virorum apud nos copia non ſit) cujus opera cum *orbe literato* feliciter communicetur, prompti facilesq. promovete. Reliquum eſt, ut Veſtro favori me ſtudiaq. mea commendem, nihil dubitans, quin de hoc meo inſtituto recte benigneq. ſitis exiſtimaturi. Dabam Sempronii in Hungaria d. 25. Aug. A. O. R. cIↄ Iↄcc XXXIX.

EPI.

EPISTOLA,

QUA

VIRO ILLUSTRI, CONSULTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO DOMINO

DOMINO

ANDREAE ELIAE BUCHNERO

MEDICINAE DOCTORI CELEBERRIMO
ARCHIATRO ET COMITI PALATINO CAESAREO
S. R. I. NOBILI
ACADEMIAE IMPERIALIS NATURAE CURIOSORUM
PRAESIDI GRAVISSIMO
CHYMIAE PROFESSORI P. ORDINARIO ET FACULTATIS
MEDICAE ADSESSORI IN ACADEMIA ERFORDIENSI
SOCIETATIS SCIENTIARUM REGIAE BEROLINENSIS
MEMBRO DIGNISSIMO

PATRONO SUO,

OMNI OBSERVANTIAE CULTU PROSEQUENDO

DE COLLATO LOCO
IN ACADEMIA IMPERIALI NATURAE CURIOSORUM
GRATIAS AGIT DEBITAS

JOHANNES CONRADUS TRUMPHIUS

MED. D. ET MEDICUS OPERARUM METALLICARUM SYLVAE HERCYNIAE INFERIORIS
QUAE SERENISSIMAE DOMUI BRUNSVICENSI SUBEST, ORDINARIUS.

VIR ILLUSTRIS, ATQVE EXPERIENTISSIME,

PATRONE MAXIME SUSPICIENDE,

Miſiſti nuper diploma, quo me in *Academiam S. R. I. Naturæ Curioſorum* benevole recipis. Indignum me reputavi iſto honore, metuens, ne ex virium ingenii debilitate, eruditionis tenuitate, onere laborum, qui præter munus medicum obeundi ſunt, utilia Academiæ præſtare officia prohibear. Verum aliter ſenſiſti, Vir Illuſtris! Calculum adiecisti Viro celeberrimo D. D. *Brückmanno*, amico meo veterano, qui mihi honorem iſtum propter tenuem illum laborem, quem in transmiſſa *Tibi hiſtoria naturali Verdæ urbis* (ibi enim per annos aliquot medicinam feci) collocavi, adjudicandum eſſe exiſtimavit. Gratioſe igitur recepiſti me in dictam Academiam, attributo cognomine *RUFI ſecundi*, eum maxime in finem, ut eo renovares memoriam beati Propatrui mei, *D. Johann. Georgii TRUMPHII, Phyſici* olim *Goslarienſis, Senatoris*, tandemque *Conſulis, Academ. Imperial. N. C. Collegæ* dicti *RUFI.* Eum quoque in finem, fateor, læto animo me accipere iſtum honorem, quo quippe b. Propatruus meus, quem omnino ſine verecundiæ læſione virum eruditum nominare queo, fuit mactatus. Ideoque Tibi, Vir Illuſtris, permagnas exſolvo gratias, quod

quod tenues meos conatus tali honore dignos judicare volueris. Suſpicio Te, Præſidem noſtrum, Patronum meum, illoque honoris loco ſemper Te, Vir Illuſtris, ſubmiſſe habebo. Benigniſſimum Numen, quod in eminentiori loco Te conſtituit, in eodem, ejusque incremento per plures annos Te conſeruet, ſanitate firmet, bonis augeat, florere Te præſertim jubeat in emolumentum Academiæ, cujus membrum nunc me nuncupaſti. Supereſt, ut nunc obedientiam promittam Legibus Academiæ, quas mihi transmiſiſti. Incumbit nempe membris, ut præter communicandas obſervationes penſum aliquod elaborandum ſuſcipiant. Equidem dum jam nomen in Academia dicta impoſuiſti, me huic legi aliquo modo jam ſatisfeciſſe, declaraſti. Non ſubterfugerem tamen, novum penſum pro viribus elaborandum ſumere. Quale vero ſumerem, hæſitarem. De multis ſatis jam dictum eſt; ſuperflua vero nocent. De multis non valerem ſatis digne ſcribere. Ante aliquot annos inceperam de *Tutia & Pompholyge* agere, & quidem noſtra. In pharmacopoliis quippe hactenus putarunt Alexandrinam eſſe debere, aut certe Leodienſem. Hanc noſtram inquirendi occaſio ſufficiens erat. Sed deſtiti de opere, poſtquam D. D. *BAJERUS*, filius Præſidis olim noſtri *Joann. Jacob BAJERI* mihi narrarat, ipſius Patrem hoc opus affectare. Non reſcivi quidem poſtea, prodiiſſe hunc librum. Imo adfirmavit ante annum D. D *Iſaac LAWSON*, Medicus Scotus doctiſſimus, qui in decennali per Bataviam, Galliam, Germaniam itinere, me hic quoque convenerat, non proſtare Bajeri librum de Tutia. Aſt enim vero, quoniam Ipſe librum de materia hacce regni mineralis confecit, qui, quamuis ipſe eum non legerim, quantum ex perdoctis illius viri ſermonibus collegi, omnibus numeris, quoad homini licet, eſt abſolutus, abſonum eſſet, poſt Homerum iliada ſcribere. Ne vero nihil egiſſe videar, mittam Academiæ obſervationes quasdam de purpura, quam hactenus noſtris in oris frequentiorem, quam aliis annis experti ſumus, nam nunquam

ille morbus penitus ſilet. Perſpicietur ex illis, plures eius ſtatuendas eſſe diſtinctiones, quam hancce: in rubram et albam. Clarum inde fiet, nondum certo definiri poſſe, ex quo rubra, ex quo alba conſurgat. Eluceſcet ex his et aliis e. g. obſervationibus Wratislavienſibus, genium hujus morbi non eſſe ſemper eundem. Patebit, opinionem eorum valde eſſe erroneam, qui ortum hujus morbi ex potu Copheæ derivant. Non deſunt, quæ praxin tangunt. Quamuis enim non adeo certa in hac experiri licuit, quæ tamen una cum aliis, præſertim Collega, D. *MEIENBERGIO*, a Sereniſſima domo Brunſuigo - Luneburgica conſtituto medico metallariorum Cellerfeldenſium & vicinorum, maxime probata expertus ſum, indicavi. Id enim experientia nos edocuit, regimen nimis calidum & medicamenta calidiora in plerisque nocuiſſe. Fuit is mos anteceſſorum complurium, urgere hos aegrotos calore externo & interno imo memini, chirothecis fuiſſe munitos, & lectis tantum non ſuppreſſos, raro tamen bono cum eventu. Nihiloſecius hic mos non omnibus exolevit. Ex ejusmodi obſervationibus, Vir Illuſtris, conſtant hæ pagellæ, quas Academiæ offeram. An luce ſint dignæ, dubito, Tuum tamen erit judicium. Mihi ſatis eſt, monſtraſſe, ſymbolo Academiæ me pro viribus ſatisfacere allaborare, aut allaboraviſſe: Nunquam otioſus. Inſuper Tibi, Vir Illuſtris, ex prioribus meis conſtat, me *diſſertationem* meam *inauguralem de aere, aquis & locis Goslarienſibus*, germanico idiomate auctiorem reddidiſſe, ut, ſi denuo deſcribatur, typis nunc ſit parata, & ſub titulo: *Hiſtoria Naturalis Goslarienſis*, evulgari queat. Hanc Academiæ offero, ut ex eius judicio, aut typographo detur, aut ſcriniis recondatur. Pertractavi in illa res naturales Goslarienſes *tribus Capitibus*. *Primo* agitur de *aere* & atmoſphæra. Ubi de gravitate aeris per barometrum dimenſa, de *ventis*, eorum cauſis incertis, conditione eorum in hoc loco, procellis, mutatione ventorum, anni temporum conditione, ejusque cauſis atque effe-

effectis, nempe morbis. *Secundum Caput* tradit *aquam*. In hoc de *pluvia*, ejusque quantitate annua, quæ multum excedit illam, quæ Pariſiis aut Ulmæ obſervatur; de aqua fontana & quidem foteria, qualis noſtro loco eſt Wienborn, cujus inquiſitio & deſcriptio uberius traditur; de fonte Kinder-Brunnen fonte Mark-Becken, ceterisque fontibus: de aqua fluviali *Goſæ* rivuli percelebris, quæ ideo accuratius examinatur. Vulgo enim hæc aqua fertur mineralis; evincitur itaque experimentis ſat multis, talem non eſſe. Non omiſſa eſt inquiſitio reliquorum rivulorum. Quoniam autem cereviſia Goslarienſis in non mediocri verſatur fama, præcipue apud vicinos, & omnino laudem meretur non parvam, hujus coquendi modus, variæ ſpecies, virtus, cautio iu utendo, exquiſitius eſt examinata & tradita. *Capite III.* in quo agitur de *Locis*, *ſoli conditio*, aliaque, quæ ſub prioribus capitibus contineri nequiverunt, ſunt deſcripta. Præmiſſa igitur regionis vicinioris delineatione, conſideratur *vitæ regimen incolarum* ratione victus, potus, domiciliorum, laborum &c. Cui annectitur disquiſitio cauſarum *bronchoceles*, morbi in terris hercyniæ, ideoque & Goslariæ frequentioris, quam in vicinis planis regionibus. Deinde enarrantur *metalla* & *mineralia*, quæ hic loci, præſertim in monte Rameli inveniuntur; additur, qua ratione in uſtrinis præparentur, ut in uſum hominum cedant. De *morbis metallicorum*, cum jam ab aliis actum ſit, adduntur tantum quædam meæ ipſius obſervationes. Sequitur enarratio *lapidum* tum figuratorum tum non figuratorum atque ignobilium, quorum permultæ ſpecies circa Goslariam reperiuntur. Annectitur catalogus *herbarum* ſponte circa Goslariam naſcentium, ab alio medico conſcriptus & a nobis ſuppletus, quem tamen non pronuntiamus opus abſolutum; addidimus tamen, quantum nobis nota fuerunt, herbis nomina Germanica Saxonica, hicce conſueta. Conjunctus eſt brevis catalogus *animalium* quadrupedum, volucrium, natantium; volucrium fortaſſe plures ſpe-

cies

cies dantur, quam in regionibus planis. Tandem ſubnectitur conſideratio *incolarum* quoad ſtaturam, ingenium, mores, morbos, vitæ terminum. Impletura eſſet hæc tractatio, ſi typis mandaretur, circiter 24. aut 30. plagas. Hanc, quam primum deſcripta erit, Academiæ tradam. Ulteriori oneri ſuſcipiendo & ferendo vix humeri ſuffecerint. Non parcam tamen viribus, quousque ferre valebunt. Ut deſint, voluntatem aequi bonique conſulet Academia, atque Tu, Vir Illuſtris, Præſes illius, id quod Te obnixe rogo, perpetuum Tuum mihi exorans favorem, id operam ſedulo daturus, ut promto Tibi inſerviendi animo eum aliquo modo promerear.

VIR ILLUSTRIS ATQUE EXPERIENTISSIME,

ILLUSTRIS TUI NOMINIS.

Goslariæ d. X. Jul.
MDCCXXXIX.

Cultor obſequioſiſſimus
JOHANNES CONRADUS TRUMPHIUS.

ME-



M. Tyroff del. A. Höper sc.

MEMORIA
VIRI PRAENOBILISSIMI, EXPERIENTISSIMI
AC DOCTISSIMI
DOMINI
ADAMI CHRISTIANI THEBESII
PHIL. ET MED. DOCTORIS CELEBERRIMI
PHYSICI HIRSCHBERGENSIS ET THERMARUM VICINARVM MERITISSIMI
ACADEMIAE CAESAREAE NATURAE CURIOSORUM
MEMBRI DIGNISSIMI,

SCRIPTORE

CASPARE THEOPHILO LINDNERO,

MED. D. ET PRACT. HIRSCHBERGENSI
NEC NON ACADEMIAE CAESAREAE NATURAE CURIOSORUM
LEONIDE IIdo

INter viros pietate, ſcientiis & officiis illuſtres, quos *Lignitium Sileſiorum*, Patria mea dulciſſima, unquam genuit, educavit, fovit & novit, primi & principes ſane audiunt *Baudiſii* & *Thebeſii*. Teſtes ſunt non annorum, non luſtrorum, ſed ſeculorum ſeries. Quot enim ſacrorum Proceres, quot eccleſiæ Doctores, quot juris Interpretes, quot Juſtitiæ Cuſtodes, quot ſanitatis Antiſtites, quot morborum pellendorum Artifices, quot Sophiæ Magiſtros extollunt ſecula? Ex *Thebeſiis* præ multis aliis *tres Adamos* & *duos Georgios* nominaſſe ſufficiat, & ex his duobus quidem *Patrem Georgium*, Paſtorem Petro-Paulinum & Conſiſtorii Ducalis aſſeſſorem, 1658. mortuum, & *Filium ejusdem* nominis, J. V. D. Syndicum & Notarium Lignicenſem, 1688. defunctum, virum qua Juris, qua Hiſtoriæ Patriæ conſultum, certe incomparabilem. *) Ex *Adamis* Paſtorem Petro-Paulinum & Conſiſtorii Aſſeſſorem 1652. extinctum, & hujus Filium Archidiaconum Petro-Paulinum 1686. fatis cedentem & illius Nepotem *Adamum Ludovicum*, Paſtorem Petro-Paulinum & Bibliothecarium 1708. denatum, omnes pios, ſtrenuos, doctiſſimos & celeberrimos verbi divini præcones.

Imprimis tamen mentionem injiciam Dni *Adami Chriſtiani Thebeſii*, Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris, Phyſici Hirſchbergenſis vicinarumque thermarum celeberrimi, ante paucos annos pie demortui & proh dolor! ante ſenium defuncti. Dictitat hoc obligatio quædam *Academiæ Noſtræ Cæſareæ* communis

*) Exſtat hujus *Georgii Thebeſii* opus conſummatiſſimum, terſè & accuraté conſcriptum, atque ſub titulo: Lignitziſche Jahr-Bücher 1733. fol. Javoriæ editum. In fronte legitur vita prænobilis Autoris exaſciaté delineata, Scriptore plurimum reverendo & doctiſſimo Dn. M. *Godofredo Balthaſare Scharfio*, Paſtore apud Suidnicenſes primario & Inſpectore Scholæ longe meritiſſimo. Annexa eſt tabula genealogica, Thebeſios ab an. 1500. ad noſtra tempora tradens, lectu digniſſima.

nis, cujus intuitu memoriæ ſepultorum Sociorum ab illis maximè poſteritati conſervantur, quos nexus quidam & ſtimulus ad hoc officium obſtringit. Nexum agnoſco triplicem, unum qua Sympatriota, cum me idem *Lignitium* educaverit &, ut plurimos *Thebeſios*, genuerit; Alterum, qua Medicus Practicus, cum me idem *Cervimontium* occurrere morbis & medicari decumbentibus gratum accipiat; tertium, qua ſucceſſor honoris, cum *Academiæ Noſtræ Proceres* ejus in locum me in Collegium ſuum illuſtre adoptaverint, pro qua dignitate hîc publice debitas & ampliſſimas per ſolvo gratias. Stimulum præ aliis addidit Magnifici Noſtri *Præſidis* acceptiſſimum præceptum, qui mihi beatè defuncti hiſtoriam vitæ brevibus conſcribere commiſit. Utinam; Fieret hoc tam exaſciatè, tam dignè tam integre, quam lubenter & promtè. Sed ubi deſunt vires, tamen eſt laudanda voluntas.

Hauſit mortalem vitam præclariſſimus Noſter *Adamus Chriſtianus Thebeſius* anno 1686. 12. Jan. Sandevvaldæ, pago in Ducatu Wolavienſi Sileſiorum ſito. Patrem habuit ſupra dictum Reverendum Virum *M. Adamum Ludovicum Thebeſium*, prius Militſchenſem, tunc temporis autem Eccleſiarum, quæ Sandevvaldæ confluunt, Paſtorem, annis autem ſequentibus Lignitii diaconum, Archidiaconum tandemque Paſtorem primarium & Conſiſtorialem, conjunctarumque Scholarum Præſidem, ex omni parte meritiſſimum. Vidit matrem piam & pudiciſſimam feminam, Dnam *Evam Roſinam Herteliam*, Senatoris & Ædilis apud Aurimontanos clari filiam lectiſſimam. Rudimentis Chriſtianæ Doctrinæ & diſciplinarum puerilium poſitis, mox ſtudiis admovebatur ingenuis: ubique vero indolem virtutibus, ingenium artibus induſtria perpetua & à primis ſtatim initiis avidiſſime applicabat. Teſtatur hoc *Lignitium*; teſtatur hoc *Uratislavia*. Prius cum ejusdem Scholis conjunctis ab an. 1695. poſterior cum Gymnaſio Eliſabethano. 1700. præcocem & felicem daret cultorem, Præceptoresque illîc *Frid. Raupachium, Mart. Frid. Johnium*, & imprimis fideliſſimum *Balth. Hert-*

vvigium, hîc vero *Mart. Hankium*, *Chriſtianum Gryphium*, *Eliam Majorem*, *Gottlob Kranzium* & *Godofredum Pohlium* ſibi redderet propenſiſſimos. Ab his egregiis viris in potiores notitias latinas, græcas, rhetoricas poëticas & philoſophicas non tractus, ſed facillime ductus multis ſtudiorum ſociis, apage reliquit; præripuit palmam.

Tantis ſcientiis innutritus ac egregie præparatus *Noſter*, raro ubique exemplo, anno ætatis nondum XVIII. peracto, ſeculi vero 1704. menſe Aprili ad inclytas *Athenas Phylyreas*, applaudentibus ubique Parente, Præceptoribus & Amicis, commigrabat. Studio Aeſculapiano conſecratus mox hic præcellentiſſimos ſalutis humanæ Antiſtites *Bohnium*, *Rivinum*, *Etmüllerum*, *Schambergium*, *Paulum* & *Schacherum* adibat, & duces ad Medicinam exoptatiſſimos indefatigabili ſequebatur induſtria. Sed cum non ſolam medicam Medico ſufficere artem perſuaſiſſimus eſſet, Philoſophicis, Phyſicis & Mathematicis bellariis intime ſimul delectabatur.

Perluſtratis poſthæc *Leucore* alma & Dresda ſplendida, *Halas Magdeburgicas* ſe contulit, ibi artis Apollineæ coryphæos, excellentiſſimos puta *Frider. HOFMANNUM* & *Georg. Ern. STAHLIUM* avidiſſima mente acceſſit, audivit, conſuluit, qui ſingulari ipſum favore & familiaritate dignati ſunt. Nec hic tantum diſcendo, quin ſimul docendo tempus exigebat. Peculiaris enim peritia, quam in Anatomicis adeptus erat, incitante *HOFMANNO* poſcebat, ut ipſe prælectiones demonſtrationesque anatomicas faceret, quas etiam cum multis Studioſis per aliquod tempus & ſummo cum applauſu continuavit. Excitatus autem ipſe majoribus eruditionis acquirendæ ſtimulis, *Halam* relinquebat, principesque & plurimas *Germaniæ Academias* perluſtrabat, illarumque Magnates Podalirios attenta auſcultabat mente, plerorumque ſibi conciliabat amorem & benevolentiam.

Fœderatum poſtea *Belgium*, tunc temporis conſummatiſſimorum virorum & naturæ artisque operum rariorum famoſiſſimum theatrum, an. 1707. intrabat, ubi aſſiduus in Anatomicis ſpectator, auditor, quin ſæpe vicarius magni *RUYSCHII*, exactiſ-

ſimi

ſimi *RAVII* & exercitatiſſimi *B DLOI* erat; in Medicis vero & Chymicis celeberrimo *ALBINO* & ſplendido per ignem Philoſopho *BOERHAVIO* conſtans ad latus hærebat. Horum Doctorum facili ſtabilique conſenſu in promeritum tot laboribus præmium, habita prius 1708. 15. Maj. *Lugduni Batavorum* elegantiſſima ſine Præſide diſſertatione, ſingularis & noviſſimi plane argumenti, *de Circulo Sanguinis in Corde*, ſolemniter Philoſophiæ & Medicinæ Doctor creabatur, ſummosque in Medicina honores & privilegia rité, legitime & ſingulorum cum applauſu conſequebatur. Quo facto, ſunt verba ipſius beate Defuncti, illuſtris Facultas Medica peculiares literas commendatitias illi ſponte & quam gratioſiſſimé obtulit, cum antea ipſi promotionem cum Cappa, ut vocant, daret, & nomen ejus libro academico cum aſterismo inſcriberet.

Multo plures nunc *Noſter* exteras luſtrare terras, peregrinos Naturæ & Artis Conſultos inviſere, ſibique amicitia jungi & tandem Academiis ſe conſecrari, totus optabat, totus flagrabat; ſed votum & æſtum exſtinguebant fatales de morte dulciſſimi Patris & de numeroſa tenerrimaque prole fraterna relicta literæ. Hæ enim multis & ardentiſſimis precibus invitum illum & gemebunda quaſi mente ab Academiis tam propitiis ad patrios remigrare compellebant Penates. Redux in Sileſiam Sileſiæ tam egregius filius, in ſcientiis ſemper altiora ambiens, & nunc de lare novo querendo ad altiora quoque tendebat. Sedem quippe ſibi eligebat altam *Hirſchbergam*, oppidum ad Sudetos montes *Minervæ* gratiſſimum, *Muſis* acceptiſſimum, Myſtarumque *Hygieæ* ſuaviſſimam alumnam.

Hîc felix ægrotis conſulendi artifex multifariam curationibus ſuis proſperioribus mox ſibi conciliabat gratiam. In perſcrutandis etenim morbis iisque debellandis veré excellentiſſimus erat. Morborum hiſtoriam, cauſas, ſigna, & quæ huc ſpectant ſerio & ſedulo ſemper ſecum perpendebat, quod hodie quidem rarius fit. Inanes ubique damnabat opiniones. In periculis levioribus neque oſcitanter ſecuritati litabat, neque in ambiguis nimia meticuloſitate occaſionem juvandi amittebat, neque in deſperatis teme-

rario auſu interitui inſerviebat. Promtus ſemper adibat aegrum, mira humanitate verborumque lenociniis, quod quaſi proprium *Thebeſiorum* eſt, ubique utens. In medicamentorum viribus explorandis curioſus quidem, ſed cautiſſimus erat. Experimenta per mortes abhorrebat; illa autem, quæ juxta ſapientiæ & prudentiæ regulas fiunt, cordate admodum peragebat, experimentis tamen factis, quam faciendis addictior. Non eſt, ut in multa verba diffundar. Teſtor potius illos, qui celeberrimi hujus Viri ope adjuti, adhuc Ejusdem memoriam grati recolunt, vel qui morbo radicato & medica ope vix exſtirpabili detenti, ejus conſilio & auxilio levamen mali obtinuerunt. Teſtor Medicos Collegas, illius amica & ſemper ſincera, rara nunc temporis ave, quondam gaviſos converſatione. Teſtor denique quoscunque cordatos viros, quibus notitia *Thebeſii* noſtri vel levior ſaltem contigit, quos omnes eruditionis & humanitatis ejusdem ſtrenuos aſſertores aequitas reddidit.

Tantorum operum pediſſequi honorum meritorumque erant faſtigia quædam. Anno ſcilicet 1713. in S. R. I. *Leopoldino Carolinam Naturæ Curioſorum Academiam*, cognomento *Euriphon* dictus, peculiari conſenſu recipiebatur. Negotioſus ad Societatis legem, non ad torporis morem otioſus, perelegantibus hujus *Noſtræ Academiæ Ephemerides* augebat obſervationibus. Anno 1714. neque aere, neque technis, ſed ex merito, gratioſo Senatus conſulto ad *Phyſici* Hirſchbergenſis officium evehebatur, quam Spartam tam rite & dextre, quam graviter & ſincere omniumque cum applauſu ad vitæ ſuæ terminum ornavit; ubique Phyſicum, non dictum, & ideo quaſi pictum, pro more Seculi, ſed verum, eruditum, perſpectum & expertum ſe prodens & demonſtrans.

Horis á praxi vacuis, erant autem hæ rariores, librorum lectioni ſedulo vacabat, nec tantum recentiorum Medicorum & Phyſicorum, ſed & veterum ſcripta perluſtrabat. Cum Medicis Excellentiſſimis indefeſſe ſalutaria miſcebat ſociabatque conſilia, & licet natura corpus debilius graciliusque conceſſiſſet, maluit tamen aliis inſerviendo conſumi, quam ſegni otio contabeſcere.

Sedu-

Sedulus erat rerum phyſicarum, ſedulus anatomicarum, ſedulus ſiderum ſiderearumque viciſſitudinum indagator, & obſervatorium hic loci habebat ſublimė, curioſum & ſplendidum, quod noctu dieque pro temporis, officii viriumque ratione frequentabat. Certe nunquam otioſus, quin aliquoties cum prælectionibus aſtronomicis & phyſicis hic *Hirſchbergæ* occupatus, quæ ſine fructu non fuere.

Hactenus ardore faciendorum contentus; poſtea ſcribendorum etiam ſplendore gaudebat. Inter ea ſunt, præter jam dictas obſervationes Ephemeridibus noſtris inſertas I.) *Tractatus de c r-de* cum novis quibusdam inventis, 2.) *Nova Theoria æſtus maris*, 3.) *Anatomia Verheyena renovata*, 4) *Ophthalmographia*, 5.) *Tractatus de Succeſſione morborum*, & forſan alia, quæ tamen ſingula, ut ipſe faſſus eſt, curis ſecundis egent, quibus vero immortuus eſt. Exſtat præterea admodum ingenioſa inſcriptio latina unius plagulæ ſub titulo: *Fama victoriam exercitus Cæſareani à Turcis ad Belgradum 1717. reportatam buccinans*, Hirſchbergæ in fol. edita. Carminum quoque, Patris ad exemplum, politus artifex, imprimis vernaculorum. Vidit horum amicus quidam numeroſam collectionem in conciones Dominicas Neunherzianas pie & nitide elaborata, quæ quidem, ubi nunc lateant, ignoro.

Quoad mentis animique temperiem temperata quadam gaudebat affectuum mixtura. „ Erat, ut verbis utar Reverendi Dn. M. *Katzleri*, ſine auſteritate gravis, ſine levitate humanus, ſine adulatione ſuperiorum obſervantiſſimus, ſine oſtentationis ſtudio erga pauperes beneficus. „ Certe in rebus ſeriis ſerius compoſita gravitate diſſerebat; juſto tamen tempore ſingulari humanitate ſermones ſeſamo & papavere conſpergebat. Ipſemet præterea in certum conſervandæ ſanitatis exemplum perpetua temperantia, efficaciſſimo pellendorum morborum remedio, ægrotis præibat.

Ut par erat, ſuam quoque domi perſonam agebat. Procreandis ſcilicet, non tantum recreandis humani generis conſervatoribus ſe obligatum ratus, commune mortalitatis ſupplementum inibat

bat conjugium, & pietatis, virtutum & fortunæ præſtantia clariſſimam & caſtiſſimam virginem in ſui generisque ſui medicinam ſibi adſciſcebat ſociam. Erat hæc *Johanna Regina*, lectiſſima nobiliſſimi Dn. *Godofredi Glafey*, viri tunc temporis apud Hirſchbergenſes præclariſſimi & negotiatoris per ſemi-orbem noti & amici, Mercatorum Hirſchbergenſium Senioris præclariſſimi & Collegii Eccl. A. C. Præfecti præcipui filia, quam tamen Noſter, præmatura morte 1718. 5. Aug. ereptam acerbe lugere neceſſe habebat. Ex ſuaviſſimo & exoptatiſſimo hoc conjugio natæ ſunt proles quinque: 1.) *Johanna Regina*, admodum Reverendo & Doctiſſimo Dno *M. Jeremiæ Katzlero*, Eccleſiæ noſtræ A. C. Diacono hucdum meritiſſimo nupta; 2.) *Adamus Godofredus*, nunc temporis diaconus Kreibenſis in ducatu Lignicenſi vigilantiſſimus, 3.) *Adamus Chriſtianus*, poſt duos annos vivis ereptus, 4. & 5. Gemini, *Adamus Chriſtianus*, ſemeſtris tantum factus, & *Johannes Ehrenfried*, Patris ad exemplum nunc Lipſiæ Machaonis artes exercens, quem propediem ceu Doctorem Medicinæ terdignum ſalutandum habebimus.

Talis erat, talis fuit Noſter, quem tanto vehementius dolet fuiſſe, quanto ferventius gaudebat eſſe Patria *Sileſia*, quam maxime vero *Hirſchberga*. Cum enim hîc ſpe & uſu maximus eſſet, heu! fatalis pleuritica febris, hujusque vehementia immanis, interveniente purpura, hic quidem odioſiſſimo, ſed frequentiſſimo morbo, nihilum fieri, extremumque vitæ diem anno 1732. 10. Nov. obire juſſit. In eius obitum pro more Hirſchbergenſi næniæ quædam catâ, ſed plures nanâ conſcriptæ ſunt Muſa. Sublimiora vero & elegantiora profert Monumentum Litterarium, duabus plagulis folio & ſtilo regali conſcriptum, ſupra citati Dn. *M. Jeremiæ Katzleri*, cui juncta erat effigies Noſtri b. m. ſplendide, terſe & ſumtuoſe aeri inſculpta. Adeat, cui volupe eſt, hoc dictum Monumentum, hujus meæ delineationis vitæ Thebeſianæ præcipuam baſin, primarium fundamentum.

Thebeſio Medico vix experientior alter,
Thebeſio haud alter blandior alloquio.
Vis *Coum*, *Celſum*, vis *Schottum*, vis *Ptolomæum*?
Accipe non erras, accipe *Thebeſium*.

MEMORIA CAMERARIANA

CONSTANS

EX

PROGRAMMATE FUNEBRI

B. DN. D.

ELIÆ CAMERARII,

SERENISS. WÜRTEMBRGIÆ DUCIS CONSILIARII ET ARCHIATRI, MEDICINÆ IN ACADEMIA TUBINGENSI PROFESSORIS PUBLICI ORDINARII ET IMPERIALIS ACADEMIÆ NOSTRÆ COLLEGÆ CELEBERRIMI,

HECTORIS III.

NOMINE CONDECORATI.

RECTOR
IN ALMA EBERHARDINA.

L. S.

E*Xceſſit* itaque tandem ex ſeceſſu, ex quo tot annis pedem non extulit, quem tamen minime otioſus incoluit: *Exceſſit* ex angulo, in quo magna cum celebritate, inſigni numquam non circumfuſus frequentia, mira latendi ratione, delituit; *Exceſſit* ex ſacerrimo delubro, ex quo ſapientiſſimis pariter ac ſaluberrimis præceptis & conſiliis, ceu alter *Cous*, ſeu *Socrates Chriſtianus*, ſummæ caveæ Viris innotuit, publicæ rei, Scholæ noſtræ, innumerisque aliis, iisque qui locorum intervallis a nobis ſeiuncti alio ſub ſole degunt aeque, atque iis, qui eodem nobiscum vescuntur aere, profuit, majoremque in modum placuit; *Exceſſit* ex ſocietate noſtra erudita, ex vita *Exceſſit Vir Nobiliſſimus, Experientiſſimus atque Excellentiſſimus, Dn. ELIAS CAMERARIUS, D. Sereniſſimi Würtembergiæ Ducis Conſiliarius & Archiater, medendi artis in perantiquo hoc melioris emporio Sapientiæ Prof. Publ. Ordinarius, idemque Academiæ Leopoldino-Carolino-Cæſareæ N. C. Collega, dictus Hector III. exaſciatorum acuti atque elegantis ingenii monumentorum præſtantia, eximia docendi dexteritate ac fide, felici diuturnoque ſaluberrimæ artis uſu, ſanctiſſima vivendi ratione, calculis ſapien-*

pientum & bonorum omnium certatim probatus, famaque dudum celebratus immortali. Ut optumus quisque eſt, ut veræ virtutis, quam effœto hoc, eoque infami ſterilitate virorum non fucate piorum, non ſimulate honeſtorum, Dei & ſocietatis cauſſa in officiis impigrorum, turpiter elangueſcente ſæculo, vel meliores inter proh! deſideres, quisque eſt ſtudioſiſſimus, amantiſſimusque: ita non tantum *tanti Viri* abitum obitumque lugebit acerbius, ſed leget etiam lubentius, quibus Ille viis modisque haud quidquam vulgaria laudis decora induerit, ſinceriſſimarumque virtutum fructus larga paſſim ſegete diſpensaverit. Utile iſtud honeſtumque deſiderium, ut, pro hujusce menſura tabellæ, utcumque incipiamus explere: ornatiſſimam vitæ, qua pie aliis præluxit, telam ſummis retexemus digitis. Indulſit vero *Eum* orbi, ſuisque, præpotens noſtrisque numquam non liberaliter favens rebus, Numen anno ſuperioris ſeculi LXXII. XIII. Calend. Martii, hacce ipſa in Muſarum ſede ab ſui nominis, aeternaque memoria digniſſimo, Viro, B. *DN. ELIA RUDOLPHO CAMERARIO, Philoſ. & Medicinæ D. Experientiſſimo, hujusque in hac Schola Profeſſore Publ. Ord. Excellentiſſimo, ac Sereniſſ. Würtemb. Ducis Conſil. ac Archiatro meritiſſimo*, ex conjuge ornatiſſima, pientiſſimaque, *DN. REGINA BARBARA*, ex *Neufferiana* Celebri Profeſſorum Juris & Quæſtorum Würtembergiæ Principum Familia oriunda, lætiſſime ſuſceptum. Hoſce autem Parentes, tam providos, quam pios, dum nominavimus, *Camerarianamque* Noſtrum ingenuam *ſobolem* indicavimus: eadem opera & ſedulam, & felicem, in Eo rectiſſime formando collocatam eſſe operam, intelligi volumus. Certe anno MDCXXCIV. jam academica attigit roſtra, ab eo tempore ex ore celebrium Profeſſorum B. *Jægeri*, *Mæglingi*, *Caldenbachi*, *Jo. Oſiandri*, B. Germani, *Rudolphi Jacobi Camerarii*, Metaphyſicam, Phyſicam, Matheſin, Græcam, Latinamque, linguas, Hiſtorias, avida mente hauriens, hisque, ut

 ſpe-

ſpeciminibus publicis docuit, probe ſuffultus præſidiis, quæ nemo inultus negligit, medicinæ, quæ *Camerarianæ* genti cultum ui decusque, dudum credidit ac in acceptis refert, addicto nomine paullo poſt feliciter operatus. Quam facili Minerva in hoc ſuo fundo laboraverit, ſolemnibus conflictibus & novis ſubinde conatibus demonſtravit. Cum Germano, B. *Rud. Jac. Camerario*, erudita diſputatione Botanices Profeſſionem auſpicante, ſtrenue contra opponentes Profeſſores ſociavit vires. Viris vero experientiſſimis, D. *Jo. Zellero*, quem venerabilem jam ſenem cum honoris præfatione nominamus, *B. Mæglingio*, B. Patri & Fratri, in Scholis Medicis continuo latus clauſit; Exercitiis anatomicis, privatis & publicis, demonſtrationibus item Botanicis, ruri & in horto publico, nec non chirurgicis, quas vocant, operationibus, prudens adſtitit, interfuitque, vel auditor, vel ſpectator. Incidit Ipſe cadavera brutorum, parteſque illorum, injecit dextre liquores varios, igne chymico exploravit corpora naturalia non pauca, Mathematico-Mechanico-Phyſico-Medica nativo tractavit genio, plurima inſtituit experimenta, ope inprimis Antliæ Pneumaticæ, quam proprio conſilio fabrefieri curavit, ſolemnique Oratione, gratioſæ Facultatis juſſu habita, *Novorum circa aerem experimentorum uſum medicum* egregie expoſuit. Sub auſpicio Anni MDCXCI. ſuſtinuit utrumque pro adipiſcendis ſummis in Medicina honoribus Examen, ſubſequuto Tentamine Inaugurali, de *ſubſidiis pro Arte Medica ab Antlia Pneumatica*, moderante B. Parente, propugnato. Non multo poſt iter litterarium, ſereniſſimo tum harum terrarum Adminiſtratore, eodemque principe omnium elogiorum ornamentis majore, *DN. FRIDERICO CAROLO*, clementer favente, relicta ancipiti Martis aleæ patria, iniit, Francofurtum primum divertens ac à *Jobo Ludolffo*, *Wizelio*, *Peterſio*, *Jordiſio*, *Orvilleo*, aliiſque benevole exceptus; Gieſſæ *Valentinium*, B. fratris aliquot annis ante in itinere exoptatum comi-

comitem, ſibi reddens familiarem; Marpurgi *Dorſtenium*, *Papinumque*; Caſſellis *Dolæum* & *Mozium*; *Arnhemii*, *Muyſium*, expertus humaniſſimos. Peragrata Hollandia in Angliam trajecit: Londini, in Collegio Greshamenſi, D. *John Hoskſins*, Præſidis vices gerens, *Th. Hensgavv. Abr. Hill*, *John Aubreii*, *Robert Hook*, *John Hougthon*, *Francis Loduvik*, *Walter Mills*, *Hans Sloane*, *Thomas Smith*, quoties de graviſſimis argumentis rationes contulerunt, Ei audiendi facultatem fecerunt. *Robertus Boyle*, *Esquire*, *Slare*, *Charlton*, *Nehemias GreW*, *Ed. Provvn*, *Hugh Chamberlen*, hujusque filius, conjunctiorem in amicitiam Eum admiſerunt. Viſis poſtea & minoribus amœnisſimi regni urbibus, vicis, palatiis regiis, Oxonio, ibique *Williſio*, Hollandiam repetiit, poſt in Brabantiam conceſſit, Antvverpiæ, Bruxellis, Lovanii ſubſtitit, *Somerſio*, *Renaldo*, *Limburgo*, aliisque innoteſcens. De novo in Hollandiam redux, Amſtelodamum ſe contulit, *Ruyſchii*, *Blancardi*, *Bernagii*, *Helvetii* uſus familiaritate; Lugduni a *Senguerdio*, *Drelincourtio*, *Nukio*, *Voldero*, *Mortio*, *Seidlero*, &c. Ultrajecti a *Grævio* & *Munnikſio* profecit. Poſtquam autem domum rediiſſet, A. MDCXCII. civitatis Tubingenſis Medicus Extraordinarius, ſocius dein illuſtris Naturæ Curioſorum Collegii, & Nonis Septembris ſolemni ritu Medicinæ Doctor, B. Parente læto Promotore, creatus eſt, eodem die, plaudentibus caritatibus, in torum adſciſcens virtutum gratiis omnibus condecoratiſſimam Matronam, DN. BENIGNAM DOROTHEAM WOELFFINGIAM, a propitio Deo vere datam, quæ non ſuavi tantum conſuetudine, ſed quina etiam utriusque ſexus prole Noſtrum, dum vixit, recreavit impenſe, numquam Ipſi ulla in re gravis, quam triſti, quo anno hujus ſeculi tertio VI. Calend. Junii viduum fecit, fato. Quæ clades ita magnum magni Viri animum fregit, ut deſiderio eximiæ uxoris ferundo vix par fuiſſet, niſi natorum ex Ea liberorum ſuperſtitum biga florentiſſima

 dolo-

dolorem utcumque mitigaſſet. Reliquit nimirum optuma uxor filium præſtantiſſimæ indolis, DN JO. CHRISTPHORUM, Medicinæ Candidatum poſtea doctiſſimum, cui A. MDCCXII. XIII. Calend. Octobris, mœſtus conclamavit Parens; filiam item maternarum virtutum ex aſſe heredem, eamque religioſiſſimi moris virginem, DN. REGINAM DOROTHEAM, quæ A. MDCCXIIX. VIII. Calend. Martii domum ducta eſt a Viro Nobiliſſimo, Experientiſſimo atque Excellentiſſimo, DN. DANIELE HOFFMANNO, Med. D. ac Profeſſore inter Nos Extraordinario; ex quo auſpicato matrimonio, A. MDCCXXII. Idibus Junii, inopinata ornatiſſimæ Matronæ, puerperæ tum, morte ſoluto, tres exoſculatus eſt nepotes, ex quibus triſtia domus fata ſuperſtites felici temperant flore, juvenis egregie jam doctus, DN. GODOFREDUS DANIEL HOFFMANNUS, Jurium Cultor ſtrenuus, nec non virgo lectiſſima, DN. BENIGNA DOROTHEA. Aſt ad publicam Noſtri vitam revocandus eſt ſtilus, addendumque jam tum narratis, quod ineunte A. MDCXCIII. munere in hac Academia ſalutaris artis extra Ordinem publice docendæ, clementiſſimo nutu, auctus ſit, cujus initium Oratione elegantiſſima, *de Non-Entibus Medicis*, in ſolemni fecit panegyri. Quo facto in pube Academica ſolide erudienda omnem poſuit operam, induſtriamque, dum A. MDCCIIX. Sereniſſimo principi, DN. FRIDERICO LUDOVICO, futuro Würtembergicarum terrarum hæredi, niſi ſecus viſum fatis fuiſſet, Auguſtam Taurinorum eunti, a glorioſæ memoriæ patre, ſereniſſ. principe ac Domino, DN. EBERHARDO LUDOVICO, comes & cuſtos valetudinis adiungeretur. Fidem ac ſcientiam, laudantibus, & Taurinenſis & noſtra, aulis, ſereniſſimo principi toto fere biennio jam probarat, quum ex graviſſimo morbo patrios repetere lares cogeretur. Redux ſereniſſimi principis, DN. EBERHARDI LUDOVICI, Medicus clementer ſalutatus ac inter Ordinarios hujus ſcholæ in Medica

Facul-

Facultate Profeſſores, Senatoresque Academicos, felici ſidere, cooptatus eſt. Ab eo inde tempore in id magna contentione incubuit, ut nihil quidquam faceret reliqui, quo ſeduli Profeſſoris partes, a ſanctiſſimis ſtatutis noſtris deſcriptæ, abſolvuntur. Teſtes ejus fidei ac ſollertiæ proſtant tot viri experientiſſimi, qui, a tanti Medici ore pependiſſe, gaudent; Documento ſunt libelli præſertim academici atque rariorum argumentorum commentaria, magno numero cum orbe erudito ſubinde communicata. Sed academicæ quoque diſciplinæ, oeconomiæ & fiſco noſtro utilem præſtitit operam, aliquoties Rectoris Magnifici, Deputati, Decurionis, præclare defunctus muneribus. Neque bene mereri deſiit, ex quo ex inteſtinis vehementius laborare atque, occulta tabe invaleſcente, fragilis corpuſculi viribus deſtitui apertius cœpit. Licet enim inde a novem annis in publicum prodire auſus non ſit; capite tamen, mentisque admiranda ſerenitate ac integritate ita valuit, ut diſcendi cupidis ac quibusvis omnium Ordinum hominibus, qui vel piis, ſuavibus, eruditis Ejus ſermonibus ſunt delectati, vel conſiliis uſi, liberrimus ſemper patuerit aditus. Nec ſenatus Academicus, vel & Medicæ Facultatis Collegium Ejus umquam fruſtra exſpectavit operam, vel ſagaciſſimum arbitrium. Verbo: fecit idem, vel forte plus potius ad publicam utilitatem, quam pridem, ſed domi; ſed fecit proh! inter Nos paria deinceps non facturus: poſtquam diuturno morbo enectus nudius quartus pia, placida, beatiſſima morte, vivendi, bene merendi, ſuos, Excellentiſſimum Generum, hujusque Nobiliſſimam, quæ in B. *Camerariæ* locum interea ſucceſſit, conjugem, *Burgmeſteriam*, nepotesque pulchre effloreſcentes, reliquasque, in B. fratris, *Rudolphi Jacobi*,

Jacobi, in *Harpprechtianis*, *Hochſtetterianis*, *Oſiandrinis* ac *Weikersreuterianis* familiis ſuperſtites Caritates *Camerarianas*, amandi, regendi, recreandi, finem fecit. Gratulamur B. Viro, puriſſimæ menti, quietem; Scholæ noſtræ dignum egregio Profeſſore ac Senatore, quem luget, ſucceſſorem; *Camerarianis* reliquiis, inprimis Seniori jam in familia, eidemque Profeſſori, Medico & Senatori majoribus jam tum palmam dubiam reddenti, Exc. DN. ALEXANDRO CAMERARIO, propitium cœlum, fata læta & inconcuſſum, atque ad rerum finem intemerato flore perennaturum decus adprecamur. Omnes vero omnium Ordinum Patres, Profeſſores, Doctores, civesque, iterum iterumque monemus, ut hora poſtmeridiana prima, qua exuviæ vere pii & meritiſſimi Profeſſoris, omnique, poſt fata etiam, honoris ſignificatione digniſſimi, ſollemni ritu ad communem deferentur locum, decenti frequentique comitatu agmen funebre cohoneſtare ac ſequi, ne graventur. P. P. P. P.

S. S. S. S. IV. Iduum Febr. A. quam parta nobis ſalus
eſt, MDCCXXXIV.

ME-

MEMORIA
VIRI
OLIM
PRÆNOBILISSIMI,
DOCTISSIMI ATQUE
EXPERIENTISSIMI
DN.
JOHANN. ADAMI
LIMPRECHT,

MED. D. SERENISSIMORUM
DUCUM WÜRTEMBERG. OELSNÆ
ET BERNSTADII IN SILESIA, QUONDAM
CONSILIARII, ACADEMIÆ ILLUSTRIS LEO-
POLDINO - CAROLINÆ, NATURÆ
CURIOSORUM AD-
JUNCTI,
NEC NON COLLEGII MEDICI BEROLIN.
INCLYTI MEMBRI GRAVISSIMI,

DELINEATA EX REVERENTIÆ DEBITO
A
S. B.
PRÆPOS. IN N. A.

ITa cum Providentia Divina comparatum eſſe, ſacræ nos docent Pandectæ: Suo unumquemque mortalium rerum ſummus Arbiter ducit, trahit, retrahitque ductu, quomodocunque id fiat, omnia reſpectu Moderatoris Cunctipotentis ad bonum collineare finem, certum eſt, qui ſibi addictos felici exitu beare, tandemque gloriæ cœleſtis compotes reddere novit. Proprio iſtud exemplo comprobat Israëlitarum Rex glorioſus, Deique Propheta inclytus, David, Pſalmo LXXIII. v. 24. adſerens: Tu, Domine, me ducis conſilio tuo, ad ultimum vero me gloriæ tuæ participem reddis.

Senſit & expertus eſt hunc Numinis benigniſſimi ductum per omnem, quam vixit, vitam, Vir prænobilis, Doctiſſimus atque experientiſſimus, Dn. JOHANNES ADAMUS LIMPRECHT, *Med. D. Sereniſſimorum Ducum Würtemberg. Oelsnæ & Bernſtadii in Sileſia quondam Conſiliarius, Academiæ Illuſtris Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curioſorum Adjunctus, nec non Collegii Medici Berolin. inclyti Membrum graviſſimum*, per varios caſus, per tot diſcrimina rerum ad ſuperos evocatus, atque in ſede beatarum animarum nunc placidiſſime quieſcens. Ejus vitæ curſum memorabilem breviter delineatum hæ pagellæ L. B. ſiſtunt.

Vitalem hanc auram Is haurire cœpit Wratislaviæ in Sileſia die 2. Septembris, anni ſeculi ſuperioris 1651. honeſtis majoribus prognatus, Patre, *Adamo*, Avo & proavis ad ultimam memoriam optimæ famæ Negotiatoribus, Matre *Margaretha Mittleria*, ex familia, quæ adhuc Lindaviæ, ad lacum Codanum floret, & apud indigenas in pretio eſt, oriunda.

Salutifero Baptismatis fonte initiatus, eoque aetatis, quæ litterarum capax eſſet, provectus, præter domeſticam & privatam informationem, primum in Gymnaſio patrio, Divæ Mariæ Magda-

Magdalenæ dicato, dehinc Eliſabethano, iisdem imbutus, Præceptoribus uſus Viris tunc temporis Clariſſimis, *Hanckio*, *Thoma*, *Schardo*; Quibus Doctoribus & ductoribus tantum profecit, ut jam ad altiora tendere ipſi facultas & conſilium eſſet.

Ad Lipſiam ergo pergens, ibique albo academicorum civium inſcriptus, Philoſophiæ non tantum ſanioribus inſtitutis, eruditioni ſolidiori præludere allaborabat, ſed & hiſtoriarum & Juris publici, quæque ad notitiam Imperii Romano-Germanici adipiſcendam faciunt, artibus mentem ad ſtudia pronam expolivit, ea tamen diſpoſitione facta, ut maxime animum & naturæ quodam impulſu ad Med[illegible]e Artem adplicaret, Ductoribus & Profeſſoribus in hoc doc[illegible]æ genere ipſi præeuntibus, D. *Welſchio*, *Ammanno*, *Ettmüllero* & *Bohnio*, tum temporis excellentiſſimis; Solenni inſuper diſputatione *de ſero & Lympha*, ſub præſidio D. *Joh. Bohnii*, Anatomiæ & Chirurgiæ P. P. habita primum inclareſcere & erudito Orbi innoteſcere cœpit.

Aſt in Athenæ Lipſienſis Muſarum palæſtra jam ſatis ſe decertaſſe ratus, abhinc Wittebergam, deinde Dresdam Saxoniæ ſe contulit, poſtea Thermas Carolinas, Acidulasque Bohemiæ Egranas inviſit, Theoriæ Praxin adjungere cupiens, reduxque Helmeſtadio, Brunsviga & Lüneburgo in itinere perluſtratis, Hamburgum conceſſit, ubi Medicorum illius aevi præſtantiſſimorum, *Vogelii* & *Kleinii* familiaritate & conſiliis uſus, hincque non parum adiutus in Holſatiam & Slesvicum perrexit, & demum parvo navigio in Hollandiam trajecit.

Huc terrarum cum adpuliſſet, ceteris quidem urbibus celebrioribus & Academiis, utpote Grœninga, Franequera, Haga Comitum, & Amſtelodamo haud prætermiſſis, Lugduni tamen, Academiæ civis ibidem factus, ſubſtitit, pedemque fixit, invitatus cumprimis fama eius aevi, nempe *Drelincurtii* Anatomiæ, *Marggravii* Chymiæ & *Schachtii* practici feliciſſimi, Profeſſorum famigeratiſſimorum, quo extremum nominato, Directore Beatus noſter bis per hebdomadas Noſocomia frequen-

 tavit,

tavit, aegrotos examinans judicium ſuum tulit, remediis, prout aegrotantibus illud conducere ei videbatur, propoſitis, non tamen ante periculo facto, niſi Magiſtri deciſum præmiſiſſet. Quo rerum uſu tantum invaluit, eosque in arte, quam perpetuo colendam deſtinaverat, Medica progreſſus fecit, ut Doctoris Inſulæ conſequendæ jam maturus exiſtimaretur, qua etiam præmiſſa ſolenni Diſputatione *de Tuſſi* (quæ tunc mire in his oris graſſabatur) die 26. Octobris, anni 1675. condecoratus fuit. Hinc perluſtrato, quod reliquum erat, Belgicarum Provinciarum, tranſiit in Britanniam.

Cujus poſt Londinum præcipuas U[illegible] & Academias, Cantuariam, Oxoniam, Cantabrigiam & Gl[illegible]ſtriam cum vidiſſet, facilitate morum ac doctrinæ ubertate explicata ita hominum animos ſibi devincire potis fuit, ut etiam Epiſcopos & Primores eius regionis partim patronos, partim fautores ſibi comparaverit. Id quod inter alia produnt libri, quos ſemper ubique terrarum ſecum tulit, & ſeruavit, eius memoriales, ſeu ſymbolici, Illuſtrium & honoratiſſimorum Virorum ſymbolis & nominibus inſcriptis, referti.

His quoque regionibus ac terris, quoad ſufficeret, emenſis ac peragratis, iter in Galliam inſtituit, Pariſiisque aliquamdiu commoratus, Anatomiæ ſtudio, Noſocomiorumque frequentationi tantam operam impendit, ut exteri etiam e gente Gallorum delicatiſſima, induſtriam eius indefeſſam & capacitatem ſummam intuentes, ſalutem ſuam Noſtro Germano committere, & medicam Ipſius opem implorare non dubitarent, germanici Doctoris titulo, *(le Docteur Aleman)* quo Beatus noſter indigitabatur, jam percrebeſcente.

At ille plus ultra tendere jam meditans & maris etiam diſcrimina tentare deſiderans, anno ſalutis 1679. velis expanſis, gallicis littoribus poſt ſe relictis, per Oceanum Atlanticum navigando, in Portugalliam, ejusque regni Metropolin, regiamque ſedem Lisbonam conceſſit, cujus aula, animum in Germanos, cumprimis autem

autem vaſallos Auſtriacos pronum teſtatum faciendo tam ſingulari cum gratia ac favore complectebatur, ut publice etiam functiones ac munera ei offerrentur, quas humillime declinans & tamquam ſirenum illecebras deſpiciens, in Hiſpanias vicinas proficiſcitur.

In his oris, eorumque regnorum capite Madrito, cum per temporis quoddam ſpatium conſediſſet, gentis lentam gravitatem, Medico non minus proficuam, altius contemplando; inde ſibi normam præſcripſit, quo pacto in ſua arte, quam præcipue excolendam elegerat, aliquando procederet, & in præſcribendis remediis usque provide & conſiderate ageret, nunquam concedendo, ut ſubitaneis conſiliis aegrotantium conditioni periculum immineret. Inde Montibus Pyrenæis ſuperatis per agrum Galliæ Lugdunenſem, Camberium & Montmelianum, ceteroſque Sabaudiæ tractus montanos perrexit in Italiam.

Hic Venetiarum urbe ſplendidiſſima, Neapoli nobiliſſima, & Roma, orbis & gentium quondam domina, nunc religionis ſede, haud quaſi per tranſennam tantummodo viſis, poſtremo Patavii pedem figendo, Civium academicorum conſortio ornatur, ibique tanta cum dignitate vixit, ut præclaro, Nationis Germanicæ Conſiliarii & Vice Syndici titulo condecoraretur; Cujus relatifidem ut confirmemus, teſtem minime levem allegare juvat, nam in ſcripto quodam, quod permiſſu ſuperiorum Patavii typis Mariæ Trambotti, 1680. prodiit, & clariſſimum illud Italiæ ſidus, *Bembum* Auctorem agnoſcit, Noſter Peregrinator *illuſtriſſimus & generoſiſſimus Dn. Johannes Adamus Limprecht, Uratiſlavienſis Sileſius, inclytæ Nationis Germanicæ Artiſtarum Conſiliarius, almæque Univerſitatis Patavinæ D. D. Theologorum, Medicorum atque Philoſophorum Vice Syndicus meritiſſimus* audit ac prædicatur.

Solenne erat Noſtro adſerere, ſibi præ omnibus, quas peragraſſet, terris & regionibus Italiam arriſiſſe, nihilque, quo minus ibi domicilium perenne fixerit, obſtitiſſe, niſi religionis diſcrimen. Igitur patrios lares repetere meditans, ſuperatis Alpibus, per

Helvetiam, Bavariam, Franconiam, Bohemiam, Vienna Auſtriaca hac vice propter feſtinationem declinata, ad ſuos redit, patriamque, decennali & Ulyſſea peregrinatione abſoluta, Uratislaviam ſalutat.

Longiſſime vero ab eorum moribus & conſuetudine receſſit, qui licet cœlum mutarint, & maris terræque pericula exhauſerint, nihil tamen inde meliores facti ad patrios penates redeant, ſed tempus comeſſationibus, alea, choreis, vel venationibus, aut deſidia conſumendo pene rudiores & incultiores domum remeant, quam receſſerant. Nam noſter advena tantum peregrinando profecit, ut, quem ſibi ſemper ſcopum principem præfixerat, non tantum in ſcientia Galenica fœcundiſſimas ubertates collegerit, ſed inſuper quoque præter linguas latinam, & quod ſufficere poſſit, græcam, quibus jam juvenis imbutus erat, Belgice, Gallice, & Italice expedite, Hiſpanice, Anglice & Luſitanice vero ſufficienter nec proletarie loqueretur, quibus adminiculis adjutus excellentiſſimas in ſua arte Auctores, non ut alii per Interpretes intelligendi, ſed e limpidiſſimis fontibus hauriendi facultatem conſecutus erat. Magis vero ex altera parte mirandum, quod cum Ulyſſes noſter germanus tot gentes, tot a noſtris moribus abhorrentes nationes adierit, nihil tamen inde pravi aut nocivi in ſe derivari paſſus ſit, neque ex Gallorum levitate, Anglorum faſtu, Italorum perfidia detrimenti quidpiam contraxerit, nobilium quorundam fluviorum inſtar, qui per lacus peregrinantes a ſapore & colore nativo nihil remittunt, ſed vada ſua tantum trahentes, ſemper ſui ſimiles exiſtunt; ita Noſter, exteras terras luſtrando, germanicum candorem, fidem, gravitatem tamen eo usque integras ſeruavit, ut revertens vel ipſos Germanos his virtutibus anteiret.

Ut vero ſuus quemque trahit naturæ impetus, idem noſtro *Limprechtio* evenit, ut ſibi vivere, ac tranquille degere adeo usque ad vitæ exitum præamaret; huic inſtituto ut pondus adjiceret, prædium, ubi honeſtius, & a ſtrepitu vulgi ac fori remotius vitam dege-

degeret, ſibi comparavit, non omni tamen Medici officio neglecto, nemini enim conſilium ſuum, atque opem denegavit, adeo, ut Ipſi Sereniſſimi Principes & Duces Würtembergici (litteris gratioſiſſimis, quæ apud Hæredes adhuc ſervantur, teſtibus.) *Sylvius Fridericus* & *Chriſtianus Ulricus*, Oelsnæ & Bernſtadii reſidentes, Noſtrum ſibi Archiatrum eligerent, atque Ipſius cura medica, dum viverent ſalubriter fruerentur.

Tam eximiæ multiplicesque animi dotes, quin Illuſtri Naturæ Curioſorum Academiæ Cæſareo-Leopoldinæ innoteſcerent, fieri neutiquam potuit, quibus ea adducta, Ipſum anno ſeculi ſuperioris 1682. octavo Maji, ſub nomine *Fabii*, (ſine dubio ex una parte hac adpellatione ad Fabium illum Romanum Cunctatorem & cunctando patriæ ſoſpitatorem, ex altera vero ad circumſpectam illam & cautam prudentiam, virtutem Beato noſtro propriam, reſpicientes) ſibi conſociavit, ac membrum Illuſtris Collegii renunciavit. Quam accurate & erudite ſua curioſitatis ſymbola ad Ampliſſimam hanc ſocietatem remiſerint, ex Actis ejusdem quotannis prodeuntibus patet, totque egregia ingenii eius documeuta publice proſtantia teſtantur, in eo quidem ad ultimum honoris faſtigium evectus, quod 1698. vi Diplomatis Ipſi conceſſi, numero Adjunctorum Prænobiliſſimi hujus Collegii adſcriberetur, quorum adeo Seniorem evaſiſſe non vane auguror.

Conjugiale eius conſortium porro ſilentio prætermittendum non videtur, quod iniit Dn. *Limprecht* anno 1683. cum nobiliſſima quondam femina, *Roſina Graſſia*, Generoſi Domini *Alberti de Eſſen* florentiſſimæ aetatis vidua, utpote viginti annos nata. Ex qua numeroſa quidem ei progenita ſoboles, quæ tamen matura morte extincta, originem ſuam repetiit, præter duas filias ſuperſtites, quarum natu major *Johanna Maria*, *Sigismundo Bærenſprung*, Præpoſito Angermündenſi, Synodique Stolpenſis in Ukro-Marchia Inſpectori, altera vero, *Roſina Sophia*, Domino *Davidi Wolfgango Kirchnero*, honeſtiſſimæ famæ Negotiatori Berolinenſi matrimonio juncta. Nec non neptem *Johannam Sophiam* ex

Chri-

Chriſtiana Beata Domini *Georgii Chriſtophori Crameri*, Mercatoris Berolini honoratiſſimi, olim conjuge.

At vero, ut quæ de vitæ Limprechtianæ curſu memorabil dicere exorſus ſum, pertexam, quæque obitum eius proxime anteceſſerunt, enarrando perſequar, inſtituti mei ratio requirit.

Ruris igitur & vitæ ſolitariæ, cui ſe, ut ſupra memoravi, Beatus noſter dicaverat, (ut eſt omnium rerum ſatietas,) pertæſus, rediit cum familia Uratislaviam, plures per annos ibi degens. Verum, ut omnium rerum viciſſitudo eſt, nec fortuna quemque mortalium eodem perſiſtere gradu patiatur, ſeu, ut potius ad ſtilum ſacræ Scripturæ loquar, ſummum Numen ſuos per varios ductus & vitæ amfractus ad gloriam tandem recipiat, ita contigit, ut beatus Noſter peregrinator, partim fata ſibi inimica in patria expertus, partim ſpe blandientis fortunæ adlectus, aetate jam ad ſenectutem vergente, novo itineri ſe accingere moveretur, & relicta Sileſia in Marchiam-Brandenburgicam ſe conferret, ubi in Collegii Medici Regii, quod ibidem floret, conſortium honorifice receptus, Berolini aliquamdiu conſedit, rogatus tamen Phyſici ordinarii munus jam Fürſtenwaldæ, jam Angermündæ obire non dedignatus eſt.

Verum ſenilis & profectioris aetatis incommoda jam ſentiens, ſparta depoſita, Berolinum rediit, ibique, quod vitæ reliquum eſſet, Deo & ſibi unice vivere conſtituit, ſicque abiectis omnibus aliis curis & negotiis vitam tranquille & placidiſſime privatus produxit, donec, fractis ſenio & exhauſtis naturæ viribus, morboque triſti adflictus, accedentibus variis ſymptomatibus, maxime tamen marasmo illo ſenili & lethargo lethali oppreſſus, animam efflans, Chriſtoque tradens, die 27. Julii, 1735. vitam mortalem, quam ad octoginta & tres annos & octo menſes protraxerat, cum cœleſti & aeterna commutarit, ſicque ductu ſummi rerum Arbitri, vitæ necisque Domini, per varios caſus, migrationes mari & terra, & tot diſcrimina rerum, ad Dei gloriam (innuente hoc Eius textu funebri, Pſalmo LXXIII. v. 24.) receptus fuerit:

Quod mortale habuit, corpus, ſub pace quieſcat;
Spiritui Cœli vita fruenda detur.

Me-



Martin Tyroff del. et sculp.

MEMORIA
VIRI PRÆNOBILISSIMI, EXPERIENTISSIMI ATQUE DOCTISSIMI
DOMINI JOHANNIS GEORGII HOYERI,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINAE DOCTORIS,

PATRITII ET PHYSICI PRIMARII LIBERÆ IMPERIALIS CIVITATIS MOLHUSINÆ,

ILLUSTRIS ACADEMIÆ LEOPOLDINO-CAROLINÆ NATURÆ CURIOSORUM COLLEGÆ

APOLLODORI. I.

AGNOMINE INSIGNITI POSTERITATI DICATA

A

C. E. H.

PRæeminentium virtute ac induſtriorum virorum famam & facta ſcriptis ac monumentis poſt fata extendere, non ſolum laude dignum, ſed neceſſarium prorſus eſſe videtur: Hoc enim ab ipſo mundi primordio ad noſtram usque aetatem factum eſſe, tam ſacra, quam profana teſtatur hiſtoria. Idem leges veterum Romanorum volunt & *Syracides* quoque cap. XLIV. ſedulo commendat, inquiens: ***Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua***, &c. Immo & ipſa illuſtris Cæſarea Leopoldino-Carolina Naturæ Curioſorum Academia non ſolum lege quinta collegiali idem conſultum judicavit, ſed litteris etiam adhortatoriis Calendis Februarii anni MDCCVI. & MDCCXXXV. iterata admonitione, poſtulavit, ut Collegæ compendioſam vitæ ſuæ hiſtoriam albo, ſeu, ut vulgo vogant, Matriculæ Academiæ inſerendam, transmittant, quo ita memoria eorum, publice etiam olim, ſi occaſio & merita ferant, celebranda, poſt fata ad poſteros perennet ac floreat. In primis autem heredes & poſteri eo adlaborare & contendere debent, ut Patrum ac Majorum famam ac memoriam conſervent: Turpiſſimum quippe poſteris eſt, ſi celebrium Majorum memoria ipſorum culpa, vel negligentia, oblivione obruatur. Sicut e contrario glorioſiſſimum ac utiliſſimum eſt, ſi bene meritorum memoria repetatur, ac conſervetur, quoniam hoc pacto gloria Majorum & virtus parentum filios, nepotes, ac ſeram poſteritatem ad imitationem excitat, iisque ad virtutem excolendam ſtimulos addit. Hoc fine plurimorum ſpectatiſſimorum præfatæ Imperialis Academiæ Collegarum glorioſa memoria ampliſſimis Ipſius Ephemeridum Decuriis, Centuriis & Voluminibus, in præterito & præſenti ſeculo editis, inſerto, adhuc hodie floret, & usque ad exitium hujus univerſi florebit. Veniam ergo dabit benevolus Lector, ſi Virum Prænobiliſſimum, Experientiſſimum atque Doctiſ-

ctiſſimum *Johannem Georgium HOYERUM*, *Patritium*, *Philoſophiæ ac Medicinæ Doctorem*, *Illuſtris Academiæ Imperialis Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curioſorum Collegam*, *Apollodorum nominatum*, *& inclytæ Reipubl. Molhuſinæ Phyſicum primarium*, &c. in ſcenam producam, & majoribus minorem jungam, tum, ut laudatæ Naturæ Curioſorum legi ſatis fiat, tum ut *Hoyerianæ Poſteritati* ſtimulus etiam addatur, ut Paternis veſtigiis vel inſiſtant, vel virtute eadem præcurrant & excellant. De natali itaque ſolo, laudabiliter peractis ſtudiis, & ulteriori vitæ curſu more conſueto dicamus: Lucem adſpexit ac primum ſpiritum hauſit *Molhuſæ*, Civitate libera Imperiali, religioni, libertate, ſoli polique clementia a plurimis ſeculis inclyta Anno aeræ Chriſtianæ MDCLXIII. die vigeſimo tertio Auguſti. Prognatus ex pervetuſta & prænobiliſſima Patritia gente, Patre Viro nobiliſſimo ac ſtrenuo *Georgio Chriſtophoro*, Avo *Johanne Georgio*, *HOYERIS*, *Patritiis ac rei bellicæ præfectis primariis*; Proavo viro tam litterarum, quam belli gloria celebri *Georgio HOYERO*, *Nobili Aulico Bavarico*; Abavo *Franciſco HOYERO*, *Patritio ac Senatore Molhuſino meritiſſimo Seniore ac redituum Cameralium Præfecto Primario*, *atque item finitimi Ganerbinatus Treffurtenſis* Vice-Domino. Laudes ceterorum majorum paternæ proſapiæ a pluribus retro ſeculis toga pariter ac ſago florentiſſimorum & ab *Hermanno de HOYER* Bavaro oriundorum, ut taceamus: Hic *Hermannus* enim illuſtris eques torquatus, cujus *Spangenbergius* (a.) & *Burgemeiſterus* (b.) ex *Rixneri Thurnier-*Buch mentionem faciunt, poſtquam in ludo equeſtri ſub Imperatore Romano *FRIDERICO III.* glorioſiſſimæ memoriæ anno MCCCCLXXX. *Moguntiæ* habito, interfuit, ſubſequenti tempore *Molhuſæ*, ubi tum temporis plures degebant equites & nobiles, (quippe ex quibus regimen & Senatus Civitatis & territorii conſtabat,) ſedem ſibi fixam elegit.

a.) in ſeinem Adelſpiegel. P. I. fol. 87.
b.) in ſua Bibliotheca equeſtri. P. II. p. 274.

Mater defuncto noſtro fuit *Barbara Juſtina* ex proſapia *Heidenreichiana* per Thuringiam & Misniam ſatis conſpicua, matrona pietati, nec non ſedulis rei familiaris occupationibus addicta, cujus curæ laudabilem educationem refert acceptam, poſtquam patre per fata præmatura privatus fuit. Avia *Regina Sorgeriana*, ex familia Gothæ florentiſſima. Proavia ex nobili familia *de Brettin*, Erfordiæ adhuc celeberrima. Abavia *Anna Gædicken* patritii & de patria longe meritiſſimi liberæ Civitatis Imperialis Molhuſinæ Conſulis unica filia, qui immortale nomen *defenſoris & conſervatoris Patriæ ac libertatis Molhuſinæ* in ſeram usque poſteritatem ſibi comparavit, ut ex Epitaphio penes templum beatæ Mariæ Virginis poſito, memorabili ac repetitione digno, ſed ab imbre edace ferme conſumto, nec non ex documentis publicis videndum. Aſt, quamuis ex Majorum multitudine & enumeratione, itemque ex conſervatis inſignibus, in quibus aperta galea, corona, lilia & ſtellæ elucent, virtutis faſtigium, laurumque vireſcentem *familiæ Hoyerianæ* ſatis ſuperque conſpicere liceat, minime tamen ſufficientia hæc ſunt perfectæ felicitatis ſpecimina: Natalium enim claritas a gente nobili derivata ab infima plebis ſorte homines quidem diſtinguit & hiſce præfert, ad acquirendam autem felicitatem veram, conſtantem & perpetuam nunquam fores unice aperit. Ad hanc igitur procurandam & promovendam, primo ſtatim eo direxerunt parentes dilectiſſimi curam, ut ſine mora filiolum ſacro ſancto baptismatis fonte abluendum, & dehinc primis chriſtianæ religionis fundamentis ſedulo imbuendum curarent. Primi ſic vix elapſi erant anni, cum beatiſſimus parens ejus, belli flamma prope Rhenum & in Batavia denuo gliſcente, peritia rei militaris clarus, (ſiquidem olim in Anglia ſub infelici Rege *CAROLO I.* pluribus annis & in Belgio Hiſpanico ſtipendia meruerat,) a finitimis nonnullis Ducibus, in primis a Duce Saxoniæ & Adminiſtratore Magdeburgenſi AUGUSTO, vocatus, cen-

centuriâ equitum Molhuſæ conſcripta, caſtra denuo ſecutus, aliquamdiu poſt prope Rhenum diem ſupremum obiit, cujus præmatura fata poſtmodum noſter ex animo doluit. Prius tamen, quam patriæ linqueret arva, pater amantiſſimus tres filios, atque inter eos beate defunctum noſtrum curæ & informationi M. *Chriſtophori SCRIBONII*, Patrii Gymnaſii eo tempore Rectoris, poſtmodum Archidiaconi, commendavit, qui omni cogitatione curaque & vigilantia in puerum erudiendum adhibita, ita publice declaravit, mentemque ſinceram fuit profeſſus : *Concordi caritate amplector Hoyerum ; in hunc meus incredibilis amor eſt; acre ingenium ex ipſa ſua liberali & ingenua facie luculentiſſime elucet & gliſcit : Spem de eo certiſſimam concipio, fore, ut in orbe litterato multis ingenio & doctrina præſtet, & eruditis tandem aliquando admirationem moveat.* Poſitis ita ſub hujus felicis Auctoris divinationibus, nec non ſub *Mehlbachii* Conrectoris & *Knorii* ſubconrectoris, poſtea Senatoris Molhuſini, fideliſſima manuductione pietatis & humaniorum litterarum fundamentis, poſtquam ex ephebis exceſſerat, paternis veſtigiis inſiſtere, & Martis potius, (quibus parens beatus ob vegetam corporis & animi alacritatem ipſum deſtinaverat,) quam Muſarum caſtra ſequi præoptabat. Matre vero, ob præmatura cariſſimi mariti, per injurias belli amiſſi, fata, a re bellica abhorrente & huic propoſito omni contentione refragante, ſuaſu Prænobiliſſimi Viri, *Johannis Georgii Hoyeri*, Conſulis Longoſaliſſani, patrui honoratiſſimi ad continuanda literarum ſtudia, ad illuſtre Auguſteum, quod Leucopetræ floret, (oratione valedictoria de *requiſitis ad litterarum ſtudia* prius habita) miſſus eſt, & quidem anno MDCLXXXI. quo anno & ſubſequenti horribiles & cincinnati cometæ adparuerunt, qui animum eius in admirationem rapuerunt, & ad contemplationem ſiderum ſimul excitarunt. Hinc ſub ductu Celeberrimi Rectoris, *Joachimi Leiſtenii*, cujus hoſpitio & contubernio uſus eſt, Philoſophiæ & Matheſi,

in primis autem Aſtronomiæ & Aſtrologiæ judiciariæ ſedulam operam navavit. Sub *Riemero*, Oratoriæ Profeſſore, haud obſcuri dein nominis Hildeſienſium Superintendente, eloquentiæ præceptis innutritus eſt. Diræ peſtis lue in patria tunc graſſante triennium ibidem conſumens, interea temporis publice & privatim perorando & diſputando frequenter ſe exercuit, ne ſcilicet progrederetur ad ſublimiora, ſolidis philoſophicis fundamentis poſtpoſitis. Denique vero oratione valedictoria, in ipſa paſchali feſtivitate ex cathedra ſacra templi Auguſtei, de *Victo Victore*, memoriter recitata, inde abiit, & ad Salanas Muſas, in Jenenſi Helicone hoſpitantes, ſe contulit anno MDCLXXXIV. Hic præ reliquis celeberrimi Mathematici *Weigelii* informationem ſibi elegit, aſtrologicas vanitates ex mente *Weigelii* partim inſuper habendo, amœnitatibus aſtronomicis nihilominus delectatus. Animum autem ad haurienda artis medicæ fundamenta cum adplicaret, anatomicis ſectionibus & præparationibus, quoties ſe obtulit occaſio, *Faſchii*, hoſpitis ſui, interfuit. Apprime vero Illuſtris b. m. *Georgii Wolffgangi Wedelii*, Theoretices P. P. & diverſorum Principum Conſiliarii & Archiatri, publicæ, privatæ & privatiſſimæ fideliſſimæ ac incomparabili informationi ſe multum debere faſſus eſt, ſub cujus præſidio etiam inſigni cum applauſu diſputationem chymicam de *Tincturis*, *ſulphuribus & Vitris*, ejusdem *Pharmaciæ acroamaticæ* inſertam defendit. Præterea etiam ſæpius, tam privatim quam publice, reſpondendo & opponendo in diſputationibus ſe exercuit. In patriam haud infelici auſpicio redux anno MDCLXXXVII. ex voto praxin clinicam exercere cœpit. Interim curioſus animus adhuc obſtitit, quo minus ſedem ibi fixam pro tempore conſtituerit: Hinc denuo peregre abiens varias Germaniæ provincias & celebriores urbes peragravit, & in his celeberrimos Archiatros, aliosque, quos fama commendavit, Medicos ſalutavit. Impetratis autem a celeberrimo *Pechlino*, ſereniſſimi Cimbriæ Ducis Conſiliario & Archiatro, & Academico Curioſo com-

commendatitiis ad Virum edecumatæ eruditionis polyhiſtorem & Medicorum illius temporis principem *Olaum Borrichium*, ad illuſtre Muſarum emporium & Regiam ſedem Hafniam ſe contulit anno MDCLXXXIX. Hinc in Bataviam & Angliam quidem peregrinari ſecum conſtituerat; aſt cum hoc anno menſe Septembri, patriæ urbi proh dolor! fatali, voraciſſimus ac horribilis Vulcanus tres opulentiores ejusdem partes, atque in hiſce avitas aedes contiguo lapide exſtructas, & plurimas facultates abſorbuiſſet, & laudabili proficiſcendi propoſito remoram injeciſſet, denegatis pro continuando itinere neceſſariis ſumtibus, Hafniæ aliquamdiu ſubſiſtere invitus coactus eſt. Animus eius paulo dejectior infortunato talismodi caſu non parum erigebatur a *Borrichio*, ſolamine cujusdam ſapientis: *Quid triſtaris ob jacturam facultatum, omnia enim tua tecum portas, praxi enim medica neceſſarios ſumtus hic loci tibi facile procurabis.* Ex conſilio itaque laudatiſſimi *Borrichii*, (cujus humanitatem ac promptitudinem inſerviendi, & ſaluberrima monita circa praxin in borealibus regionibus inſtituendam plurimi aeſtimavit & dilaudavit,) praxin clinicam exercuit, & in populoſiſſima civitate ſumtus non ſolum ad vitam ſuſtentandam, ſed etiam ad litterarum ſtudia continuanda neceſſarios ex voto ſibi comparavit. Poſt inopinatum obitum *Borrichii* converſationem intimiorem cum celeberrimo Viro *Caſparo Bartholino*, anatomico curioſiſſimo & accuratiſſimo, iniit, qui ipſum informatione beavit exoptatiſſima in anatomicis, talia demonſtrando, qualia numquam antea viderat, ſecando crebrius tam humana, quam quadrupedum aquatilium & inſectorum cadavera. Præter ea quoque apud Experientiſſimum *Unſenium*, Noſocomii Regiæ claſſis navalis Medicum induſtrium, non ſolum plurimas cautelas practicas, ſed etiam operationes chirurgicas vidit, cujus vices quoque, in eius abſentia, non ſine laude in Noſocomio Regio aliquamdiu geſſit. Comparavit etiam ſibi in hac Academia linguarum exoticarum, cum primis Gallicæ exactam notitiam,

titiam, nec non artis docimaſticæ & Chymiæ curioſæ, qualia generoſus Dominus Baro *de Helvvig* (apud quem Secretarii officio aliquamdiu perfunctus eſt,) in ſumma Regiæ Majeſtatis præſentia in Regia arce Roſenburgo ſubinde demonſtravit, metalla ignobiliora transmutando, aquam marinam edulcorando & alia plura. Sacra illa & divina ars, a Græcis ita denominata, aureum ipſi vellus quidem promiſit, ſed oleum, operam & laborem perdidit, ita ut poſtmodum eandem neglexerit, & contemtui habuerit.

Captus tandem amore patriæ anno MDCXCIII. in Germaniam reditum paravit, & poſtquam per aliquod tempus in patria ſubſtitit, praxeos clinicæ ſpeciminibus inſignibus ibidem exhibitis, agnati & fautores amici inſtanter ſuaſerunt, ut tandem fixam in patria civitate ſedem ſibi eligeret, & honores doctorales capeſſeret. Hos ergo quamvis jam dudum in aliis Academiis impetrare potuiſſet, nihilominus ſub auſpiciis illuſtris Fridericianæ, quæ Halæ Magdeburgicæ tum temporis primordium ſumſit, Præmium iſtud laborum poſtulare, ſumme glorioſum putavit. Anno itaque MDCXCIV. menſe Februario Halam profectus Illuſtrem *Fridericum HOFFMANNUM*, omnigeno eruditionis & experientiæ medicæ adparatu inſtructus adiit, ejusdemque Collegio phyſico experimentali diligentiſſime interfuit. Laudatiſſimo huic Viro honores & privilegia doctoralia offerenti mox patulas præbuit aures, & ad conſueta examina admiſſus, ita ſe Eidem & reliquis celeberrimis Medicis, ad hunc actum a Sereniſſimo legatis, probavit, ut propter inſignes & ſolidos profectus & Candidato primo digniſſimos, ceu genuinus artis filius in numerum Candidatorum Medicinæ & Philoſophiæ receptus fuerit, ac trigeſimo die menſis Martii diſputationem inauguralem de *Saliva & eius morbis*, in ſummo numeroſiſſimi ac ſplenditiſſimi Auditorii confluxu, maſcule defenderit, brevique poſt, nempe die ſecundo menſis Julii in ipſo ſolenni inaugurationis academicæ actu, præſente ſimul Poten-

tiſſimo

tiſſimo Electore FRIDERICO II. poſtmodum Boruſſiæ Rege, & plurimorum ſereniſſimorum principum, comitum, &c. corona, ab Illuſtri *Hoffmanno*, ſeculi noſtri Hippocrate, & a Polyhiſtore, dum viveret celeberrimo, *Chriſtophoro Cellario*, tam Medicinæ, quam Philoſophiæ Doctor, ſive Magiſter declaratus, inter decem Doctores Medicinæ & triginta Doctores Philoſophiæ primum locum obtinuerit. (*) Poſtquam ergo ibidem commilitonibus ſuis ignotos hactenus ductus ſalivales, a nonnullis doctisſimis Viris in dubium vocatos, itemque decem nervorum paria & plura alia curioſa anatomica demonſtraverat, tandem, licet de obtinenda Profeſſoris extraordinarii ſparta haud vanam ſpem quidam adferrent, urbem tamen patriam repetere maluit, agnatis præſertim amicis & civibus ejusdem reditum in patriam ſollicitantibus. Vix autem reviſerat patrios lares, cum febre tertiana continua ſatis periculoſa, eodem anno epidemice graſſante, plures conſilium & auxilium ab eo imploravere. Ab hoc igitur tempore conſtantiſſimam pariter ac feliciſſimam praxin exercuit, prout prolixæ Ephemerides ejusdem, ab anno 1695. usque ad ultimum annum fatalem conſcriptæ, pluribus teſtantur. Nulla dies, nullaque nox ſine linea tranſacta. Diem aegrotos viſitando & medicamenta ex officinis pharmaceuticis partim præſcribendo, partim pro egenis diligenter diſpenſando, noctem curioſa notabiliora, quæ in praxi obſervaverat, conſcribendo conſumſit. Qualia, ne prorſus in obſcuro lateret, (memor ſaluſtiani dicti: *Omnes homines ſumma ope niti decet, ne vitam ſilentio tranſigant veluti pecora*,) poſtmodum cum aliis celebrioribus Medicis communicavit, unde etiam factum eſt, ut, cum brevi poſt impetratos honores ac privilegia Doctoralia Decuriam obſervationum curioſarum, Hafniæ & Molhuſæ notatarum, conſcriberet, eamque unacum diſputatione inaugurali de ſaliva, Illuſtri b. m. SCHROECKIO, t. t. Academiæ Imperialis

(*) vid. Nachricht von der Stadt Halle, und ſonderlich von der Univerſitæt daſelbſt. p. 130.

Leopoldino - Carolinæ Naturæ Curioſorum Præſidi, transmitteret, in celeberrimam iſtam Academiam anno MDCXCV. cooptatus, & agnomine *Appollodori* inſignitus fuerit. Ab illo tempore etiam cum aliis doctrina aeque ac fama undique clariſſimis Medicis, litterarium erigendi commercium occaſionem obtinuit, inprimis cum modo laudato Excellentiſſimo *Schræckio*, *G. W. Wedelio*, *Pechlino*, *Caſparo Bartholino*, proto-medico cæſareo *Fackbio*, *Friderico Hoffmanno*, Lic. *Beniamin. Scharffio*, principis Schvvartzburg. Archiatro, D. *Petri ab Hartenfels* Archiatro Moguntino & P. P. Erfurt. D. *Schelhaſio*, Archiatro Cameræ Imperial. Wetzlar. *Reali de Vienna*, celeberrimo Philoſopho, alias *Wagner* nominato, D. *Thomaſio*, *Kanoldo*, Annal. Phyſico - medicor. Wratislaviens. Directore, *D. Ettmüllero* P. P. Lips. & Ephemerid. German. Directore, D. *Schnettero* Conſil. & Archiatro Saxo - Gothano, D. *Lahmio*, Lic. *Blukmio*, Archiatro Ducis Luneburg. aliisque.

Famam dehinc in dies majorem ratione praxeos feliciſſimæ nactus, undique in finitimis regionibus & locis magis inclaruit adeo, ut non ſolum in Electoratu & Ducatu Saxonico, Comitatu Hohenſteinenſi, Principatu Schvvartzburgico, tractu Eichsfeldenſi ditionis Electoralis Moguntinæ, provinciali Comitatu Haſſiaco, ſæpius conſilia Medica ab eo expeterentur, ſed etiam Archiatri ſparta in finitima quadam aula Ducali Saxonica ipſi fuerit oblata, quam tamen prægnantibus ex cauſis modeſte recuſavit, donec ab inclyto interiori ſenatu patrio *Phyſici Primarii* provincia anno MDCCXI. ipſi demandaretur, qua etiam ſumma dexteritate perfunctus eſt, præter morem Anteceſſorum complura cadavera, tam violenta morte peremtorum, quam variis intricatis & complicatis morbis defunctorum, (id quod in patria civitate hactenus inſuetum ac fere exoſum fuerat) diſſecando pro inveſtigandis morborum & mortis cauſis, inſuper etiam fœtus mortuos ex utero materno extrahendo, pauperibus aeque ac ditioribus aegrotis conſilio & auxilio noctu

&in-

& interdiu ſuccurrendo, captivos & incarceratos morbis adflictos in ſqualidis carceribus inviſendo & curando, tempore contagii nullatenus peregre abeundo, officinas pharmaceuticas ſedulo viſitando, ſimplicia & compoſita medicamenta religioſisſime cenſendo, veneficii accuſatos prudenter dijudicando, mortisque violentæ cauſas additis deciſionibus forenſibus tradendo. Ne vero curis domeſticis, fundoque, ex hæreditate paterna acquiſito, adminiſtrando nimium diſtraheretur & turbaretur animus, praxi clinicæ, ſcriptisque in publicum quandoque edendis occupatus, conjugem amabiliſſimam, & fideliſſimam, in ſecundis & adverſis rebus ſociam ſibi elegit Virginem nobiliſſimam *Catharinam Mariam*, Viri beate jam defuncti *Johannis Tauſchmanni*, quondam Senatoris Longoſaliſſani primarii & mercatoris celeberrimi filiam natu mediam, cum qua anno MDCXCV. d. 22. Jul. nuptias Longoſaliſſæ celeberavit. Ex hocce fœcundo conjugio novem liberos ſuſcepit, quatuor ſcilicet filios & quinque filias. Ex illis primogenitus & ultimus præmature vivere deſierunt; mediorum vero ſenior: *Chriſtophorus Eugenius*, Medicinæ Licentiatus, Practicus & Phyſicus Ganerbinatus Treffurthenſis, & junior *Georgius Leopoldus* J. V. D. & Illuſtris Academiæ Nat. Cur. Collega, patriarum virtutum ex aſſe hæredes, adhuc in vivis ſuperſunt. Filiarum primogenita *Anna Eliſabetha*, *Johanni Chriſtiano Gaubero* J. V. C. & Patritio Salinarum Allendorffinarum in Haſſia nupta, itemque altera, *Nicolao Antonio Ludovici*, Conſuli Sondershuſano meritiſſimo, juncta, una cum reliquis duabus ſororibus dudum mundo vale dixere. Brevi poſt etiam ex vita hac diſceſſit dulciſſima conjux, anno nempe MDCCXVII. adpropinquante decimo puerperio. Quanto dolore beatus noſter ex inopinato & ſumme lugubri hocce fato adfectus fuerit, verbis exprimi vix poteſt, præſertim cum iſta ſociæ adeo fidelis & probæ jactura ſtudiis & praxi medicæ remoram injecerit haud levem. Hinc memoriam ejus ſequenti diſticho voluit eſſe ſempiternam:

Tu pia, tu prudens, concors, fœcunda, pudica,
Caſti conjugii dulce decusque mei,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt
Morte carenti animæ gaudia ſumma poli.

Hanc ſacratam conjugii incomparabilem fidem & amorem etiam paulo ante diſceſſum ſuum corfirmavit, dum exanime ſuum corpus penes putrida oſſa dulciſſimæ conjugis in uno eodemque tumulo ut conderetur, mandavit. Cum vero juxta *Tullii* effatum nullus dolor ſit, quem non longinquitas temporis minuat atque molliat, ſic pariter beatus noſter obitum fatalem, quem mutare aut prorogare non potuit, poſtquam patienter pertulit, anno MDCCXX. ad ſecunda vota tranſiit, fœminamque Nobiliſſimam, *Juſtinam Eliſabetham*, prænobiliſſimi Viri *Martinii Theodori Schulthes* Hæreditarii in Alckersleben, & Conſiliarii Ducalis Saxoniæ viduam, ſociam ſibi denuo elegit, ex qua filiam *Charlottam Mariam* & filium *Godofredum Ferdinandum* ſuſcepit.

Ceterum in praxi clinica nec timide, nec temere procedere ſuevit, naucifaciendo malevolorum obtrectationes, a quibus vix ullus Medicus immunis vivit. De morbis eorumque cauſis & remediis non empirice, ſed prudenter judicavit, inprimis de obſcuris & difficilibus non præcipitanter, vel temere pronunciando, ſed in abdito latentia accuratiori mentis lance ponderando, iisque remedia probatiſſima opponendo. His acceſſit pietas non fucata, & amor proximi ab omni faſtu alienus. Illam monſtravit, dum ſingula negotia in nomine Jehovæ adgrediebatur, memor Hippocratici elogii χωρὶς Θεῦ ὐδὲν ἐυτυχὶν; unde tempore matutino & veſpertino divinum Numen calidiſſimis ſemper implorabat precibus, ut divino ſuo auxilio clementiſſime adeſſe dignetur, præſertim in difficillimis, acutis & contagioſis morbis. Ex amore proximi pauperibus aeque ac ditioribus benevolas aures & auxiliatrices manus præbuit. Inde etiam dubio procul evenit, ut, licet aegrotantes ex infima

plebis

plebis ſorte contagioſis morbis adflictos, in miſerrimis tuguriis latitantes, captivos in ſqualidis carceribus, nauſeabundum ſæpius odorem ſpirantibus, detentos, crebrius viſitaverit, nunquam tamen mali quidquam in ipſum redundaverit. Ita ſe geſſit inter cives, ut ſemper optimarum partium & eſſet & exiſtimaretur, neque tamen ſe civilibus fluctibus committeret, quod non magis eos in poteſtate ſua exiſtimabat eſſe, qui ſe iis dediſſent, quam qui maritimis jactarentur. Vitium implacabilis iræ, odii & invidiæ maxime deteſtabatur. Corporis ſtatura mediocri & habitu ὀρθοςαδίῳ præditus erat; vultus roſeus etiam in ſenectute permanebat, ex quo officioſa pietas, dexteritas, probitas, candor animi, humanitas & benignitas eluceſcere videbantur; oculi ſingulare ingenii acumen; geſtus modeſtiam; conſilia experientiam, & actiones prudentiam demonſtrabant. Proinde etiam per totum vitæ curſum in victu & potu accuratam temperantiam obſervavit, eaque propter valetudine adverſa rarius fuit adflictus. Et licet quandoque dyſareſteſi vexatus male habuerit, ſtrictis tamen diætæ legibus obſervatis imminens malum facili negotio profligavit. Sanguinem venæſectione nunquam emiſit, non quod ex *Helmontii* hypotheſi hanc pro noxio diaboli invento reputaverit, ſed quoniam quoſuis inſultus morboſos præter laudabile diætæ regimen aliis convenientibus remediis feliciter tollere potuerit. Aetate creſcente ſudoribus matutinis ſpontaneis & quaſi criticis vires roborari ſenſit; ingraveſcente autem ſenio ſæpius doloribus iſchiadicis, binisque vicibus febribus tertianis bilioſis laboravit, quibus tamen ſalutifera ſemper, Deo benedicente, oppoſuit remedia. Tandem beate defunctus anno præterlapſo partim ex ſymptomatibus vertiginoſis, partim ex inconſueto colore exalbeſcente, conſtitutionem corporis ſui magis debilitatam eſſe, quodammodo præſentire & prævidere potuit, unde officio prudentis Medici ſatisfacturus, nihil eorum intermiſit, quibus hanc corporis infirmitatem quadantenus ſublevari poſ-

ſe cenſuit. Verum enim vero nocte ſecunda menſis Februarii, anni hujus MDCCXXXVIII. iterum febris bilioſa eundem invaſit : De graviſſima enim totius corporis exæſtuatione & anxietate notabilis circa præcordia, concomitante adfectu rheumatico, ſtatim conquerebatur, quibus periculoſis ſymptomatibus ſuperveniebant vomitus cum crebrioribus lipothymiis & ſumma virium proſtratione. Mitigabantur equidem hæc uſu probatiſſimorum remediorum intra octiduum, brevi autem poſt denuo recrudeſcebant, accedente critica excretione, inprimis exſpuitione tenaciſſimæ & maxime mucidæ & corruptæ ſalivæ, nec non moleſtiſſima expectoratione diu noctuque fere continuante. Placidus ſomnus, alias a natura ad reſtaurandas vires deſtinatus, plane ceſſabat, ſicque indies augeſcente virium jactura, tandem in ſenilem marasmum morbus degeneravit. Hinc ultimæ ſuæ aegritudinis dies noctesque inſomnes ardentiſſimis precibus & ſuſpiriis usque ad ſpiritum extremum indeſinenter conſumebat. Interim equidem piæ ac ingenioſæ eius cogitationes, de immortalitate animæ, de inſatiabili hominum deſiderio, atque ex his formata argumentatione, quod nempe animæ noſtræ poſt hanc vitam miſerrimam dulciſſima quieto & indeſinenti gaudio fruituræ ſint, non mediocrem liberis adferebant conſolationem, at ex eorum quoque oculis ſimul copioſiſſimas eliciebant lacrimas, inprimis, dum brevi ante obitum, in hæc verba erumpentem audiebant : „ Longam annorum ſeriem, quæ terminum a Rege & Propheta Davide conſtitutum ſuperat, vivendo attigi ; Deferbuit cupiditas voto expetendi aetatem provectiorem, quoniam ſenectus ipſa morbus ; præterea neque mihi, neque aliis emolumento eſſe poſſum, ſed potius gravis & moleſtus : Etſi contra firmiter conſtitutas leges naturales omnes animi delectationes in hoc mundo ponerem, iſtæ tamen quoque multis horis atque diebus adverſis comitatæ inſtar nebulæ evaneſcunt : Teneatis itaque lacrimas & concedatis, ut anima mea in patriam cœleſtem,

„con-

„conſtantem tranquillitatem & perpetuam voluptatem ſine „profuſione veſtrarum lacrymarum hoc deſtinato tempore pro- „peret: Ultimum meæ naturæ humanæ certamen initum ful- „citur certiſſima fiducia, quod tamquam victorioſus credens „in Chriſtum vitæ coronam obtineam. Tali modo beate de- functus ſe ad aeternitatem præparavit, & vivens adhuc mori didicit, animoque prævidit & præſenſit accelerantem corporis & animæ diſſolutionem: Supra enim indicatæ pituitoſæ excre- tiones denegabant uſum medicamentorum, quoniam illa muci- dæ ac corruptæ tenaciſſimæ ſalivæ ſe immiſcebant, atque ſum- mam nauſeam & crebriores vomitus movebant. Hinc a ſym- ptomatibus magis ingraveſcentibus vires jam attritæ penitus tandem proſternebantur, ſicque rerum omnium mortalium abiiciens cogitationes, mente præſente ac certiſſima fiducia, ſuorum in amplexibus die 1. Apr. tranquilla morte expiravit, cum beatus ſenex vixiſſet annos ſeptuaginta quatuor, menſes ſeptem, tredecim Dies.

Omnes nunc duros caſus virtutis amore
Vicit & ipſe ſibi laudemque decusque paravit.

Quæ de reliquo tum ſeorſim typis evulgavit beatus no- ſter, tum etiam ad Ephemerides Academiæ noſtræ communi- cavit, ſequens eorundem monſtrabit Index:

1. Diſputatio inauguralis de ſaliva & eius morbis. Halæ 1694.
2. Eigentliche Unterſuchung der Saure und des Schleims, iſt eine Uberſetzung Hrn. Dr. Hoffmanns Tractats de acido & viſcido, worinnen die von denen hochberühmten Dr. Bon- tekoe und Blancard und andern mehr bißhero aufgeführte neue Lehr-Sätze gründlich widerleget ſind, und hingegen be- hauptet wird, daß nicht alle Kranckheiten und Gebrechen menſchliches Leibes von Saure und Schleim herrühren. 8vo. Halæ 1696.

3. Neu-

3. Neu-aufgelegte Panacee des Mithridats und Theriacs in 4to. Mühlhauſen 1696.
Programma in funere Viri M. *Chriſtophori Scribonii*, Gymnaſii Patrii quondam Rectoris meritiſſimi, hactenus Archidiaconi Diœceſis Mulhuſinæ vigilantiſſimi, in fol. Mulhus. 1696.
4. Diſſertatio epiſtolica de Mulhuſini territorii finitimorumque locorum conſtitutione epidemica anno 1700. obſervata, ad Perilluſtrem ac Generoſ. *Lucam Schrœckium*, Cæſareo Leopold. Nat. Cur. Academiæ Præſidem &c. perſcripta. Mulhus. 1701. in dudoec.
5. Beſchreibung und Gebrauch des Theriacæ cœleſtis. Mühlhaus. 1702. in duodec.
6. Panegyricus Imperatori JOSEPHO I. in homagio, mediante Comite *Alberto Antonio*, Sacr. Rom. Imp. Quatuor. Viro, Comite de Schvvartzburg & Hohenſtein, præſtito, exhibitus Mulhuſæ anno 1705.
7. Ausführliche Unterſuchung der anſteckenden Peſtilenzialiſchen Seüche, welche etliche Jahre her in Europa graſſiret, in welcher dero Unweſen, Urſachen, Zeichen, Bewahrungs- und Geneſungs-Mittel, wie man nemlich ſolche Seüche leicht erkennen und ſich davor præſerviren, auch geſchwind und ſicher curiren könne gründlich und eigentlich beſchrieben. Gotha. 1714. in 8vo.
8. Erneuerte und verbeſſerte Medicinal-Apothecker-Chirurgorum und andere Ordnungen, ſamt beygefügter Taxa derer Apothecker-Wahren, Artzeneyen, und ertheilten Privilegien in der Kayſerlichen freyen und des Heil. Reichs-Stadt Mühlhauſen in Thüringen, in 4to.
9. Hauß-und Reiß-Apotheck, oder Beſchreibung der auserleſenſten und bewährteſten Artzeneyen, nach ihrer Zubereitung, Krafft, Gebrauch und Vorſichten, alle Kranckheiten und Gebrechen geſchwind und glücklich zu curiren, jetzo mit vielen neu-

neu-erfundenen Artzeneyen, nöthigen Anmerckungen, voll-ſtändigen Regiſtern vermehret, zum andern mahl herausgegeben. Leipzig. in 8vo.

10. Cataſtrophe auſpicatiſſima, qua ſacratiſſimus Cæſar, Imperator & Arbiter Orbis CAROLUS Maximus in Homagii Mulhuſini Actu Legato *de Metſch* &c. ſubiectiſſime præſtando, Panegyrico admirata & venerata Mulhus. 1717. in fol.

11. Erklärung des von ICtis und Medicis ſogenannten poculi abortivi, worinnen die Frage zugleich erörtert wird, ob innerliche Mittel, inſonderheit aber ob Aloë und Aloëtiſche Balſamiſche Artzeney-Mittel die Krafft haben eine Frucht vor der rechten Geburts-Zeit aus Mutter-Leibe abzutreiben, an ſtatt einer Apologie entgegen die einfältige Beſchuldigung eines unbeſonnenen verkehrten Critici wider die ſo genante Balſamiſche Bewahrungs-Tinctur. Franckfurth und Leipzig 1728. in 8vo.

Obſervationes pro Ephemeridibus Academiæ noſtræ communicatæ ſequentes ſunt:

Decur. III. Ann. III.

Obſerv. 43. *De Gulæ vulnere lethali.*
— 44. *De fœtu die tertio poſt mortem matris enixo.*
— 45. — *podagrico inſultu ab eſu ceraſorum acidorum.*
— 46. — *febris intermittentis cura lethifera.*
— 47. — *febris cura lethifera a terrore.*
— 48. — *febris ardentis malignæ ex immerſione ſub undas curatione.*
— 49. — *innoxio & ſalutari abuſu Opii.*
— 50. — *ptyalismo graviditatis ſigno.*
— 51. — *Dyſenteria vitro Antimonii curata.*
— 52. — *Epilepſia magicæ cauſa & curatione.*

Decur. III. Ann. VII. & VIII.

Obſerv. 175. *De ebore foſſili, ſeu Sceleto Elephantis in colle ſabuloſo reperto.*
— 176. *De delirio cum ferocia a baccis Solani furioſi.*
— 177. *De aquæ ſtygiæ hauſtu exitioſo, remediis domeſticis curato.*
— 178. — *Colocynthidis Infuſo, lethalem hypercatharſin ſuſcitante.*
— 179. — *Epilepſia chronica unacum febre maligna epidemica curata.*
— 180. — *Cholera defuncti Anatome.*
— 181. — *hæmorrhagia largiore ex cavitate dentis maxillaris.*
— 182. — *Lochiorum poſt abortum immodico profluvio, remedio domeſtico probatiſſimo placato.*
— 183. — *tumore axillæ cancroſo, prægrandi, ejus anatome & infelici curatione.*
— 184. — *prægrandibus & monſtroſis naſi tumoribus, ſubligato pilo camelino feliciter curatis.*

Decur. III. Ann. IX. & X.

Obſerv. 93. *De rore melleo vitioſo.*
— 94. *De nebula ſingulari, febris malignæ lethalis cauſa.*

Centur. I. & II.

Obſerv. 50. *De ploratu fœtus in utero*
— 51. *De partu ſeptimeſtri & motu locali, ſecundinarum retentarum expulſionem promovente.*
— 52. — *Cardialgia & anxietatibus ab uſu medicamentorum chymicorum ſpirituoſorum.*

Obſerv. 53. *Cardialgia cum lipothymiis, a largiori doſi olei Succini.*

— 54. *De motibus convulſivis & morte a largiori doſi Theriacæ.*

— 55. — *Allio, probatiſſimo præſervatorio a calculo.*

— 56. — *Equiſeto, infido præſervatorio a calculo.*

— 114. — *Hæmoptyſi, graviditatis infido ſigno.*

— 115. — *fluxu menſtruo in vetula.*

— 116. — *Curatione delirii a philtro, & Erucis per vomitum & urinam excretis.*

— 117. — *rore melleo, erucas producente.*

— 118. — *febre tertiana periculoſa, per ſympathiam curata.*

Centur. III.

Obſerv. 3. *De Hemiplexia cum aphonia & totali omnium rerum oblivione, a cholera triduana, feliciter curata.*

— 4. *De lethalitate vulneraria ſubitanea, ſive lethali vulnere.*

— 5. — *Enterocele magnetice, ſeu per ſympathiam curata.*

— 6. — *Ulcere cancroſo, per ſympathiam facto.*

— 7. — *Viſus acie in ſeptuagenario, uſu Nicotianæ conſervata.*

Centur. VI.

Obſerv. 68. *De vanis Eſſentiæ dulcis, ſeu Tincturæ Auri encomiis, & nefando eiusdem in febribus malignis & peſtilentialibus abuſu.*

— 69. — *atreto feliciter curato & vivace.*

Obſerv. 70. — *Cochleis vivis, loco ſeminii, ſeu nucleorum in pyris inventis.*

— 71. — *Mania hæreditaria incurabili a faſtu.*

Centur. VII.

Obſerv. 76. *De citationis in vallem Joſaphat eventu lethali, a cauſis phyſicis derivato.*

— 77. — *cochleis, ſeu domiportis vivis per alvum ejectis.*

— 78. — *Melancholica veneficam ſe ſimulante.*

Volum III. Actorum.

Obſerv. 17. *De fruſtraneo & infeliciſſimo fluxum hæmorrhoidalem provocandi conatu.*

— 18. — *inteſtini duodeni vulnerati phænomenis & lethalitate.*

— 19. — *Noſtalgia.*

— 20. — *Apodemialgia.*

— 21. — *Spica ſiliginea in ulcere infantis reperta.*

— 22. — *Nymphæ, ſeu alæ dextræ nimis excreſcentis & pro uteri procidentia male judicata curatione.*

Volum. IV.

Obſerv. 32. *De Hydrope ſaccato defunctæ anatome.*

— 33. — *Singultu contumaciſſimo ac deſperato, lacte muliebri tandem curato.*

— 34. — *Allio, ſalutari medicamento, ſed nauſeoſo & pernicioſo alimento.*

Obſerv. 35. *Febri quartana, plurium annorum, prorſusque incurabili.*

— 36. — *Melancholico deſperato αὐτοχειρίαν adfectante, & pactum cum Cacodæmone ſe feciſſe adſeverante.*

— 37. — *Hæmorrhagiis oculorum.*

— 38. — *Hydrope tympanite defuncti anotome.*

— 39. — *Maniaci Lethargo defuncti anatome.*

— 40. — *virgine ecſtatica, per 24. horarum ſpatium pro mortua reputata.*

— 117. — *felici Hæmoptyſeos quinquagenariæ curatione.*

— 118. — *perverſa & infelici Hæmoptyſeos curatione.*

— 119. — *Orexalgia recens natorum infantum.*

— 120. — *Virgine, cute hirſuta denſisque minoribus ſetis obſita, in membris inferioribus deformata.*

MONUMENTUM

Fortunatis parentis manibus dicatum
& ſacratum
Honoris, amoris, doloris documentum
admoneat, doceat,
quod deſpicata & deſperata ſpes
inopinatis eventibus ludens homines illudat,
& quando clareſcat, evaneſcat
lubrica & ludicra fortuna,
quippe cum homines capit, rapit,
heu inanes ſunt artes

mutilæ ac futiles ſcientiæ
rudis & cruda prudentia.
Fluxæ divitiæ vitia movent, fovent,
luctatur oneroſus honor,
provida fides fugit.
Luget fida pietas
vaga & vana fama
cardo arduæ gloriæ
Quid laudabile & durabile eſt
quid horrorem furoremque mortis cohibet
O dura & dira fata
ipſe homo
Funus, fumus, humus.
Hic jacet
Deus clinicus mortalis,
nam Medicus, qua Philoſophus, aut Deus, aut Deo ſimilis,
ſancta parentis majeſtas,
quia parentes Dii terreſtres
O diva, ſed triſtis memoria
O lamentabilis & ineffabilis dolor
Vir meritus illuſtris
Genere, eruditione, dignitate celebris
JOHANNES GEORGIUS HOYER
virtute majorum patritius natus
ſuamet ipſa virtute provocatus
ut Majorum gloriam aut illuſtraret aut ſuperaret
Philoſophiæ & Medicinæ Doctor primus in Fridericiana
creatus

Illu-


Illuſtris Academiæ Naturæ Curioſorum Collega
Apollodorus I. adpellatus
Phyſici primarii munere per 26. annos probatus
Exercitatione clinica per plures quam 50 annos
rata atque grata celebratus
vir raræ ac charæ fidei
Decus optimorum philoſophorum & experientiſſimorum
Medicorum
complexus virtutum
quem exteri amabant
cives noſtri deſiderabant
ſervabant
Mutuus amor mutua officia præſtitit
reddidit
Quem libera & Imperialis civitas Mulhuſina genuit
hunc retinere non renuit
honorandus & venerandus ſenex
Anno MDCLXIII. Menſe Auguſti die 19. natus
Die 1. menſe Aprilis MDCCXXXVIII denatus
pueriles ac juveniles annos bene degit
viriles majori cum laude egit
ſeniles præluſtres per & tranſegit.
Sile o Muſa
morte periit
qui immortalis gloriam & felicitatem ſibi peperit
ſic vita ſic fama pari paſſu ambulant
Vixit ut vivat

exopta-

exoptatiſſima commutatione adquieſcat
Mortales
mori diſcatis
nec veluti bruta vivatis
Vita enim etiamſi longæva privamur
ut vita perpetua fruamur
certisque incerta definiamus
ſpes & fortuna valete.

Hoc monumentum ad aram beatiſſimi parentis luctu eiulatuque & ploratu proſtratus poſuit filius

Chriſtophorus Eugenius Hoyer
Medic. Licent.



Volum.V. Actor. A.C.N. Tab.I.
Fig.1.
Ad Obſerv. XVII p.77
Fig.2.
Fig.6
Ad Obſerv. XXII. p.93.
Fig. 7.
ad Obſerv. XXIII. p.94.
Fig 3
Ad Obſerv. XIX p.82
Fig.4.
Fig.5.

ad Observ XL. p. 152.


Volum. V. Actor. A N C. Tab II.

Fig. 1.




Fig. 2.





Volum. V. Actor. A.N.C.
Tabula III.
Fig. 1
ad Obſerv. XLIV. p. 166
Fig. 2.
ad Obſerv
XLV. p. 172.
Fig. 3.
ad Obſerv. XLVII
p. 178

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY


Volum: V. Actor. A.N.C.
Tabula IV.
Fig. 1
ad Obſerv. XLV. p. 169.
Fig. 2.
p. 172
ad Obſerv. XLVIII
p. 182
Fig. 4.
Fig 5.
ad Obſ. XLIV.
p. 166
Fig. 3.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.


Tabula V. Volum. V. Actor. A. N. C.
Fig. 2. pag. 252.
ad Obſerv. LXVII.
Fig. 1
Obſerv. XLVII.
Schol.
pag. 140
Fig. 3.
Fig. 4.
Fig. 5.
Fig. 6
Fig. 7.
Fig. 8.
ad Obſerv. LXXXVIII.
pag. 314.
ad Obſerv. XCVI
pag. 339
Fig. 9.
Fig. 10.

Volum.V. Actor. A.N.C. Tab.VI.

ad Obſerv. CXXX p.440.






Fig. 3.
Volum. V. Actor. A.N.C. Tab. VII
Fig. 2.
ad Obſerv. CXXXVIII pag. 456
Fig. 1.
A
B
C
c
D
ad Obſerv. CXLII. pag. 469.
Fig. 4.
A
B
C